SUMMA AUGUSTINIANA EX COLLECTIS, ORDINATIS, DISPUTATIS, ...

Digitized by Google

2. 3. 118

...ed by Google

S U M M A
AUGUSTINIANA
Ex collectis, ordinatis, diſputatis, explicatiſque
Sententiis Theologicis
DIVI AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI.

P. LAURENTIO ALTICOTIO CORTONENSI
Societatis JESU Presbytero Interprete.

P A R S T E R T I A
De Vera Chriſti Eccleſia.

AD JO. FRANCISCUM
CARDINALEM ALBANUM.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani. 1747.
S U P E R I O R U M P E R M I S S U.

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. FRANCISCO
CARDINALI
A L B A N O

LAURENTIUS ALTICOTIUS
S. P. D.

P*Vtareſne unquam accidere potuiſſe*, Jo. Francisce Albane, Cardinalis Amplissime, *ut cogitanti mihi, & diu multùmque animo deliberanti, cuinam præ ceteris hoc meum opu-*

Digitized by Google

ſculum de Vera Chriſti Eccleſia, contra importunos acerboſque Eccleſiæ perturbatores adornatum inſcriberem, nemo prorſus ex omnibus præter te unum unquam occurreret, tuque ſolus, tuumque nomen meo ſe ſe animo ſemper objiceret? ita ſanè, nec ſecus accidit. Quodque magis mirum videri debet, quòcumque me animo & cogitatione converterem, obvium te mihi fieri ubique ſentiebam, tuumque nomen animo infixum hærebat meo, plurimis mihi maximiſque de cauſſis jucundiſſimum. Cum vero quidnam hoc rei eſſet ſolertius inveſtigarem, atque explorarem ſagacius, illa mihi ſe ſe in conſpectum dederunt, eaque graviſſima, quæ ſi tuis quoque oculis cognoſcenda ſubjecerim, quamvis invitam & repugnantem modeſtiam tuam in meam ſententiam arbitror diſceſſuram. Cum igitur ea, quæ de Vera Chriſti Eccleſia ſatis multa opera, nec minore oleo meditatus elucubravi, cui potiſſimum nuncupanda viderentur, tacitus mecum animo reputarem, forma, & imagine tui repentè occupatus, hæc mecum ipſe tacita mentis agitatione verſabam: Nonne JO. FRANCISCO ILLI ALBANO, *quem Chriſti Domini Eccleſiæ ſummo præſidio, maximoque ſplendori futurum haud fallaci conjectura auguramur, inſcribenda deputem?*

tem? Nonne ille, ſi inſpiciamus a puero, Eccleſiæ Chriſti addictus, & quodammodo conſecratus, ita excultus perpolituſque adolevit, ut ad capeſſendam, adminiſtrandamque Eccleſiam unum ex omnibus maximè natum aptumque egregiæ indolis, optimæque ſpei ea tunc ætate adoleſcentem jure affirmares? Neque verò Sapientiſſimus Deus in unum hominem, ab ineunte pueritia Eccleſiæ ſuæ peculiari quadam ratione obſtrictum dedicatumque, tantam ingenii, pietatis, probitatis, prudentiæ, atque ſapientiæ vim copiamque effudiſſet, niſi ſingulare aliquid, ſempiterno atque immutabili conſilio ſuo, & de Jo. Francisco Albano, *& de Eccleſia ſua moliretur.*

Quod enim ad ingenium pertinet tuum, illud ipſum, ab omni vel tenuiſſima aſſentationis ſuſpicione remotiſſimus, confirmare audeo, quod Auguſtinus de filio ſuo Adeodato, Lib. 9. Confeſ. cap. 6., poſteritatis memoriæ commendavit, Annorum erat fermè quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros: Horrori mihi erat illud ingenium. *Decennis, quod nulli adhuc contigiſſe cognovimus, inter eloquentiores Rhetores, elegantioreſque Poetas Gregoriani Athenæi vel puerulus numerabaris. Te quartum ſupra de-*

cimum

cimum agentem annum, lectiſſimâ ſapientiſſimorum hominum, Purpuratorumque Patrum mirum in modum probante, ac plaudente frequentiâ, de ſubtilioribus Philoſophiæ quæſtionibus acutiſſimè diſputantem audivimus. Vix octavum ſupra decimum annum attigeras, atque jam de abſtruſiſſimis Theologiæ myſteriis è ſuperiori loco ſubtiliſſimè, & copioſiſſimè diſſerebas. Quid plura? Ad metam illam, quam arreptum a ceteris viris doctiſſimis longum iter demum attingit, & in qua poſt diuturnos labores, contrita jam ætate, ſapientiſſimi quique conquieſcunt, concitatis ingenii tui viribus, raptimque decurſo ſpatio, cum vix e carcere, atque repagulis eſſes emiſſus, ſubitò te perveniſſe conſpeximus, novumque arripuiſſe curſum, feſtinataque maturitate ſplendidiſſima præmia jam eſſe te conſecutum.

In ampliſſimum enim totius Chriſtianæ Reipublicæ Senatum, AUGUSTO *Potentiſſimo Poloniæ Rege deſignante,* BENEDICTO XIV. P. O. M. *inaugurante, univerſoque Romano Populo ex omni prorſus genere, atque ordine geſtiente ac plaudente, florentiſſima adhuc ætate, nuper es cooptatus. Jam enim fama nominis tui intra fines Italiæ contineri non poterat, ſed ſuperatis Alpibus ad Sarmatas*

tas

Digitized by Google

tas uſque evolaverat, diſertaque voce ad aures AUGUSTI *Poloniæ Regis eloquens oratrix pervenerat. Ad hæc, aderat* AUGUSTO *Patri certiſſimus nuntius meritorum tuorum* FRIDERICUS *Regius & Princeps Filius, qui olim domi tuæ diverſatus, præter ſingularem tuam illam ingenii vim, eloquentiæ copiam, doctrinæ ubertatem, gravitatemque prudentiæ, de religione, pietate, integritate, atque innocentia tua religioſiſſimus, pientiſſimus, integerrimus, innocentiſſimuſque teſtis plurima, eaque præclariſſima prædicabat. Quid multa? Omnia ornamenta tua paucis complexus, Te ſui ſimilem eſſe teſtabatur. Ex ſumma hac ſimilis indolis, morum, voluntatumque ſimilium conſenſione, tanquam ex vero, ſinceroque fonte amicitiæ, Regii Principis erga te amor, atque benevolentia manavit, quæ diuturnæ, familiariſque conſuetudinis acceſsione ſic aucta eſt, ut non ſemel in congreſsione ac digreſsione tui, in amoris erga te ſui ſignificationem, e Regii Principis oculis, quod non niſi illacrimando commemoras, decoræ lacrimæ obortæ ſint, amoriſque erga te ſui blandiſsimæ nuntiæ, ſuaviſsimæque teſtes defluxerint.*

Itaque ſpectatiſsimus, probatiſsimus, lectiſsi-

ctiſsimuſque Rex, tam certa, tamque exploſrata virtutum tuarum fama & prædicatione admonitus & excitatus, in te unum ex omnibus, qui deliberanti ſibi plurimi, hique meritiſsimi objiciebantur, oculos conjecit ſuos, teque unum, ceteris prætermiſsis, ſpectavit, probavit, elegit. Quanta autem animi ſui lætitia ac voluptate Sapientiſsimus Pontifex, tuique Amantiſsimus BENEDICTUS XIV. *te unum præ ceteris ab integerrimo ſpectatiſsimoque Rege ad dignitatem ampliſsimam poſtulatum acceperit, quamquam id ſibi gratiſsimum accidiſſe multis perſpicuiſque argumentis ſignificaverit, illud ſanè omnium fuit præclariſſimum, quòd cum lege ſancitum eſſet, ne in una ſingulari familia tres tempore eodem, ſacro inſigniti oſtro, Patres recenſerentur, adhibitis ſibi in conſilium e Sacro Senatu delectis Patribus, antiquandam tecum legem hujuſmodi pronuntiavit. Nec ſanè injuriâ, præterve æquitatem. Neque enim hac tu lege, utpote Eccleſiæ Chriſti maximo futurus uſui, continebaris, cùm non in perniciem, ſed in Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem ſacræ ferantur leges: quæque non ſingulares quoſdam, & penè incredibiles præſtantiſsimæ virtutis cohoneſtandæ casûs, ſed communes ſpectant, atque vulgares.*

Ubi

Vbi enim eximia quædam, excellens, ſingularis, divinaque virtus exornanda proponitur, non eſt amplius audienda lex conſueta & communis, ſed inſolitis inſuetiſque meritis inſolita quamvis, inſuetaque præmia ſunt decernenda. Itaque Cardinalis es renuntiatus de more quidem ante tempus: tibi, ſuo tempore: Chriſtianæ verò Reipublicæ, profectò ſerò.

At verò undenam, quibuſve rivis, vel fontibus tot, tantæque virtutes, quæ præſtantiſſimos quoſque ſupra humiliores leges ſublimius extollunt, in mentem animumque tuum deductæ confluxerint, curſim attingam, atque ſummatim expediam. Quî enim fieri poterat ſub Hannibalis *Patrui tui Cardinalis Ampliſſimi inſtitutione, quo minus ſingulari pietate, probitate, prudentia, atque ſapientia limatum te, perpolitumque haberemus? Multos jam annos audientem te* Hannibalem *Patruum tuum totius honeſtatis præceptis inſtitutiſque abundare oportebat, propter ſummam graviſſimi inſtitutoris doctrinam, & probitatem, quarum altera præceptis locupletiſſimis, altera præclariſſimis exemplis ad omnem gravitatem atque virtutem te conformavit, & finxit. Quamobrem quæcumque tibi ſub* Hannibalis *inſtitutione expolito, atque exculto novæ acceſſiones*

factæ ſunt virtutis , atque ſplendoris , ex eo potiſſimum capite ſunt repetendæ , quòd incredibili bonitate naturæ , animique facilitate amantiſſimi Patrui tui conſiliis inſtitutiſque te perficiendum tradideris : quod , agros fertiles imitatus , qui multò plus afferunt , quàm acceperunt , ſic perfeciſti , ut ejus ætas jam ingraveſcens in amore tandem , atque admiratione tui conquieſcat . Quamquam ex longè altiore , atque uberiore fonte , Patrui tui Cardinalis Ampliſſimi pace dixerim , rem totam mihi repetendam eſſe cognoſco . Quis enim ignorat a CLEMENTE XI. P. O. M., *Magno Patruo tuo , multos annos haurientem Hannibalem virtutum omnium rivos uberrimos , & nitidiſſimos , ex fonte omnium maximo profluentes , auctum fuiſſe , atque locupletatum ? Hi ſunt , qui , ex Hannibale redundantes , te totum læta alluvione irrigant , atque circumfluunt . Quamobrem quas admiramur egregias in te virtutes , a* CLEMENTE XI. *per Hannibalem defluentes , multiplici lapſu in animum tuum devolutas minimè dubitamus . Et miramur adhuc ſi* CLEMENTEM XI. *ad vivum exhibes , atque exprimis , cujus virtutes omnes , quæ non pigmenta & fucus , ſed forma ipſa , & tanquam facies veri hominis ſunt ,*

in

in te per Hannibalem confluxerunt ? Nec ſine conſilio Divinæ Mentis factum crediderim , ut illud ipſum nomen , quo Magnus Patruus tuus appellabatur , tibi fuerit inditum , qui egregias animi dotes quondam Jo. Francisci Cardinalis Amplissimi , *poſtea* Clementis XI. P. O. M. *nobis fueras reſtituturus .*

At qui Pontifex Deus Immortalis ! Proh quantùm de Chriſti Domini Eccleſia promeritus ! Immortalia ſunt Clementis XI. *erga univerſam , quâ latè patet , Eccleſiam merita, quorum memoriam nulla unquam delebit oblivio , ſed conſequentes ætates manſuram ſemper excipient . Teſtis eſt , ut cetera omittam , atque id , quod rem noſtram maximè attingit , perſequar , Conſtitutio* Unigenitus , *in quâ* Clemens XI. *totius Chriſtianæ familiæ , ſibi divinitûs demandatæ , Parentem optimum eſſe ſe declaravit . Funeſtiſſimum ſanè convivium Paſchalis Queſnelius Chriſtiano populo inſtruxerat , in quo , innocuis permixta dapibus , fercula nocentiſſima unum ſupra centum , teterrimo veneno infecta atque corrupta appoſuerat : eaque tam variâ exquiſitaque arte condita , ut ſi quis ex convivis unum faſtidiret , ex alterius illecebra ſibi peſtem avidè arriperet . Manu enim tam callida atque*

ſolerti erant confecta, atque parata omnia; adeo ſapidis ſuccis imbuta, titillantibus adeo condimentis adſperſa: quodque capitaliſsimum erat, maximèque peſtiferum, innocuus adeo ſalubriſque ſapor primoribus labris vitiatas epulas deguſtantibus ſic erumpebat, atque emicabat, ut prodigii inſtar eſſet, ſi ex iis etiam, qui omni ſtudio & ſolertia ne inficerentur curarent, atque caverent, unus aliquis reperiretur, qui peſtem illam abditam, mellitamque luem vel incredibili ſagacitate detegeret, vel admirabili continentia repudiaret. Quamobrem cùm in ſummum ſalutis diſcrimen Chriſtiana Reſpublica adducta eſſet, incredibili planè CLEMENTIS XI. *vigilantia perfectum eſt, ne quid detrimenti, in tot tantiſque conſtituta periculis, pateretur. Cum enim in ſingulis quibuſque venenatis dapibus latentem, abditamque peſtem Pontifex, Paſtor, & Pater Optimus, divinâ planè ſapientia, paſtorali ſollicitudine, caritateque paterna detexerit, denuntiaverit, interdixerit, ſatis ſuperque Eccleſiæ incolumitati conſultum, atque proviſum eſt: reſque Chriſtiana e loco maximè ancipiti & lubrico educta in tuto tandem per* CLEMENTEM XI., *tanquam in arce firmiſsima, eſt collocata.*

Et quamvis ad quatuor fermè ſupra decem

cem

cem errorum capita una ſupra centum Queſnelianæ ſententiæ, tanquam totidem membra, revocari facilè poterant, atque perſtringi, non ſatis habuit ſapientiſsimus æquè Pontifex, ac prudentiſsimus ſola capita errorum obtruncare, ſed e re Chriſtiana eſſe duxit, ſingula vitiata membra, ne veluti cancer deinceps ſerperent, uno ictu, ſed vulnere vario amputare: totumque Queſnelianum monſtrum, immiſſo turmatim cenſurarum milite, membratim, minutatimque concidere. Hinc factum eſt, ut regendæ Eccleſiæ Pontifex ſcientiſsimus maculas omnes, nulla ut fas erat neglecta, prætermiſſa nulla, quæ ex Janſeniana ſanie Eccleſiæ membris non admodum paucis inhæſerant, una veluti litura abſterſerit, atque deleverit: ſervaveritque Chriſto Domino, Cæleſti Sponſo, Glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ut ſit ſancta, & immaculata. (*ad Epheſ. cap. 5.) Facem prætulerant Clementi XI. in ea, quam arripuit cum Queſnelianis, compendiaria atque expeditiſsima via, Leo X., Pius V., Gregorius XIII., Alexander VIII., qui neque ab una ſupra quadraginta Lutheri, neque ab novem ſupra ſeptuaginta Baii, neque ab una ſupra triginta Janſenianorum pro-*

proſcribendis propoſitionibus , nullo numero , multitudine nulla deterriti , ſibi parcendum exiſtimarunt .

At nullum profectò illuſtrius , celebriorique fama nobilitatum exemplum ad vindicandam , vel ab obtrectatorum dicacitate , vel ab imperitorum inſcitia , CLEMENTIS XI. *Conſtitutionem , in medium produci , inque lucem proferri poteſt , quàm pervulgatum Vigilii Conſtitutum , quo Pontifex ſapientiſsimus ſexaginta , nec eo pauciores , Theodori Mompſueſteni propoſitiones omnes ad unam damnavit . Si enim Vigilii factum diligentius excutiamus , ex eo protinus eliciemus , emicabitque , ſexaginta Theodori Mompſueſteni propoſitiones a Vigilio proſcriptas meras fuiſſe imagines unius hæreſis Neſtorianæ , multiplici , copioſaque colorum varietate delineatas , quibus tres , nec eo amplius , Neſtorii errores , jamdudum a Cæleſtino proſcripti , reſtituebantur , iterumque in ſcenam ſub multiplici , variaque larva perſonati prodibant : Quemadmodum centum & una Paſchalis Queſnelii propoſitiones a* CLEMENTE XI. , *ex centum & quinquaginta apud ſe in judicium vocatis , proſcriptæ , totidem , paucis exceptis , ſimulacra ſunt & imagines unius hæreſis Janſenianæ , quæ nobis quinque Janſenii*

ſenii propoſitiones, jampridem ab Innocentio X. damnatas, nova colorum, pigmentorumque admixtione, ſub varia multiplicique ſpecie, iterum exhibent, atque referunt. Præterea animo reputabat Vigilius, neque enim futuri eventûs obſcura ſigna anteceſſerant, quot, quantaſque turbas in univerſa fermè Occidentali Eccleſia, uti re ipſa evenit, ea propoſitionum ſexaginta damnatio propediem eſſet excitatura: Quemadmodum præſentiebat animo Clemens XI., *quod familiaribus ſuis non ſemel ſignificaverat, ex damnatione unius atque centum propoſitionum penè univerſam Galliam perturbatum iri. Nihilo tamen minus præmeditata hæc, atque præviſa incommoda, utpotè multo majori Chriſtianæ Reipublicæ commodo compenſanda, neque Vigilium a ſexaginta Mompſueſteni, dudum in Neſtorio damnatis, neque* Clementem XI. *a centum & una Queſnelii, pridem in Janſenio proſcriptis, iterum iterumque jugulandis, conficiendiſque propoſitionibus deterruerunt.*

Quod ſi ſubtilius comparare velimus cum Vigilio Clementem, factumque unius cum facto alterius componere, atque utriuſque conſilium, rationem, cauſſamque omnem expendere, ac ponderare, ſic utrinque omnia paria, ſimilia om-

Digitized by Google

omnia , & propè eadem ſe prodent , ut vel minima diſcrepantia apparere prorſus non poſſit . *Extat Conſtitutum Vigilii tom.* VI. *Concil., edit. Venet. an.* 1728., *ad An. Chriſti* 554. *pag.* 308., *in quo interpolata oratione , ſoliſque nominibus permutatis ,* CLEMENTEM XI. *Vigilii voce loquentem non abs re fuerit ſic induxiſſe .* Cum enim Neſtoriani (*Janſeniani*) ante plures annos non valerent impia ejus dogmata , ſub ipſius damnati Neſtorii (*Janſenii*) nomine, quorumdam ſenſibus decipiendis inſerere , hinc proferendi erroris ſui opportunitatem exquiſitis fraudibus invenerunt, ut ex Theodori Mompſueſteni (*Paſchalis Queſnelii*) libris , impia rurſus Neſtorii (*Janſenii*) dogmata blaſphemiis majoribus innovata introducere niterentur . Quorum venena diuturnis temporibus occultè ſerpentia , nunc aperta profeſſione manantia , noſtros , & Chriſtianiſſimi Principis *Juſtiniani Imperatoris* , (*Ludovici Magni Galliarum Regis* ,) omniumque orthodoxorum animos permoverunt , attendentium non eſſe ulterius differenda remedia , ubi per patientiam diſſimulatione nutrita , tam magna mali videtur creviſſe pernicies . Hoc enim memoratos Neſtorianos (*Janſenianos*) publicè & in-

Digitized by Google

inceſſanter adſtruere nulli venit in dubium, dicentes, Nos patrem non tam Neſtorium, (*Janſenium*) quàm Mompſueſtenum Theodorum (*quàm Paſchalem Queſnelium*) veneramur, ejuſque libros tota noſtræ devotione mentis amplectimur. Quorum Neſtorianorum (*Janſenianorum*) vocibus nonnullus ineruditi vulgi numerus cotidianis diebus prava ſeductione decipitur. Cum ergo conſtet amplius per Theodori (*per Paſchalis Queſnelii*) nomen atque conſcripta Neſtorianæ (*Janſenianæ*) hæreſis errorem populis intromitti, quàm vivus potuit inferre Neſtorius, (*Janſenius*) non tam negligentiæ, quam conniventiæ diſcrimen nos credidimus incurſuros, ſi tam neceſſariæ correctionis, quam periclitantis Eccleſiæ diſpenſatio flagitat, differri ulterius remedia pateremur. *Hæc veluti alternis vocibus in cauſſa, ſine ulla prorſus diſcrepantia, perquamſimillima, Vigilium, atque* CLEMENTEM XI. *communi quaſi conſilio, auctoritate, ſententia conſtituentes, nec induxiſſe me piget, nec æquum quemquam, & acrem rectè factorum judicem, intellexiſſe ſe pœnitebit.*

Nunc verò ſi parva magnis componere, ac comparare fas eſt, ab ampliſſimis beneficiis,

quibus CLEMENS XI. *univerſam cumulavit Eccleſiam, ad munera præclariſſima, quibus Societatem noſtram amplificavit, accedam. Splendidiſſima ſanè ornamenta cenſeri debent, quæ a* CLEMENTE XI. P. O. M. *in Societatem Jeſu profecta ſunt, quibus nos exornatos voluit ampliſſimè. Hannibalem, & Carolum, neque enim tunc Alexandrum per ætatem licebat, Horatii Fratris filios optimos, atque elegantiſſimos adoleſcentes, litteris excolendos, boniſque moribus informandos moderatoribus noſtris purpuratus Pater commiſit, renuntiatuſque Pontifex confirmavit. Joannem Baptiſtam Salernum Hannibali ad Cæſarem Legato & itineris comitem, & participem conſiliorum adjunxit: eundemque, & Joannem Baptiſtam Ptolemæum, atque Alvarum Cienfuegos, Sodales noſtros in ampliſſimum Apoſtolici Senatûs Collegium cooptavit. Neque verò quia voti religione a ſplendidiorum munerum cupiditate abſtrahimur, idcircò eorum, qui ad obeunda ampliſſima munera benevolentiſſimo Noſtrates imperio compellunt, obliviosa veluti deſpicientia, ſumus immemores. Sanctiſſimo adoleſcenti, Societatis noſtræ Tyroni, Stanislao Koſtkæ ſolemnes Cæleſtium honores decrevit. Infinitus quodammodo ſim, ſi beneficia ſingula, quæ a* CLEMENTE XI.

in

in Societatem Jeſu profecta emanarunt, enumerando perſequi velim. Tanta autem CLEMENTIS XI. *erga Societatem noſtram benevolentia in Ampliſſima Albana Gente adeò inſita inolevit, ut a majoribus natu conſequentibus poſteris hereditario quodam jure tradatur: neque ad illos ut legata teſtamento, ſed ut poſſeſſione retenta perveniat. Hanc ex Patruo Sanctiſſimo, veluti ex primo fonte, Hannibal, & Alexander, Horatii majoris filii, Cardinales Ampliſſimi hauſerunt, inque Caroli fratris filios Horatium, Jo. Franciſcum, Carolum effuderunt, qui in Seminario Romano, curante Hannibale Cardinale Ampliſſimo, pietate, atque ſapientia abſolutiſſimè perpoliti, ac limati, ſingulari benevolentia nos complectuntur.*

Neque enim exiguum eſt amoris erga nos tui argumentum, ut ad te, a quo dilapſus ſum, referar, CARDINALIS AMPLISSIME, *quòd noſtratum aſſidua conſuetudine delecteris, quòd familiariſſimè ſodalibus noſtris utaris, quòd ſocii noſtri apud te locum teneant honeſtiſſimum, quòd veſpertinas horas in Seminario Romano, commentandi cauſsâ, inter ſpectatos politioreſque viros, traducere conſueveris, quibuſcum aliud ex alio nectendo, mutuoſque ſermones*

Digitized by Google

conſerendo , & animus a gravioribus curis relaxatur , & novis in dies inveſtigationibus ſcientia rerum augetur . Quid , quod Domus Albana Societatis alumnis ſemper patuit ? Quàm promptus noſtris hominibus , ad illos conveniendi cauſsâ accedentibus, aditus! Quanta facilitate excipiuntur ! Quanta comitate detinentur ! Quanta humanitate pertractantur ! Tanta , ut , cum digrediendi tempus advenerit , ægre ſe ab illis divelli patiantur . Hæc ſunt , Jo. Francisce Albane , Cardinalis Amplissime , *quæ poteſtatem mihi omnem præripuerunt cuicumque alteri præter te has meas elucubratiunculas nuncupandi : quibus rationibus , non dicam admonitus vel incitatus , ſed ſuaviſsima quadam vi compulſus , atque coactus , conſilium illuſtrandæ obſcuri libelli frontis ſplendore nominis tui paullo fidentius ſuſcepi , quem ex domeſtica exercitatione & umbratili medium in agmen , in pulverem , in clamorem , in caſtra , aciemque ipſam diſceptatricem , Auſpice te , educere non reformido , cùm ſummo te illi præſidio , maximoque adjumento futurum planè dubitare non poſsim . Habes igitur explicatas , evolutaſque totius ſuſcepti a me conſilii rationes , quas tibi non indecoras , mihi verò ſplendidiſsimas futuras eſ-*

ſe

ſe confido . Quæ cum ita ſint , unum reliquum ſupereſt , ut ea benevolentia , & auctoritate inſcriptum tibi opuſculum ſuſtentes , ac tuearis , qua ſcriptorem ipſum minuti operis , & impoliti , diuturna neceſſitudine tibi devinctum , tueri , ac ſuſtentare ſemper conſueviſti . Vale .

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM

De Querelis Janſeniſtarum.

I. INveterata querela, & vetuſtate ipſa tritus hæreticorum omnium mos eſt, ea, in quæ eorum quiſquis inciderit, ſemper Eccleſiæ tempora vituperare: corruptam depravatamque myſteriorum, morumque doctrinam lamentari: ſublatam funditûs, vel enervatam admodum priorum temporum diſciplinam conqueri: &, quòd penè nihil de priſtinâ veteris Eccleſiæ integritate, de ſeveritate verò nihil omnino, apud eam, quæ in ore hominum eſt, Eccleſiam retineatur, paſſim declamitare: ſe graviter angi, & penè dolore confici, quòd, cùm vetus Eccleſia quondam fuerit florentiſſima, profligatiſſimam, abjectiſſimamque ætate ſua nacti fuerint Eccleſiam. Neque verò ad proſequendam luctuoſis queſtubus ſuorum temporum depravationem, caritate ſincera ſive veteris religionis, ſive

Digitized by Google

ſive veteris doctrinæ, ſive veteris diſciplinæ commoventur; ſed acriori veteris Phariſaici fermenti ſucco aceſcentes, adversûs præſentem, quam habent Eccleſiam, inſano quodam, turbulentoque fervore agitantur. Quod animadvertens S. Gregorius, *Vetuſtatis* agnomen, quam frequentiſſimè uſurpant, hæreticis convenire aptiſſimè docet, de quibus, trium amicorum Job nomina explanans, *Baldath*, inquit Præfat. in Job cap. 7., *interpretatur vetuſtas ſola. Benè autem omnes hæretici in his, quæ de Deo loquuntur, dum non intentione recta, ſed appetitione temporalis gloriæ videri prædicatores appetunt, vetuſtas ſola nominantur*. Quare animo ſanè acerbiſſimo, iniquiſſimaque mente prioris Eccleſiæ ornamenta, atque præſidia prædicant; noſtræ autem calamitates, ærumnaſque commemorant. Neque enim id agunt, ut ad commiſerationem, opemque afferendam Matri laboranti filios Eccleſiæ provocent; ſed ut ad diſſenſiones, diſcordias, diſſidia, quæ in civilia bella tandem erumpant, adversûs communem Matrem, ſi Superis placeat, morigeram prolem acuant, urgeantque. His artibus, atque fallaciis, falſaque pietatis objecta ſpecie, novam, eversâ funditûs antiquâ, quam retinemus, poſſe ſe Eccleſiam moliri arbitratu ſuo, audaciſſimoque conſilio ſibi ſuadent. Teſtem adduco Auguſtinum, ne ab ejus latere vel hoc loco videar diſcedere. Quod enim pertinet ad abſurdam doctrinam, qua inſimulare ſolent hæretici Eccleſiam, hoc Manichæi, hoc Jovinianus, hoc Pelagiani, hoc hæretici ceteri frequentibus uſurpare ſermonibus conſueverunt. Jovinianum

nianum Manichæiſmi accuſare ſolitum fuiſſe Eccleſiam, Arianos non ſecus ac Sabellianam Eccleſiam Catholicam traduxiſſe, Pelagianos Manichæiſmum exprobrare catholicis conſueviſſe, auctor eſt Auguſtinus Lib. 2. de Nup. & Concup. cap. 23. num. 38. tom. 10., cujus hæc verba ſunt: *Jovinianus Manichæis patrocinari dicebat catholicos: Ariani Sabellianos nos eſſe criminantur: Pelagiani nobis Manichæos objiciunt.*

II. Simili fraude, eodemque dolo malo ad debilitandam, frangendamque Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ætatis noſtræ hæretici utuntur, quorum nefario auſu, & conatu inflicta ab hæreticis antiquioribus Eccleſiæ vulnera, quæ vetuſtate occalluiſſe jam videbantur, iterum recrudeſcunt, dum novis criminationibus obductam veluti cicatricem refricare non erubeſcunt. Pelagianam, vel Semi-Pelagianam præſentem, quam habemus, Eccleſiam criminantur. Unum ſatis ſuperque ſit protuliſſe Iprenſem olim Epiſcopum, Cornelium Janſenium, cujus, e quinque damnatis, hæ ſunt extremæ duæ ab Eccleſia reprobatæ propoſitiones: IV. *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* V. *Semi-pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Ab hac ſententia non diſceſſerunt, neque hodie diſcedunt, ſed in eam eunt, atque deſcendunt frequentes, quotquot in Calviniana, & Janſeniana hæreſi ſunt; ſed nullo ſanè ve-

ritatis

ritatis ſuffragio, nullo veriſimilitudinis præſidio ſepti, ac muniti. Itaneverò quia Catholica Eccleſia docuit ſemper, & docet, Chriſtum Dominum pro omnibus omnino hominibus & mortuum eſſe, & ſanguinem ſuum ſudiſſe: quia Catholica Eccleſia conſtans ſemper & conſentanea ſibi ipſa fuit, docendo, voluntatem humanam prævenienti gratiæ interiori arbitrio ſuo reſiſtere poſſe, & obtemperare, hac de cauſſa tanquam Semi-Pelagiana exſibilanda proponitur? Ergone quia Catholica Eccleſia non eſt (quod & fieri omnino non poteſt) Manichæa, non Prædeſtinatiana, non Lutherana, non Calviniana, non Bajana, non Janſeniana, non Queſneliana, Semi-Pelagianam protinus eam eſſe affirmare homines impudentiſſimi non verentur? Qua voce, qua fronte, quo ore, qua impudentia incredibili, effrænataque temeritate a Janſenianis, eorumque adjutoribus, Scriptores Catholici de Chriſti Eccleſia optimè meriti, qui ab omni cum Semi-Pelagianis vicinitate, tam longè ſepoſiti abſunt, quàm qui maximè, tanquam accedentes ad Semi-pelagianos apud rudem plebeculam, per ſummum dedecus, impudentiſſima dicacitate traducuntur? Qui fabulas haſce indocto popello venditant, hæreſim tribuunt ſcriptoribus probatiſſimis, quam, vel quæ fuerit turpiter ignorant, vel in eos cadere impudenter mentiuntur. Quàmquam equidem mirari deſino, catholicos noſtros theologos Semi-Pelagiana labe iniquè, & contumelioſè notatos a Janſenianis, cùm ipſimet Auguſtino, quem ſingularem magiſtrum, ac doctorem ſuum ſibi vindicant, minimè parcant,

notamque Semi-Pelagianam duci & ſignifero, ut ajunt, ſuo frequentiſſimè inurant. Fatetur Auguſtinus in quibuſdam ſuis elucubratiunculis, ante Epiſcopatum ſuum adornatis, ſenſiſſe ſe, quod Semi-Pelagiani poſtea ſenſerunt, initium ſcilicet fidei ex ſolis naturæ viribus proficiſci. Hujus autem erroris ſui unicum & ſingulare S. Doctor profert exemplum, ex repentina illa interpretatione Epiſtolæ ad Romanos depromptum, quæ invito ſibi atque imprudenti e manibus excidit. Tenuiſſimo hoc adminiculo Janſeniani innixi, quoties permulta Auguſtiniana placita, ex plurimis variiſque S. Auguſtini Libris, ex iis etiam qui maximo in pretio apud eos ſunt, decerpta, ad convellendas abſonas abſurdaſque eorum opiniones turmatim eis objiciuntur, toties ſingulari impudentia, atque inconſtantia incredibili vociferantur, in omnibus illis vel frequentiſſimis locis Semipelagianiſmum ſapere, & olere Auguſtinum.

III. Nunc autem refero me ad illam, quam paulò ante protuli, damnatam in Janſenio propoſitionem, quæ eſt hujuſmodi, *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Bipartita eſt propoſitio; cujus pars prior, ſcilicet, *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei*, hiſtorico-dogmatica dicenda eſt: Altera vero pars, ideſt, *In hoc* Semi-Pelagiani *erant hæretici, quòd vel-*

vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, eſt omnino dogmatica. Adeò enim tenaciter pars prior hiſtorica devincta, & complicata eſt cum poſteriori parte dogmatica Janſenianæ propoſitionis, ut, ſi primam partem ſemel Janſenio conceſſeris, non ſit amplius in tua poteſtate, niſi apertè tecum ipſe pugnare velis, alteram illi partem denegare. Et hac de cauſſa priorem partem illam Janſenianæ propoſitionis hiſtorico-dogmaticam jure, meritoque eſſe confirmo. Nam, finge tibi Semi-Pelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: neque in eo Semi-Pelagianos fuiſſe hæreticos, quod prævenientis gratiæ interioris ad actus quoſdam, vel ad unum ipſum ſaltem initium fidei negaverint neceſſitatem, peto, ſi minimè in hoc, in quonam peccabant, in quo errabant, in quo tandem aliquando hæretici erant Semi-Pelagiani? Quò te cunque verteris, quidquid inveſtigaveris, omnem licet, ut ajunt, lapidem moveris, niſi vel hoſpes omnino, & peregrinus fueris in hiſtoria Semi-Pelagiana, vel novam, inauditamque hæreſim arbitratu tuo procuderis, eamque Semi-Pelagianis appinxeris, velis nolis, concedere Janſenio cogeris, In hoc Semi-Pelagianos fuiſſe hæreticos, quòd vellent, prævenientem interiorem gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare; ac proindè Eccleſiæ Catholicæ doctrinam eſſe, voluntatem humanam nequaquam poſſe prævenienti gratiæ interiori arbitrio ſuo reſiſtere, vel obtemperare; quod hæreticum omnino

nino eſt, jampridem in Luthero, & Calvino a Tridentino Concilio damnatum, iterumque ab Innocentio X., univerſaque Eccleſia in Janſenio proſcriptum, ac reprobatum. Hac de cauſſa congruâ & conſentaneâ utrique parti cenſurâ ab Innocentio X. Janſenii propoſitio damnata fuit. Pars prior, ſcilicet, *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei*, utpotè hiſtorico-dogmatica, tanquam falſa, falſitate Canonica, fuit reprobata: At pars dein poſterior Janſenianæ propoſitionis, ideſt, *In hoc* Semipelagiani *erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, utpote quæ Catholicum ipſum dogma convellere niteretur, tanquam omninò hæretica proſcripta fuit.

IV. Quod autem Semi-Pelagiani nunquam profecto admiſerint prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad actus ſingulos, maximè verò ad incœptionem fidei, & ad perfectionem perſeverantiæ, quibus generibus continentur cogitationes, appetitioneſque piæ, pia deſideria, & pia quævis voluntas, quos actus, utpote qui interiores, inter opera bona, quæ foras erumpunt, Semi-Pelagiani non numerabant: quodque, primum illud negando, fuerint hæretici, quidquid Janſenius cum ſuis cultoribus ex adverſo blateret, res eſt adeo certa, explorata, perſpicua, & ipſa, ut ajunt, meridiana luce ſplendidior, ut oculos ipſe ſibi effodiſſe dicendus ſit, qui hæc non videat. Locupletiſſimos teſtes adhibeo Proſperum, Hilarium, Auguſtinum, Ampliſſimoſque Patres Concilii Arau-

xicani

Digitized by Google

xicani 11., reconditioris Semi-Pelagianiſmi pleniſſimè conſcios. Proſper enim, & Hilarius in ſuis ad Auguſtinum datis epiſtolis, quarum altera Proſperi eſt nunc Auguſtinianas inter 225.; altera verò Hilarii eſt nunc ibidem 226., certiorem faciunt Auguſtinum de placitis Semi-Pelagianis, quæ latè ſerpebant per Galliam: narrantque, Gallos Semi-Pelagianos negare neceſſitatem prævenientis gratiæ interioris ad primos piæ voluntatis motus, ac proinde ad initium fidei, humanæ ſalutis exordium; atque ſtatuere, pios hos naturæ conatus inſtar meriti ſubſequentem præcedere gratiam, non inſtar muneris præcedentem conſequi gratiam. *In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis*, Proſperi verba ſunt num. 7. commemoratæ epiſtolæ, *non mediocris virulentiæ fibra nutritur; ſi principium ſalutis malè in homine collocatur; ſi Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur, velit; ſi originaliter malus receptionem boni non a ſummo bono, ſed a ſemetipſo inchoare malè creditur; ſi aliunde Deo placeatur, niſi ex eo, quod ipſe donaverit*. Quod ad Sanctum Hilarium pertinet, hic ſignificatâ ad Auguſtinum epiſtolâ num. 2., Maſſilienſium Semi-Pelagianorum ſententiam explicans, *Ceterum ad nullum*, inquit, *opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt. Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate, unumquemque ægrotum velle ſanari .... Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm Medicum quærat, non autem*

quid-

Digitized by Google

quidquam ipſa jam valeat. Nam illa teſtimonia, ut eſt illud, Sicut unicuique partitus eſt menſuram fidei, & ſimilia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cœperit velle; non ut etiam donetur, ut velit.

V. Duabus redditis ſibi litteris, quarum altera Proſperi, altera verò Hilarii, totidem Libris Auguſtinus reſpondet, in extrema ſua ſenectute confectis expolitiſſimè, quorum alter, *De Prædeſtinatione Sanctorum*; alter verò, *De Dono Perſeverantiæ*, eſt inſcriptus. In Libro, *De Prædeſtinatione Sanctorum*, copioſiſſimè, & robuſtiſſimè diſſerit Auguſtinus contra Gallos Semi-Pelagianos de neceſſitate prævenientis gratiæ interioris ad actus ſingulos, maximè verò, quod capitale erat Semi-Pelagianis, ad initium, & perfectionem fidei. *Sicut nemo*, inquit commemorato Libro Auguſtinus cap. 2. num. 5. tom. 10., *ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum, quod jam iſti fratres*, Epiſcopi cum Presbyteris Gallis Semi-Pelagianis, *ſicut veſtra ſcripta*, Proſperi, & Hilarii litteræ, *indicant, verum eſſe conſentiunt; unde in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt: Ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quoniam ſi fides non cogitetur, nulla eſt: & non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobiſmetipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Altero verò Libro, qui *De Dono Perſeverantiæ* eſt inſcriptus, eandem incudem perpetuis ictibus tundit Auguſtinus, plurimuſque ibi eſt in demonſtranda contra Maſſilienſes Semi-Pelagianos

præ-

Digitized by Google

prævenientis gratiæ interioris neceſſitate, non ſolùm ad initium fidei, verum etiam ad perſeverantiam in fide. Satis, ſuperque ſit, unam ex propemodum infinitis, quæ in idem recidunt, deprompſiſſe ſententiam, ex cap. 17. num. 43. tom. 10. ejuſdem Libri decerptam, ubi ſic diſſerit Auguſtinus, *Hæc ergo Dei dona ſunt, ideſt, ut de aliis taceam, ſapientia, & continentia. Adquieſcunt & iſti: neque enim Pelagiani ſunt, ut adversùs iſtam perſpicuam veritatem, dura & hæretica perverſitate, contendant. Sed hæc, inquiunt, ut a Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit a nobis: quam fidem & incipere habere, & in ea uſque in finem permanere, tanquam id non a Domino accipiamus, noſtrum eſſe contendunt. Hìc procul dubio contradicitur Apoſtolo dicenti, Quid enim habes, quod non accepiſti? Contradicitur & martyri Cypriano dicenti, In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Hæc Auguſtinus. Ea verò, quæ de Semi-Pelagianis placitis, refellenda retulit ad Auguſtinum Proſper, iterum, iterumque confirmat Libro, qui inſcribitur, *Contra Collatorem* cap. 3., ubi de Maſſilienſibus Semi-Pelagianis teſtatur, quod *ipſos laudabiles motus, appetituſque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adſcribebant*. Quod autem pertinet ad Concilium Arauxicanum II., ſedente Felice IV., anno 529. contra Semi-Pelagianos celebratum, & a Bonifacio II. Felicis ſucceſſore confirmatum, cujus canones, tanquam certiſſimas fidei regulas, Eccleſia univerſa complexa eſt, quo Concilio, poſt centum fermè annos ab Auguſtini obitu, qui contigit anno 430.,

de-

deleta penitus, atque extincta eſt Semi-Pelagiana hæreſis: quod pertinet, inquam, ad Concilium Arauxicanum II., duo Sole ipſo illuſtriora, in hac Arauxicana Synodo adversûs Semi-Pelagianos coacta, ſeſe nobis exhibent conſpicienda. Alterum eſt, inter canones Arauxicani II., ne tenuiſſimum quidem ſe prodere indicium, de eo, quod Semi-Pelagiani in hoc fuerint hæretici, quòd vellent, gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare; quod perfractè, & hæreticè contendebat Janſenius. Altiſſimum enim in re graviſſima, in qua vertitur præcipua doctrina Eccleſiæ, Arauxicanorum Patrum ſilentium, etiamſi cetera omnia deeſſent, exploratiſſimum argumentum eſt Janſenianæ fabulæ, atque calumniæ. Alterum eſt, Semi-Pelagianos perſpicuis verbis negaſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos quoſque actus, maximè verò ad initium fidei; in quo planè ab Eccleſiæ doctrina aberrabant: quidquid Janſenius, cum ſuis hac ſuper re ſtipatoribus, temerè atque inconſultè reclamet. Etenim canone V. Arauxicani II. contra Semi-Pelagianos definitum eſt, *Initium fidei non eſſe in nobis naturaliter, ſed per inſpirationem Spiritus-Sancti*. Et canone VII. ejuſdem Concilii adversûs eos ipſos Semi-Pelagianos eſt declaratum, *Per naturæ vigorem nihil boni poſſe cogitari, ut expedit; ſed per illuminationem, & inſpirationem Spiritus-Sancti*.

VI. Venio nunc ad putidas, recoctas, atque ad faſtidium uſque obtruſas Janſenianorum querelas, de relaxata & remiſſa, ut ajunt, priſtina, quæ in antiquiori

Digitized by Google

quiori Eccleſia vigebat, morum doctrina. Illud paſſim nobis objiciunt, prioribus Eccleſiæ ſæculis, ſanam & integram ſervatam doctrinam morum; at ætate noſtra a blandis, benigniſque morum magiſtris, quo ſuavius in aures, animoſque depravati populi influerent, non modò debilitatam, ſed penè totam eſſe corruptam: ſe autem novos Curios, novoſque Catones tanquam e cælo delapſos venditant, ut cenſoria, quam jure ſuo ſibi vindicant, poteſtate, curent collapſam morum doctrinam reſtaurare, exulantem reducere, & priſtino domicilio reſtituere, ac veluti poſtliminio revocare. Ecce tibi Janſenianorum querelas contra mollem, ut ſcriptitant declamitantque, languentem, diffluentem, jacentemque doctrinam morum: quam, quòd ubique gentium diffuſam, per univerſam penè Eccleſiam manare latiſſimè videant, angi ſe maximè, atque excruciari fatentur. Dolent, ut ajunt, apud omnes fermè theologos, apud omnes penè Academias Catholicæ Eccleſiæ, ſæculis retrò elapſis, laxiſſimam, molliſſimamque, ac proindè falſam, erroneamque Chriſtianorum morum doctrinam prævaluiſſe. Hæc ſunt maledicta, quibus Eccleſiæ Catholicæ dignitatem, integritatem, auctoritatemque Janſeniani proſcindunt: quæ quanta impudentia, quanta impietate, quanta temeritate, quantaque cum Eccleſiæ Catholicæ contumelia ſcriptitari, declamitarique ſoleant, paucis expediam.

VII. Sanctum, firmum, immotumque eſt, Portas inferi contra Eccleſiam nunquam prævalituras: (Matth. 16.) Chriſtum Dominum, diebus omnibus

uſque ad conſummationem ſæculi, Sponſæ ſuæ Eccleſiæ, quin ab ea divellatur unquam, præſtò atque in procinctu adſuturum: (Matth. 28.) Spiritum Paracletum, veritatis Spiritum, manſurum cum Eccleſia in æternum; & eam ipſam Eccleſiam veritatem omnem docturum. (Joan. 14. & 16.) Divinis hiſce innixa, & ſuſtentata promiſſis, quæ convelli omnino non poſſunt, *Eccleſia Dei vivi Columna, & Firmamentum eſt veritatis*. (1. ad Tim. 3.) Quamobrem Chriſti Domini Eccleſia, nullò unquam temporis intervallo, poteſt deficere: Atqui aliquo temporis intervallo Eccleſia deficeret, ſi, eo temporis ſpatio, vel major Eccleſiæ pars in aliquo ſive contra doctrinam fidei, ſive contra doctrinam morum verſaretur errore. Hi enim duo errores, quorum alter doctrinæ fidei, alter verò doctrinæ morum repugnat, & adverſatur, duæ illæ Portæ ſunt inferi, quæ Chriſto Domino vade, & ſponſore, nunquam futurum eſt, ut contra Eccleſiam prævaleant. Jam verò aliquo temporis intervallo erraret Eccleſia, ſi longa ſatis ætate, Eccleſia docens, paſcens, & regens, errorem contra doctrinam morum probaret, ratumque haberet. Etenim Eccleſia Chriſti in ſuis Epiſcopis docens, paſcens, & regens, quorum Caput dignitate, juriſdictione, & auctoritate, Romanus eſt Pontifex, errorem probando, ratumque habendo, in illum ipſum errorem pertraheret alteram ſibi ſubjectam Eccleſiæ partem, eam, ſcilicet, quæ a ſuis Doctoribus, Paſtoribus, atque Rectoribus docetur, paſcitur, atque regitur. Ergo fieri omnino non poteſt, ut Eccleſia

cleſia Chriſti Domini in Epiſcopis docens, paſcens, & regens, errorem contrarium morum doctrinæ probet, ratumque habeat. Jam verò, finge animo, quod fieri omnino non poteſt, quamvis id factum eſſe, & fieri adhuc Janſenianorum rabulæ paſſim, impudenterque declamitent, finge, inquam, animo, Eccleſiam docentem, paſcentem, atque regentem, publicum, generalem, diuturnumque errorem, morum doctrinæ contrarium, tolerare, diſſimulare, tacere: finge animo, errori hujuſmodi non reſiſtere, devios theologos ad recti ſemitam non reducere, errantes Academias ab errore non revocare, protinus, atque è veſtigio, legitima conſecutione concluditur, Eccleſiam docentem, paſcentem, atque regentem, errorem contrarium doctrinæ morum probare ſe, atque ratum habere; quinimo ipſam ſe erraſſe palam oſtendere, ac declarare. Nam diſt. 83. cap. *Error*, definitum eſt: *Error, cui non reſiſtitur, approbatur*. Et cap. *Qui alios* tit. de hæret. *Qui alios, cum poteſt, ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat*. En tandem quò evadunt inſanæ Janſenianorum declamationes, & clamores intemperantes, ſcilicet, ut oſtendant, ſi Superis placeat, nullam amplius nos permanentem habere Eccleſiam.

VIII. Verum enim verò nullum profecto exemplum in medium Janſeniani poſſunt afferre, ſi omnem repetant ab Eccleſiæ incunabulis præteritam memoriam temporis, quo vel tenui conjectura oſtendant, Eccleſiam docentem, paſcentem, regentem, errorem publicum, & generalem, ſive ad doctrinam

fidei, ſive ad doctrinam morum pertinentem, longa ætate, vagari liberè paſſam eſſe, animoque æquo tuliſſe; cùm potius contra generis cujuſque errores protinus reclamaverit, omnique cunctatione remota, contra quamcumque abſurdam, atque abſonam opinionem conſtantes, immutabileſque definitiones ſuas objecerit. Tenentur enim, ratione divinitûs ſibi commiſſi ſacri depoſiti, contra pravam morum doctrinam publicam, generalem, atque notoriam, & Epiſcopi per orbem Chriſtianum, veluti in ſpeculis diſpertiti, quàmprimùm reclamare, & Romani Pontifices, Cathedram Petri tenentes, quavis abjecta mora, e loco Eccleſiæ ſupremo, firmum, perpetuum, atque irrevocabile oraculum edere. Neque verò Magiſtros Eccleſiæ, ceſſando, aut cunctando, ſuo quandoque muneri defuturos ſuſpicari quis audeat, cùm Chriſtus Dominus voce clariſſima ſpondeat, certoſque nos faciat, ſe cum Eccleſia docente, diebus omnibus, uſque ad conſummationem ſæculi futurum; Spiritum Paracletum, veritatis Spiritum Eccleſiæ ſe docenti daturum, ut veritatem omnem pro rei, loci, temporis opportunitate, quoties occaſio inciderit, eam doceat. Quamobrem cum neque contra Chriſtum Dominum, neque contra Spiritum-Sanctum Portæ inferi prævalere unquam valeant, neque pariter fieri ullo pacto poteſt, ut contra Eccleſiam docentem quandoque prævaleant. Noverat hæc divinus homo Auguſtinus; hiſque rationibus adductus & perſuaſus graviſſimam, præclariſſimamque ſententiam, in ſacrarum regularum album relatam, quæ ad auctoritatem

tem

tem pertinet Eccleſiæ docentis, litteris immortalibus commendavit, quam nulla unquam delere debet oblivio. Extat definitio Auguſtini Epiſt. 55. ad Januar. cap. 19. num. 35. tom. 2. his verbis expreſſa, *Eccleſia Dei, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, NON TACET, non facit*. Jam verò ſi Janſeniani ſuis inſanis declamationibus diuturnam, publicam, generalem laxitatem morum reprehenderent, quæ Chriſti Eccleſiam invaſerit, malè profectò de fratribus, ut ajunt, ſuis, filiis Eccleſiæ mererentur, quos in invidiam adducerent vitæ depravatæ, & corruptæ; nec eo melius dignitati, ac ſplendori communis omnium Parentis Eccleſiæ conſulerent, quam omni flagitiorum genere contaminatam prædicarent; adhuc tamen aliquo modo tolerabilia hæc poſſent videri; verum enim verò quia criminantur diuturnam, publicam, generalem diſſolutionem, & laxitatem, non ſolùm Chriſtianorum morum, ſed Chriſtianæ etiam doctrinæ, quæ eſt regula morum, non ſecus atque abſonæ & abſurdæ opiniones per univerſam Eccleſiam jamdiu longè, latèque manaverint; illamque fingunt, in tanta corruptela, ac depravatione doctrinæ, oſcitantem, dormientem, quin gravi veterno oppreſſam, ac penè intermortuam, egentemque, ut, admotis Janſenianis aculeis, facibuſque, excitetur, quo nihil audacius, impudentius, petulantius nihil contra caſtiſſimam, & integerrimam Chriſti Domini Sponſam poterat evulgari, nullo modo ferenda eſt temeraria hæc hominum inſanorum dicacitas, qua, virus acerbitatis ſuæ, qua voce, qua ſcri-

Digitized by Google

ſcriptis evomentes, contumelioſiſſimis maledictis integritatem, ſanctitatemque docentis Eccleſiæ proſcindunt, cujus nituntur firmiſſima ſanæ doctrinæ, quæ ad mores pertinet, fundamenta convellere. Neque verò Chriſtus Dominus promiſit Eccleſiæ ſuæ, cujuſcumque ſemper peccati expertem ipſam futuram, quæ ſi Eccleſiæ promiſſio adeſſet, pravam ab ea excluderet vitam, morumque pravorum uſum: At verò promiſit Eccleſiæ ſuæ, ita ſe illam regere velle, ac tueri, ut nullo unquam, in rebus quæ ad fidem, moreſque pertinent, poſſit prorſus errore labare. Quod conciliari omnino non poteſt etiam cum tolerata, diſſimulata, ſilentio neglecta, vel oblivioni mandata ab Eccleſia falſa & erronea doctrina morum, ſive illa ex nimia ſeveritate, ſive ex benignitate nimia, (par enim ex utroque pernicies) proficiſci dicatur.

IX. Sed jam properandum eſt ad tertiam Janſenianorum querelam adversùs noſtram Eccleſiam, quæ eſt de immutata atque enevata, ut ajunt, priſtina antiquioris Eccleſiæ diſciplina. His enim declamatoribus, diuturno temporis lapſu, deflexit jam de ſpatio, curriculoque conſuetudo majorum. Harum ergo querelarum cauſſa, quantùm valeat, quantùmque juſta ſit, videamus. Eccleſiaſtica diſciplina ſacros Eccleſiæ ritus, cæremonias, uſus, conſuetudineſque complectitur, tum a doctrina fidei, tum a doctrina morum disjunctas, atque diſcretas, utpote quæ neque in doctrina fidei, neque in doctrina morum verſatur. Prætereà ſi materiam, ſi formam ſacrificii, & ſacramentorum, ſi alia quædam perpauca excipias,

pias,

Digitized by Google

pias, in quibus retinendis cuſtodiendiſque tum Orientis, tum Occidentis Eccleſiæ, ſumma quadam perpetua, conſtanti, æquabilique conſenſione, a prima ſua origine ad hæc uſque tempora conſpirarunt omnes, atque deinceps unà conſentient, quæ proinde ad univerſalem, communemque Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam ſpectare dicendum eſt; non una ſemper & eadem, ſibique conſtans, perpetuaque retenta eſt Chriſtianæ Reipublicæ diſciplina, ſed varietates non paucas, atque viciſſitudines pro rerum, temporum, locorum, perſonarumque opportunitate, ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ ad hæc uſque tempora pati, & ſubire coacta eſt: eo ferme modo, quo, hac quoque noſtra ætate, alia Orientalis, alia Occidentalis Eccleſiæ eſt diſciplina. Apud Orientales autem Eccleſias alia in Græca, alia in Syriaca, alia in Chaldaica, alia in Armena, more inſtitutoque majorum, uſurpantur. In Eccleſia verò Occidentali non parùm diſcrepant inter ſe ſacri ritus, atque conſuetudines, quæ in Ambroſiana, aliiſque Occidentis Eccleſiis invaluerunt. Sic gratia exempli, ut unum, vel alterum ex infinitis attingam, in ritu Latino baptiſmus nunc paſſim adminiſtratur per infuſionem: in ceteris autem totius Orientis ritibus per trinam immerſionem. Ritus Latinus, Armenus, Syro-Catholicus Maronitarum, ab omni memoria temporis ad hanc uſque noſtram ætatem, panem azymum adhibent in ſacrificio: contra verò Græcus, Chaldaicus, Kopticus, tanquam ſubjecta ſacrificio materia, pane utitur fermentato. Tanta autem ſacrorum rituum, conſuetu-

dinum-

Digitized by Google

dinumque varietas tantum abeſt, ut quidquam de gravitate, & conſtantia Eccleſiæ Catholicæ detrahat, ut potius Reginæ Chriſti Domini Sponſæ, tanquam ex varietate ornatûs, multo auro, multiſque gemmis diſtincti, non mediocre ſplendoris, dignitatiſque incrementum accedat, de qua ſcriptum eſt in Pſal. 44., *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Retinenda eſt igitur propria ſingulæ cujuſque Eccleſiæ conſuetudo; & ſua cuique provinciæ antiqua jura ſarta, tecta ſervanda ſunt: quod act. VII. Concilii Epheſini tom. 3. Concil. pag. 801. hac lege ſancitum eſt, *Placuit ſanctæ, & Œcumenicæ Synodo, ut unicuique provinciæ pura & inviolata, quæ jam ab initio habuit, jura ſerventur, juxta veterem conſuetudinem*. Suas leges, mores, uſus, & ritus æquum eſt, ſingulas quaſque provincias cuſtodire, ac tueri, a quibus diſcedere nefas eſt; eaſque, ſuorum inſtituta majorum, non ſecus atque Apoſtolicas leges, vereri, & colere oportet, *Unaquæque provincia*, inquit S. Hieronymus Epiſt. nunc 52. aliàs 28. tom. 4. part. 2. pag. 579., *abundet in ſuo ſenſu; & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur*. Diverſæ enim locis diverſis conſuetudines nullo ſunt Eccleſiæ Catholicæ detrimento, quæ, unius ejuſdemque fidei conſenſione communi, ſalva ſemper, incolumiſque ſervatur. *In una fide*, inquit Sanctus Gregorius Lib. 1. Epiſt. nunc 43. aliàs 41. tom. 2. pag. 532. B., *nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa*.

X. Sed, ne Janſenianis nihil prorſus concedere

vi-

Digitized by Google

videamur, eſto univerſalem quandam, perpetuam, conſtantem, æquabilemque in tota Eccleſia Catholica floruiſſe antiquitùs diſciplinam, ac tantùm longo decurſu temporis non mediocrem mutationem ſubjiſſe. Fac etiam, ſi libet, hac noſtra ætate rigidioris priſtinæ diſciplinæ nervos remiſſos, atque laxatas habenas. Quid tum? An non æqua poteſtate potitur Eccleſia, paremque retinet auctoritatem, & veteres abrogandi, & novas conſtituendi, & rigidiores relaxandi, & laxiores contrahendi, ubi facto opus fuerit, conſuetudines? Teſtes appello Concilii Tridentini Patres Ampliſſimos, quorum teſtimonio, ad auctoritatem, poteſtatemque pertinet Eccleſiæ, retentâ materiâ & formâ, quibus Sacramenta ipſa conſtant, cetera omnia, quæ non ad vim, rationemque, ſed ad uſum, ritum, exercitationemque ſpectant Sacramentorum, quatenus res, perſonæ, loca, & tempora ita fieri poſtulaverint, & nova ſtatuendo, & vetera abrogando, immutare. Ecce verba, *Præterea declarat*, Synodus Tridentina ſeſs. 21. cap. 2., *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaverit*. Quis eſt enim, quem lateat, leges, ſtatuta, mores, conſuetudines, omniaque illa, quæ a majoribus noſtris fuerant conſtituta, quæ proinde non a divino, ſed ab humano jure profecta ad nos pervenerunt, quando ita fieri res Chriſtiana adhor-

tetur, poſſe utiliter a natu minoribus, Eccleſiam adminiſtrantibus, commutari? Incidunt enim perſæpè tempora, cum ea, quæ maximè videbantur utilia, commutantur, fiuntque contraria. Quamobrem, habita ratione fidei, & honeſtatis, ſi veteres conſuetudines a majoribus inſtitutæ, lapſu temporis, minus utiles, eoque magis, ſi perniciosæ cognoſcantur, tunc opportuniores, utilioreſque alias, veteribus per poteſtatem legitimam repudiatis, æquum eſt conſtituere. *His enim cauſſis*, inquit S. Auguſtinus Epiſtola ad Januarium 54., quæ tota eſt de diverſis per Eccleſiam conſuetudinibus, ad jejunium Eccleſiaſticum, ad uſum Euchariſtiæ, ad ſacra ſolemnia, hiſque ſimiles religionis noſtræ ritus, pertinentibus, cap. 5. num. 6. tom. 2., *His enim cauſſis, ideſt, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat; vel inſtitui, quod non fiebat.*

XI. Et ſanè ſic factum eſt. Conſuetudines enim plurimas, antiquitùs in Eccleſia retentas, quæ, labentibus annis, vel vitæ morumque honeſtati, vel rerum ſacrarum dignitati minus aptè congruere viſæ ſunt, tum Pontificum & Conciliorum decretis, tum deſuetudine ipſa, tacito docentis Eccleſiæ conſenſu probata, ſublatas jamdiu, atque extinctas videmus. Ex plurimis paucas quaſdam attingo. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (*a*) non modo infantes, ve-

(*a*) Dionyſ. Areop. de Eccl. Hier. cap. de Bap. Ambr. ſerm. 10. de Bap. Chryſ. ep. ad Innoc. Pap. apud Pallad. in vita Chryſ. Cyril. Hieroſol. Cathec. 2.

Digitized by Google

verum etiam adultos mares, adultaſque fœminas, nudo penitus corpore, ad baptiſmi aquas admittere. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (*b*) recens baptizatis infantibus Chriſti ſanguinem ſub ſpecie vini ſugendum propinare. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (*c*) in virorum nudam, inque velatam fœminarum palmam Chriſti corpus ſub ſpecie panis deponere, ab illis pro libito, vel in Eccleſia comedendum, vel portandum ſecum, domique in armario recondendum. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (*d*) Chriſtiana convivia, quæ *Agape* dicebantur, poſt divinam ſynaxim celebrare; & ſuper cœmeteria & monumenta Martyrum, diebus eorum feſtis, nec non in funere Chriſtianorum epularem accubationem habere. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia, (*e*) adſtantibus Chriſtianis, cum ſacris ſolemnibus intereſſent, pia oſcula, tanquam pacis, amoriſque ſymbola, indicere, atque ex præſcripto viciſſim infigere, mutuòque dare, & accipere. Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (*f*) viros quoſcumque ac mulieres nocturnas vigilias, intra ſacros parietes celebrare, totamque noctem vigiles, inſomneſque traducere.

 Con-

(*b*) Cyprian. de Lapſis. Aug. lib. 1. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 22. num.40. tom.10. Et lib.2. Op.Imp. num.30. tom.10. (*c*) Cyprian. de Lapſis. Clem. Alex. 1. Strom. Aug. lib.2. cont. lit. Petil. cap.23. num. 53. tom.9. (*d*) Tertul. Apolog. cap. 39. Chryſ. 1. Cor. 11. hom.27. Aug. lib.6. Confeſ. cap.2. num.2. tom. 1. Idem epiſ. ad Aur. tom. 2. (*e*) Tertul. de Orat. in fine. Cyril. Hieroſol. cathec. 5. Chryſ. lib. 1. de compunc. Aug. ſerm.227. tom.5. (*f*) Ignat. Mart. epiſt. ad Magneſ. Tertul. ad uxor. lib. 2. cap. 3. Clem. Alex. pædag. cap. 9. Chryſ. in pſal. 18.

Digitized by Google

Conſuetudo erat in antiquiori Eccleſia (g) peccatores quoſdam ad publicam turpiſſimorum criminum confeſſionem, in maxima populi Chriſtiani frequentia, & celebritate, compellere. At hæc omnia, hiſque ſimilia non pauca, cum ad impudicitias, rixas, & ſacrilegia, Chriſtianorum hominum vitio, humanarumque rerum corruptelâ, ſenſim ſine ſenſu deflecterent, partim prohibente, partim tacente Eccleſia, in univerſalem deſuetudinem, apud Occidentales maximè Eccleſias, penitus abjerunt.

XII. Dicet fortaſſe aliquis, Quamvis ſatis opportunè, ac ſapienter veteres nonnullæ conſuetudines ſublatæ ſint, nec parvo Chriſtianæ Reipublicæ bono obſoleverint, retinendi tamen profecto erant veteres uſus, qui ad diſciplinæ ſeveritatem ſartam tectam tuendam pertinerent, quos delicatiorum hominum deſidia & languore labefactatos, diligentia ſolertiaque hominum ſeveriorum reſtaurari, atque in priſtinum gradum reſtitui oportebat. Ad hos pertinet, quæ primis Eccleſiæ temporibus viguit auſterioris jejunii diſciplina, vetus pœnitentiæ publicæ uſus, pœnarum canonicarum rigor antiquus, quæ ſi modò conſtarent, priſtina quoque Eccleſiæ gravitas, dignitas, atque majeſtas, quæ cum illis extincta eſt, etiam nunc permaneret. Cum ſuperioribus ſimilia quædam de remiſſione rigidioris veteris diſciplinæ exprobrarent Catholicis Donatiani, S. Auguſtinus Epiſtola 185. ad Bo-

(g) Socrat. lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. 19. Sozom. lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 16. Iren. lib. 1. cap. 13. Aug. ſerm. 351. tom. 5. S. Pacian. Epiſ. Barcin. lib. de pœnit. & confeſ.

Digitized by Google

Bonifacium, quæ de Correctione Donatiſtarum inſcribitur, cap. 10. num. 45. tom. 2. reſpondet, Diſciplinam Eccleſiæ inſtar medicamentorum eſſe adhibendam, quæ ex morborum, temporum, locorum, ægrotorumque varietate variantur; & modo acriora mitioribus, modo acrioribus mitiora commutantur, quatenus expedire, magiſtra rerum experientia ſuaſerit, *Cogunt*, inquit loco commemorato Auguſtinus, *multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum*. Neque vero ad minutos quoſdam ſcriptores, plebejoſve de trivio declamatores, morum magiſtros ſe venditantes, ſed ad Epiſcopos, qui ſoli & veri, re & nomine, non humano, ſed divino diplomate, Eccleſiæ Magiſtri ſunt, Eccleſiam docere pertinet, quænam uſurpanda ſit, mitiorne, an ſeverior, pro varietate temporum, locorum, hominum, diſciplina: quemadmodum non ægroti, ſed medici eſt, judicare, utrum ignis, an ferrum, an pharmaca delicatiora ſingulis quibuſque ægrotis ſint applicanda. Profecto Innocentius Papa I. Epiſtola apud Couſtant 39. ad Agapitum, Macedonium, ceteroſque per Apuliam Epiſcopos, auctor eſt, in Concilio Nicæno lege ſancitum fuiſſe, ut pœnitentes ab infimis etiam Clericorum muneribus excluderentur. At verò ſeveriori, & univerſali huic diſciplinæ derogatum fuit cum Epiſcopis Donatianis, & Arianis, qui ab errore reſipiſcentes, ex indulgentia Eccleſiæ, priſtinas dignitates retinuerunt. Hanc autem ſeverioris diſciplinæ relaxationem, cum Arianis Epiſcopis uſurpatam, rigidiores Luciferiani improbarunt. Atque hinc fa-

factum eſt, ut ab Eccleſia diſcederent, ſeceſſionemque ſchiſmaticam facerent: Contra verò Auguſtinus hujuſmodi cum Arianis, Donatianiſque Epiſcopis diſciplinæ ſeverioris remiſſionem probat, atque commendat, illâ eâdem epiſtolâ ad Bonifacium, ubi auream ſanè ſententiam conſtituit, quæ nunc locum obtinet inter ſacros Eccleſiæ canones, dignam ſapientia, & caritate Auguſtini. Ecce illam, *Detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis CARITAS SINCERA ſubveniat*. Conſonat Auguſtino Sapientiſſimus Ivo Carnotenſis, lumen ætatis ſuæ præclariſſimum, deque Eccleſiaſtico Canone optimè meritus, qui epiſtola 236. *Cum ea*, inquit, *quæ æterna lege ſancita non ſunt; ſed pro boneſtate, & utilitate Eccleſiæ inſtituta, vel probibita, pro eadem inſtitutione ad tempus remittuntur, pro qua inventa ſunt, non eſt damnoſa prævaricatio; ſed laudabilis, & ſaluberrima diſpenſatio*.

XIII. Quæ cum ita ſint, nihili omnino faciendæ ſunt toties repetitæ a Janſenianis ſchiſmaticæ appellationes a præſentis Eccleſiæ, ut ſcriptitant, laxitate ad antiquioris Eccleſiæ ſeveritatem; quaſi verò ſatis Janſenianis non eſſet, oſtentare ſe appellantes, niſi diſciplinam ipſam Eccleſiæ tanquam appellantem inducerent: ac, veluti in comœdiarum fabulis fingi quandoque aſſolet, rei vi ſua inanimatæ humanam perſonam imponerent, eamque in ſcenam producerent, quam cum ſolutiorum riſu, ac ſeveriorum luctu appellantem nuncuparent; a quo tamen uſurpando vocabulo, hiſce præſertim temporibus, abhorrere debebant

bebant quammaximè, illudque cane pejus, & angue evitare, ſi famæ, ac dignitati ſuæ, ſodaliumque ſuorum appellantium, vel minimùm conſultum vellent. Sed cum cæco quodam furore concitati agitamur, quid conveniat, quid deceat, ad dignoſcendum apti nequaquam ſumus. Quamquam mirari deſino Janſenianum, ut ajunt, rigoriſmum omnes modeſtiæ, ac verecundiæ fines tranſiſſe, cum amens libido quædam aucupandæ popularis gratiæ, atque gloriæ, objectâ inani quidem & vacuâ, ſed auſterâ & gravi rigoriſmi larvâ, ea ſcabies ſit & prurigo, quæ ætatum omnium hæreticos vellicavit ſemper, & pupugit. Quod ſi hæretici rigoriſmi Annales maximi conficerentur, ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, conſtanti perpetuaque ſerie, ad hanc uſque noſtram ætatem deducti, palamque proponerentur, luculentiſſimè appareret, ſolidiſſimèque conſtaret, ſingulis quibuſque ætatibus, rigoriſmum, veluti communem animam, qua vivunt & ſpirant, hæreticorum omnium ſemper extitiſſe. Hoc erant animo comparati rigoriſmi venditatores veteres Phariſæi, quorum audacia, atque impudentia eò progreſſa eſt, ut enervatam veterem diſciplinam, remiſſamque doctrinam morum, divino morum & diſciplinæ Magiſtro, Chriſto Domino auſi ſint exprobrare. Hanc rigoriſmi perſonam præſeferebant recens Chriſtianis ritibus ex Phariſaica ſecta initiati, contendentes novis Chriſtianis neceſſarium eſſe, ſi ſalvi eſſe vellent, antiquis Moſaycæ diſciplinæ præceptis obtemperare. Res autem eſt cognitione, & ani-

Digitized by Google

animadverſione digniſſima, Apoſtolicum illud Concilium, Jeroſolymis celebratum, omnium Conciliorum primum, maximaque dignum veneratione, contra Appellantes ad veterem rigidam diſciplinam, Præſidente Petro Apoſtolorum Principe, convocatum fuiſſe, atque abſolutum, ubi, celeberrimo illo, pervulgatiſſimoque Canone, *Viſum eſt Spiritui-Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis ONERIS*, (Act. 15.) ſchiſmaticæ, & ſeditioſæ appellantium ad veterem diſciplinam voces, atque querelæ, compreſſæ tunc fuere penitus, & ſuffocatæ.

XIV. Hinc prima rigoriſmi labes, quæ ab ortu Eccleſiæ, per medias ejus delapſa ætates, extrema hæc noſtra tempora pervaſit, & occupavit. Poſtremæ enim noſtrorum hæreticorum vituperationes nihil omnino diſcrepant, ſed prorſus conſonant primis, mediiſque vituperationibus veterum hæreticorum. Exemplum unius Janſeniani ſcriptoris proferre in medium ſatis futurum reor; ex illo enim facilè, qui ceteri ſint, conjicere poteris, omneſque diſcere. Hic igitur, in Libro, quem Gallico ſermone conſcripſit, quique hunc exhibet præfixum titulum, *La devotion du pecheur*, cap. 5., acerbos, maledicoſque Phariſæos imitatus, in ipſomet Chriſto Domino, quod incredibile dictu videatur, laxatam diſciplinæ ſeveritatem reprehendit. Id autem tum factum fuiſſe perhibet, cum prodigus ille filius inducitur, qui, poſt diuturnam flagitioſiſſimæ vitæ conſuetudinem, intempeſtiva quadam, nec non præpoſtera reconciliatione, ex Janſeniano Oraculo, in

gra-

Digitized by Google

gradum priſtinum, per ea verba Lucæ 15., *Citò proferte ſtolam primam*, ſuit reſtitutus. *Videtur*, inquit, *quod filius prodigus feſtinatione præcipiti fuerit abſolutus: diſciplinæ enim ratio exigebat, ut debito temporis intervallo, ad peragendam pœnitentiam idoneo, a domicilio Patris ſegregatus abeſſet*. O audaciam non ferendam! O impudentiam incredibilem! O ſacrilegam temeritatem! Quid enim, per Deum immortalem, ſtatuendum eſt de Janſeniano rigoriſmo, apud quem in ſuſpicionem, invidiamque laxitatis, atque injuſtitiæ, ipſamet ſanctiſſima Chriſti Domini diſciplina vocatur, adduciturque!

XV. Sed hactenus de Janſeniſtarum querelis, quibus in fidei dogmate aberrantem, in doctrina morum blandientem, in diſciplina temporum diſcrepantem eam, quam nunc habemus, calumniantur Eccleſiam. Nunc verò, antequàm manum, ut ajunt, de tabula abducam, unum reliquum eſt, de quo, Amice Lector, te admonitum volo. Cùm pervolutanti tibi hoc meum opuſculum nonnullæ hàc, illàc diſperſæ, atque a me abjudicatæ, rejectæque ſententiæ ſe ſe obviam ſecerint, quas hactenus non proſcripſit Eccleſia, ſcito me, neque illas in hæreſum cenſu, neque earum defenſores in hæreticorum numero habere: ſed ab omni prorſus, ut æquum ſcriptorem decet, cenſura me continens, ad maximam ſanè, eamque potiſſimam Eccleſiæ partem accedo, quæ repudiatas a me ſententias, eas nimirum, quæ juriſdictionem, auctoritatemque Romani Pontificis ad vivum reſecant, vel in anguſtum ſpa-

Digitized by Google

tium concludunt, nunquam amplexa eſt, neque hactenus aſſenſione ulla probavit, rataſve habuit. Extremo hoc erga te munere cum ſim perſunctus, diutius patientia tua non abutar, nec te jam pluribus detinebo. Vale.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm tertiam partem libri, a P. Laurentio Alticotio Societatis noſtræ Sacerdote conſcripti, cui titulus: *Summa Auguſtiniana*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 20. Januarii 1747.

Franciſcus Retz.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

Ferdinandus M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſg.

QUid de Catholica Eccleſia, deque illius ſupremo viſibili Capite Romano Pontifice, ſenſerit Magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, exponit, accuratèque expendit Reverendus admodum Pater Laurentius Alticotius e Societate Jeſu in hac Tertia Parte *Summæ Auguſtinianæ*. Hanc ego jubente Reverendiſſimo P. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro Nicolao Aloyſio Ridolfi attentè legi, atque in ea omnia reperi, nedum Fidei Catholicæ, boniſque moribus conſona, ſed etiam diligenter, atque eruditè pertractata, propptereaque digna, quæ in publicam lucem edantur.

Ex ædibus S. Petri ad Vincula 4. Idus Martii 1747.

D. Antonius Andreas Galli Canonicus Regularis Sanctiſſimi Salvatoris, & Abbas S. Mariæ de Rheno.

Per-

PErluſtranti mihi Librum, qui inſcribitur *de Vera Chriſti Eccleſia*, Summæque Auguſtinianæ tertia Pars eſt, a P. Laurentio Alticotio Societatis Jeſu Presbytero, ex Auguſtiniana officina exquiſito, copioſoque Sententiarum in partem utramque apparatu adornata, & deprompta, nihil prorſus cenſoria animadverſione dignum ſe objecit, quod vel Catholicæ Religioni, vel Chriſtianis moribus, vel debitæ Principibus viris reverentiæ repugnaret; quinimmo, ut verum fatear, ſinceram Sancti Auguſtini doctrinam ab ipſomet fonte, relictis rivulis, hauſtam, & ab Auctore Operis nitidè, diligentèr, atque erudite ſtudioſis Sancti Auguſtini cultoribus propinatam, in eo deprehendi. Quamobrem, ut voluntati obſequar Reverendiſſimi P. Aloyſii Nicolai Ridolphi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, ſententiam meam hac ſuper re requirentis; e re dogmatica, hiſtorica, & critica, quodque caput eſt, e re chriſtiana futurum cenſeo, ſi multæ palæſtræ opus ex domeſtica exercitatione medium in agmen, aciemque polemicam contra importunos acerboſque Eccleſiæ inimicos educatur, & prodeat. Ex Monaſterio S. Stephani ſupra Caccum de Urbe Idibus Aprilis 1747.

D. Carolus Lucarellus Abbas Silveſtrinus Sac. Rit. Congregationis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

IN-

Digitized by Google

INDEX QUÆSTIONUM,

ET ARTICULORUM,

Quæ in tertia Parte continentur.

QUÆSTIO PRIMA

DE CORPORE ECCLESIÆ.

ARTIC. I. *UTrum ex S. Auguſtino ſit ſpes aliqua ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt?* pag. 2.

ARTIC. II. *Utrum ex S. Auguſtino hæretici, & ſchiſmatici pertineant ad corpus Eccleſiæ?* pag. 11.

ARTIC. III. *Utrum ex S. Auguſtino Fideles reprobi, & Fideles injuſti præciſi ſint à corpore Eccleſiæ?* pag. 23.

ARTIC. IV. *Utrum ex Sancto Auguſtino propter mala, quæ ſunt in Eccleſia, fas ſit recedere à corpore Eccleſiæ?* pag. 48.

ARTIC. V. *Utrum ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Domini Eccleſia ſit in corpore ſuo Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, atque Romana?* pag. 61.

ARTIC. VI. *Utrum ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Eccleſia ſit in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicua?* pag. 88.

ARTIC. VII. *Utrum ex Sancto Auguſtino Eccleſia poſſit in corpore ſuo deficere?* pag. 104.

ARTIC. VIII. *Utrum ex Sancto Auguſtino præſentis Eccleſiæ corpus ſit ſenio confectum, atque deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum?* pag. 117.

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA

DE CONSPICUO ECCLESIÆ CAPITE.

ARTIC. I. *Utrum ex Sancto Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen ſit monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice?* pag. 136.

ARTIC. II. *Utrum ex S. Auguſtino Petrus fuerit primus omnium Apoſtolorum, atque fundamentum Eccleſiæ univerſæ?* pag. 153.

ARTIC. III. *Utrum ex S. Auguſtino Petrus Romæ Cathedram Epiſcopalem inſederit, Simonem magum ſuperaverit, atque Romæ fuerit martyrio coronatus, atque ſepultus: & a Petro omnium primo conſtans perpetuaque Romanorum Pontificum ſeries, ſucceſſioque manaverit?* pag. 169.

ARTIC. IV. *Utrum ex Sancto Auguſtino Petrus, & Paulus duo fuerint Eccleſiæ capita in unum veluti commune caput coaleſcentia?* pag. 180.

ARTIC. V. *Utrum ex S. Auguſtino Romanus Pontifex poteſtatis, juriſdictioniſque Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores obtineat?* pag. 195.

ARTIC. VI. *Utrum ex S. Auguſtino Romanus Pontifex errare poſſit in ſolemni judicio fidei definitivo?* pag. 251.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
DE CORPORE ECCLESIÆ.
In octo Articulos diſtributa.

Veram Chriſti Domini Eccleſiam, toto orbe diffuſam, veluti corpus humanum, ex pluribus diverſiſque membris compactam, ex Sancto Auguſtino Lib. de Unit. Eccl. contra Donat. cap. 2. num. 2. tom. 9. proponimus. Quæ integro conveniant corpori, quæ capiti, quæ membris ſingulis, quæ toti corpori ornamenta inſint, quæ vires, qui color, quæque venuſtas inhæreant Eccleſiæ corpori, diſputandum aggredimur. In hac autem prima quæſtione de integro Eccleſiæ corpore nobis agendum eſt. Quibus coaleſcat membris, quæ rejiciat, quæ ſit corporis totius forma inveſtigamus, ne quis in Eccleſiæ inquiſitione hallucinetur, pravâque opinione deceptus, dum putat Virgini Sponſæ Chriſti adhærere, conglutinetur adulteræ. Quamobrem hanc primam Quæſtionem de Corpore Eccleſiæ in octo Articulos partitam damus. I. eſt: Utrum ex S. Auguſtino ſit ſpes aliqua ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt? II. Utrum ex S. Auguſtino Hæretici, & Schiſmatici ad corpus Eccleſiæ pertineant? III. Utrum ex S. Auguſtino Fideles reprobi, & Fideles injuſti præciſi ſint à corpore Eccleſiæ? IV. Utrum ex S. Auguſtino propter mala, quem ſunt in Eccleſia fas ſit recedere à corpore Eccleſiæ? V. Utrum ex S. Auguſtino Eccleſia ſit in ſuo corpore una, ſancta, catholica, apoſtolica, atque Romana? VI. Utrum ex S. Auguſtino Eccleſia ſit in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicua? VII. Utrum ex S. Auguſtino Eccleſia poſſit in corpore ſuo deficere? VIII. Utrum ex S. Auguſtino præſentis Eccleſiæ corpus ſit ſenio confectum, atque deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum?

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex S. Auguſtino ſit ſpes aliqua ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt?

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, ex S. Auguſtino ſpem nullam eſſe ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt, quod ſequentibus S. Doctoris teſtimoniis ita perficitur.

I. SErm. ultimo de ſymbolo ad Cathecumenos cap. 13. num. 13. tom. 6. *Siquis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum: Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* Jam verò ex S. Auguſtino, qui Eccleſiam non habent Matrem, eo ipſo Deum non habent Patrem; ac proinde à filiorum numero alieni ſunt: At verò nulla ſpes adeſt ſalutis iis, qui Eccleſiam non habent Matrem, qui Deum non habent Patrem, quique à filiorum numero alieni ſunt. Cùm autem homines ab Eccleſiæ corpore ſegregati, quæ filios ſuos ſibi copulatos complectitur, Eccleſiam non habeant Matrem, Deum non habeant Patrem, atque à filiorum numero, ac proinde ab hereditate alieni ſint, ex S. Auguſtino concluditur, ſpem nullam eſſe ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

II. Lib. 2. contra Creſconium cap. 33. num. 42. tom. 9. *Cyprianus ipſe quale teſtimonium perhibeat, audi ex Epiſtola, quam de Unitate conſcripſit.* Avelle, *inquit*, radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcit. *In his Cypriani verbis non intelligimus, lucem non capere diviſionem, niſi in ſanctis Regno Dei Prædeſtinatis, qui dividi ab Eccleſia nullo modo poſſunt. Et non germinare*

minare

minare ramum fractum, ſalutis eternæ germine accipimus. Ariditatem verò rivi à fonte præciſi, in eo, quod S. Spiritu vacuantur, qui ab unitate ſeparantur, agnoſcimus. Quamobrem ex S. Auguſtino, Cypriani ſententiam adverſus Creſconium Donatiſtam ſchiſmaticum in medium proferente, quemadmodum ramus diſcerptus ab arbore germinare non poteſt: Et rivus à fonte præciſus areſcit; ita homo Chriſtianus, ab Eccleſiæ corpore ſeparatus, ſempiternæ ſalutis germen protrudere minimè poteſt. Et ab irrigatione divinæ gratiæ, quæ ſempiternæ ſalutis fœcunda eſt, excluſus alienatuſque, areſcat ille, neceſſe eſt. Itaque ex S. Auguſtino nulla ſpes adeſt ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

III. Serm. ad Cæſareenſis Eccleſiæ plebem Emerito præſente habito num. 6. tom. 9. de Emerito Donatiſtarum Epiſcopo. *Salutem non poteſt habere, niſi in Eccleſia Catholica. Extra Eccleſiam Catholicam totum poteſt, præter ſalutem. Poteſt habere honorem, poteſt habere ſacramentum, poteſt cantare Alleluja, poteſt reſpondere Amen, poteſt Evangelium tenere, poteſt in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fidem & habere, & prædicare. Sed nuſquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit invenire.* Docet hìc Auguſtinus Epiſcopum ſchiſmaticum, ab Eccleſiæ corpore ſegregatum, ornamenta omnia, & inſignia Epiſcopalis dignitatis retinere. Munera omnia, non quæ ad juriſdictionem, ſed quæ ad characterem Epiſcopi pertinent, validè obire. At præciſus à corpore Eccleſiæ, fieri non poteſt, ut ſempiternam ſalutem adipiſcatur, niſi Eccleſiæ, à qua fuerat disjunctus, iterum adjungatur. Quare ex S. Auguſtino nulla ſpes adeſt ſalutis iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

IV. Epiſtola 191. ex Concilio Zertenſi ad Donatiſtas num. 5. tom. 2. *Quiſquis ergò ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quiſquis autem in hac Eccleſia benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata.*

V. Lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 3. num. 6. in

Digitized by Google

ſine tom. 9. *Nonne iſti palpant in meridie, quaſi in media nocte? Quod quidem omnium hæreticorum eſt, qui rem maniſeſtiſſimam in luce omnium gentium conſtitutam videre non poſſunt. Extra cujus Unitatem quidquid operantur, quamvis magna ſolertia & diligentia fieri videatur, tamen illis nihil prodeſt adverſus iram Dei.* Itaque ex S. Auguſtino quiſquis ab Eccleſiæ corpore fuerit avulſus, quamvis optimis excultus moribus, divinis virtutibus exornatus, rebuſque honeſtè ac præclarè geſtis nobilitatus, hoc tantùm obſtrictus ſcelere, quòd ab Eccleſia defecerit, Deum ſibi iratum habeat, neceſſe eſt: Quo vindice, ſempiternam ſalutem conſequi minimè poteſt. Conſtat igitur ex S. Auguſtino ſpem nullam ſalutis adeſſe iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

VI. Lib. 2. contra Litteras Petil. cap. 13. num. 30. tom. 9. *Quærimus unde fuerit Diabolus homicida ab initio, & invenimus, quòd primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo, aut aliquam vim corporaliter inferendo, ſed perſuadendo peccatum, & à Paradiſi felicitate dejiciendo. Quod tunc Paradiſus, hoc nunc Eccleſia. Diaboli ergò filii ſunt, qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt. Sicut autem per verba Dei novimus, ubi ſit plantatus Paradiſus, ſic per verba Chriſti, ubi ſit Eccleſia didicimus. Per omnes, inquit, gentes incipiens ab Jeruſalem. Ab iſto univerſo ad partem quamlibet quiſquis ſeparat hominem, ille diaboli filius, & homicida eſſe convincitur.* Quamobrem ex S. Auguſtino quiſquis ab Eccleſia univerſali ad particulares conventûs abducendo ſeparat hominem, Diaboli filius eſt, & homicida eſſe convincitur. Quemadmodum enim Diabolus dicitur homicida fuiſſe ab initio, quòd primum hominem à Paradiſi felicitate exturbaverit, ita filii Diaboli ſunt, qui homines ab Eccleſia, cujus eſt Paradiſus ſimilitudo, ſeducendo interficiunt. Reſecta igitur à corpore Eccleſiæ membra inter mortua membra ab Auguſtino numerantur. Cùm autem exſectis, & mortuis membris nulla prorſus ſpes ſalutis affulgeat, ex S. Auguſtino conficitur, nullam ſpem ſalutis adeſſe iis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

VII.

Digitized by Google

VII. Serm. 3. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 12. num. 13. tom. 6. *Nec amare, nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia ejus non eſt; quoniam omnis, qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita æterna eſt ... Hanc, dilectiſſimi, amemus omnes: Tali Matri ſic amanti, ſic proſpicienti, ſic conſulenti inſeparabiliter inhæreamus, ut ſimul cum illa, & per illam Deo Patri perpetuò conjungi mereamur*. Habemus igitur ex S. Auguſtino, quod ii, qui intra Chriſti Domini Eccleſiam non continentur, ſed digreſſi ab Eccleſia procul aberrant, a Deo, qui vita æterna eſt, longè recedunt, cujus amore, ac dilectione deſtituuntur. Nec Deo Patri perpetuò conjungi poterunt, niſi qui Matri Eccleſiæ arctiſſimà fuerint complexione copulati. At nulla ſpes adeſt ſalutis iis, qui à Deo, qui vita æterna eſt, digrediuntur, qui Dei amore ac dilectione privantur, qui Deo Patri perpetuò copulari non poſſunt. Nulla igitur ex S. Auguſtino ſpes ſalutis emicat iis, qui in Eccleſiæ ſinu non continentur, qui procul ab Eccleſia vagantur, qui adhæſione intimà Eccleſiæ non copulantur. Ac proinde ex S. Auguſtino ſpes nulla ſalutis iis præſto eſt, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

VIII. Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. num. 1. tom. 9. *Eccleſia Paradiſo comparata indicat nobis poſſe quidem ejus baptiſmum homines etiam foris accipere; ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere .... Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam: Munus autem beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur.*

IX. Lib. de Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas cap. 19. num. 49. tom. 9. *Ad ipſam ſalutem, ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.*

X. Serm. 267. in die Pentecoſtes cap. 4. num. 4. tom. 5. *Quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus-Sanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia: hoc agit Spiritus-Sanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid obſervetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid præciſum ſequitur ani-*

anima? Cùm in corpore eſſet, vivebat; præciſum amittit vitam. Sic & homo Chriſtianus Catholicus eſt, dum in corpore vivit; præciſus, hæreticus factus eſt, membrum amputatum non ſequitur ſpiritus.

XI. Lib. de Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas cap. 2. num. 2. tom. 9. *Hæc Catholica Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit: Pro corpore ejus, quæ eſt Eccleſia. Unde utique manifeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra vero Chriſti per Unitatis caritatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Quæ cum ita ſint, ex S. Auguſtino tenemus, Eccleſiam Catholicam eſſe myſticum Chriſti Domini corpus, cujus corporis ipſemet caput eſt Chriſtus: Hinc autem legitima conſecutione S. Doctor deducit, hominem, qui inter corporis hujus membra non numeratur, quæ per Unitatis caritatem & inter ſe copulantur, & per eandem copulationem capiti ſuo Chriſto cohærent, Chriſtianam ſalutem conſequi minime poſſe. Nemo enim ex S. Auguſtino Chriſtum poteſt habere caput, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia. Præciſus autem a tali capite, ſempiternæ vitæ atque ſalutis munere careat, neceſſe eſt. Quemadmodum enim ex S. Auguſtino corpus hominis mutuatur vitam ab anima hominis; ita corpus Eccleſiæ vitam haurit a Spiritu-Sancto, qui eſt anima Eccleſiæ. Hinc, ut diſſerit S. Doctor, quemadmodum membrum humanum, abſciſſum a corpore humano, eſt membrum inanime, excluſum a munere vitæ, quam ſibi largitur Anima humana; ita homo chriſtianus, præciſus a corpore Eccleſiæ, fit membrum inanime, cæleſtis vitæ munere deſtitutum, quam Chriſtiano homini Spiritus-Sanctus tribuit, qui eſt Anima Eccleſiæ. Membro autem inanimi, ac ſine vita nulla ſane ſupereſt ſpes ſalutis. Hinc Sanctus Doctor concludit, neminem extra Eccleſiam ſempiternam ſalutem tenere poſſe, neminem extra Eccleſiam beatæ vitæ munere donari poſſe. Quamobrem ex hactenus a S. Doctore diſputatis conficitur, nullam ex S. Auguſtino ſalutis ſpem iis emicare, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

XII. Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. num. 12. tom. 9.

Digitized by Google

tom. 9. *Quid ergo Schiſmaticis prodeſt, ſi & linguam in ſacris myſteriis habeant angelicam, & prophetiam, quemadmodum Caiphas, & Saul, & aliquando prophetent, quos fuiſſe damnabiles ſancta Scriptura teſtatur? Si ſacramenta non tantùm ſciant, ſed & habeant, ſicut habuit Simon Magus? Si fidem, ſicut dæmonia confeſſa ſunt Chriſtum? Neque enim non credebant, cùm dicerent: Quid nobis, & tibi eſt Fili Dei, ſcimus qui ſis? Si diſpertiant ipſi etiam ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſicut multi, non ſolum in Catholica, ſed in diverſis hæreſibus faciunt? Si aliqua ingruente perſecutione tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide, quam pariter confitentur? tamen quia ſeparati hæc agunt, non ſufferentes invicem in dilectione, neque ſtudentes ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis, caritatem utique non habendo, etiam cum illis omnibus, quæ nihil eis proſunt, ad æternam ſalutem pervenire non poſſunt*. Habemus igitur ex S. Auguſtino, quod Schiſmatici, ab Eccleſiæ corpore ſegregati, etiamſi purà, integrà, incorruptà, Angelica & mente, & voce inter ſacra ſolemnia Deum venerentur: Etiamſi res futuras, mente divinitûs illuſtratà, præſentiant, atque prænuntient: Etiamſi ſacratiora Religionis noſtræ Myſteria noverint, & acceperint: Etiamſi omnia bona ſua piis largitionibus in pauperum greges abſumpſerint: Etiamſi in Fidei quæſtione corpus ſuum flammis comburendum tradiderint, vitamque ipſam fortiter pro Chriſto profuderint, cum omnibus illis divinis virtutibus, atque ornamentis, quæ ab Eccleſiæ corpore ſegregatis nihil omnino proſunt, ad æternam ſalutem pervenire minime poſſunt. Quare ex Sancto Auguſtino nulla ſalutis ſpes iis affulget, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe volunt.

XIII. Ibidem cap. 8. num. 10. *Neque enim & Cornelii Gentilis hominis orationes non ſunt exauditæ, aut eleemoſynæ non ſunt acceptæ: immò, & Angelum ad ſe mitti, & miſſum meruit intueri, per quem poſſet utique ſine hominis alicujus acceſſu cuncta neceſſaria diſcere. Sed quoniam quidquid boni in orationibus, & eleemoſynis habebat, prodeſſe illi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis, & pacis incorporaretur*

tur Eccleſiæ, jubetur mittere ad Petrum, & per illum diſcit Chriſtum, per illum etiam baptizatus, Chriſtiano populo, conſortio quoque communionis, adjungitur, cui ſola bonorum operum ſimilitudine jungebatur. Definit loco ſuperius recitato S. Auguſtinus, quod piæ preces, quibus ſupremum rerum omnium conditorem Deum Cornelius ille Centurio, Gentilis homo, venerabatur, gratiſſimæ ad Deum pervenerunt: Quod liberales pecuniarum elargitiones, quibus Cornelius inopiam pauperum ſublevabat, acceptiſſimæ Deo fuerunt. Siquidem Clementiſſimus Dominus, his bonis Cornelii operibus liberaliter annuens, Angelum è cœlo nuntium Cornelio miſit, qui pio homini ſignificaret bona ejus opera ſupremo Numini placuiſſe. At neque piæ Cornelii preces, neque liberales bonorum ſuorum largitiones quidquam prorſus, teſte Auguſtino, ad ſempiternam ſalutem adipiſcendam profuiſſent Cornelio, niſi per Chriſtiani Baptiſmi ſuſceptionem Eccleſiæ corpori fuiſſet admixtus. Fatendum eſt igitur ex S. Auguſtino, ſpem nullam iis ſupereſſe ſalutis, qui ab Eccleſiæ corpore alieni eſſe voluerint.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Cyprianus ipſe quale teſtimonium perhibeat, audi ex epiſtola, quam de Unitate conſcripſit.* Avelle, *inquit*, radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte precide rivum, præciſus areſcit. *In his Cypriani verbis non intelligimus lucem non capere diviſionem, niſi in ſanctis regno Dei prædeſtinatis, qui dividi ab Eccleſia nullo modo poſſunt. Et non germinare ramum fractum, ſalutis æternæ germine accipimus. Ariditatem verò rivi à fonte præciſi, in eo quòd S. Spiritu vacuantur qui ab unitate ſeparantur.* (b) Quod autem *eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus Sanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris unius Corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid obſervetis, videte quid timeatis.*

Con-

Digitized by Google

Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquid præcidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid præciſum ſequitur anima? Cùm in corpore eſſet, vivebat; præciſum amittit vitam. Sic & homo Chriſtianus Catholicus eſt, dum in corpore vivit; præciſus hæreticus factus eſt: membrum amputatum non ſequitur ſpiritus. (c) Quare *ſi quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum: Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* (d) *Quoniam ad ipſam ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* (e) Siquidem *Catholica Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit: Pro corpore ejus, quæ eſt Eccleſia. Unde utique manifeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra verò Chriſti per unitatis caritatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Jeſus.* (f) *Salutem* igitur *nemo poteſt habere, niſi in Eccleſia Catholica. Extra Eccleſiam Catholicam totum poteſt, præter ſalutem. Poteſt habere honorem, poteſt habere ſacramentum, poteſt cantare Alleluja, poteſt reſpondere Amen, poteſt Evangelium tenere, poteſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fidem & habere, & prædicare. Sed nuſquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit invenire.* (g) *Quiſquis ergò ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quiſquis autem in hac Eccleſia benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata.* (h) *Extra cujus unitatem quidquid operantur* hæretici, *quamvis magnâ ſolertiâ, & diligentiâ fieri videatur, tamen illis nihil prodeſt adversùs iram Dei* (i) Neque enim *amare, nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia ejus non eſt; quoniam omnis, qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita æterna eſt. Hanc, dilectiſſimi, amemus omnes: tali Matri ſic amanti, ſic proſpicienti, ſic conſulenti inſeparabiliter inhæreamus, ut ſimul cum illa, & per illam Deo Patri perpetuò conjungi mereamur.* (k)

Hæc *Eccleſia Paradiſo comparata*, *indicat nobis poſſe quidem ejus Baptiſmum homines etiam foris accipere*; *ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere*, *vel tenere*. *Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam*; *munus autem beatæ vitæ*, *nonniſi intra Eccleſiam reperitur*. (l) *Quid ergò ſchiſmaticis prodeſt ſi & linguam in ſacris myſteriis habeant angelicam*, *& prophetiam*, *quemadmodum Caiphas*, *& Saul*, *ut aliquando prophetent*, *quos fuiſſe damnabiles Sancta Scriptura teſtatur? Si ſacramenta non tantùm ſciant*, *ſed & habeant*, *ſicut habuit Simon Magus? Si Fidem*, *ſicut dæmonia confeſſa ſunt Chriſtum? neque enim non credebant*, *cùm dicerent*: *Quid nobis*, *& tibi eſt Fili Dei*, *ſcimus qui ſis*. *Si diſpertiant ipſi etiam ſubſtantiam ſuam pauperibus*, *ſicut multi non ſolum in Catholicâ*, *ſed in diverſis hæreſibus faciunt? Si aliquâ ingruente perſecutione*, *tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide*, *quam pariter confitentur? tamen quia ſeparati hæc agunt*, *non ſufferentes invicem in dilectione*, *neque ſtudentes ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*, *caritatem utique non habendo*, *etiam cum illis omnibus*, *quæ nihil eis proſunt*, *ad æternam ſalutem pervenire non poſſunt*. (m) Quemadmodum Cornelius Gentilis homo, *quidquid boni in orationibus*, *& eleemoſynis habebat*, *prodeſſe illi non poterat*, *niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis & pacis incorporaretur Eccleſiæ*. (n) *Diaboli ergò filii ſunt*, *qui homines ab Eccleſia ſeducendo*, *interficiunt*. *Sicut autem per verba Dei novimus ubi ſit plantatus Paradiſus*, *ſic per verba Chriſti*, *ubi ſit Eccleſia*, *didicimus*. *Per omnes*, *inquit*, *gentes incipiens ab Jeruſalem*. *Ab iſto univerſo ad partem quamlibet quiſquis ſeparat hominem*, *ille Diaboli filius*, *& homicida eſſe convincitur*. Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Lib. 2. contra Creſconium cap. 33. num. 42. tom. 9. (*b*) Serm. 267. cap. 4. num. 4. tom. 5. (*c*) Serm. ult. de ſym. ad Cathecumenos cap. 13. num. 13. tom. 6. (*d*) Lib. de unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas cap. 19. num. 49. tom. 9. (*e*) Ibidem cap. 2. num. 2. tom. 9. (*f*) Serm. ad Cæſareenſis Eccleſiæ plebem num. 6. tom. 9. (*g*) Epiſtola 191. ex Concilio Zertenſi num. 5.

Digitized by Google

num. 5. tom. 2. (*b*) Lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 3. nnm. 6. tom. 9. (*i*) Serm. 3. de ſymbolo ad Cathecumenos cap. 12. num. 13. tom. 6. (*k*) Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. num. 1. tom. 9. (*l*) Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. num. 12. tom. 9. (*m*) Ibidem cap. 8. num. 10. (*n*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 13. num. 30. tom. 9.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino hæretici, & ſchiſmatici pertineant ad corpus Eccleſiæ?

Dicendum, ex S. Auguſtino hæreticos & ſchiſmaticos ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere: id autem evincitur ex ſententiarum delectu, quæ ex Sancto Doctore deſcriptæ hìc in ordinem collocantur.

I. LIb. 1. contra Creſconium Donatiſtam cap. 29. num. 34. tom. 9. *Non exiſtimo quemquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ pertinere unitatem eum, qui non habet caritatem. Sicut ergò Deus unus colitur ignoranter etiam extra Eccleſiam, nec ideo non eſt ipſe; & Fides una habetur ſine caritate etiam extra Eccleſiam, nec ideo non eſt ipſa: Ita & unus Baptiſmus habetur ignoranter, & ſine caritate, etiam extra Eccleſiam, nec ideo non eſt ipſe. Unus enim Deus, una Fides, unum Baptiſma, una incorrupta Catholica Eccleſia; non in quâ ſolâ unus Deus colitur, ſed in quâ ſolâ unus Deus piè colitur; nec in quâ ſolâ una fides retinetur, ſed in qua ſola una fides cum caritate retinetur; nec in quâ ſolâ unus Baptiſmus habetur, ſed in quâ ſolâ unus Baptiſmus ſalubriter habetur.* Quamobrem ex S. Auguſtino unus & idem Deus, qui piè colitur à Catholicis intra Eccleſiam, impiè colitur à ſchiſmaticis extra Eccleſiam: una atque eadem fides, quæ habetur utiliter à Catholicis intra Eccleſiam, inutiliter retinetur à ſchiſmaticis extra Eccleſiam: Baptiſmus unus & idem, qui religiosè cuſtoditur à Catholicis intra Eccleſiam, irreligiosè conſervatur à ſchiſmaticis extra Eccleſiam. At ex S. Doctore neque cultus ejuſdem Dei, neque ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem fidei profeſſio, neque Baptiſmi ejuſdem ſuſceptio, & adminiſtratio quidquam ſchiſmaticis proſunt ad ſempiternam ſalutem adipiſcendam. Quandoquidem ex S. Auguſtino ſchiſmatici ab unitate fraternæ, atque benevolæ caritatis, qua cetera Eccleſiæ membra mutuo inter ſe nexu copulantur, præciſi ſunt, ac ſegregati. Schiſmaticus enim ex S. Doctore, qui Catholicam caritatem non habet, ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ minimè pertinet. Ex quo efficitur id, quod volumus, ſchiſmaticos ex Sancto Auguſtino ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere. Neque obſtat, quod S. Doctor Lib. 1. de Baptiſmo cap. 10. num. 14. tom. 9. docuerit ſchiſmaticam Donati ſocietatem, ratione Baptiſmi nobiſcum communis, Catholicæ Eccleſiæ fuiſſe conjunctam, & ratione hujuſmodi conjunctionis, baptizando, filios genuiſſe Catholicæ Eccleſiæ. Latiſſima eſt enim conjunctio hujuſmodi, quæ in ſolâ ratione Chriſtiani Baptiſmi continetur: Neque eſt conjunctio membri cum corpore (ſi ſermo ſit de adultis) ſed convenientia mera communis ſigni, ſtigmatis, atque teſſeræ cum catholicâ multitudine. Neque aliter ratione Baptiſmi ad Eccleſiam pertinent ſchiſmatici, quàm oves ſegregatæ ad ovile, ſervi fugitivi ad familiam, milites transfugæ ad exercitum pertineant, ovilis, familiæ, exercitus ſecum communia ſigna aſportantes. Si quos verò baptizando ſchiſmaticæ ſocietates filios generant, ex S. Auguſtino ut ancillæ, non ut ſponſæ generant: non ſibi, ſed Eccleſiæ Catholicæ generant. Hinc loco citato de Eccleſia: *Ipſa*, inquit, *generat, & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum ſuarum, ex iiſdem ſacramentis, tamquam ex viri ſui ſemine*. Suprà autem de ſocietate ſchiſmatica dixerat S. Doctor. *Quaſi verò ex hoc generet, undè ſeparata eſt, & non ex hoc, unde conjuncta eſt. Separata eſt enim vinculo caritatis, & pacis; ſed juncta eſt in uno Baptiſmate.*

II. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 4. num. 7. tom. 9. *Totus Chriſtus caput, & corpus eſt. Caput Unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Eccleſia, Sponſus & Sponſa, duo in carne una. Quicumque de ipſo capite ab ſcripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inveniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus, quicumque de ipſo capite ſcri-*

pturis

Digitized by Google

pturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia. Quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt. Secernit ſuperiori loco Auguſtinus ſchiſmaticos ab hæreticis. Utroſque affirmat diſſentire ſcripturis ſanctis de Chriſto Domino. Docet hæreticos ſcripturis ſanctis diſſentire de capite, quod eſt Unigenitus Dei Filius. Schiſmaticos autem repugnare ſacris codicibus de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia. Addit cùm hæreticos, tùm ſchiſmaticos abſciſſos eſſe à corpore Eccleſiæ. Hæretici reſecti ſunt à corpore Eccleſiæ, eo quòd diſſentiant de capite, propter hæreſim, quæ catholicam fidem convellit. Schiſmatici præciſi ſunt à corpore Eccleſiæ, eo quòd diſſentiant de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, propter ſchiſma, quod caritatem catholicam violat. Ac proinde in eo convenire inter ſe concludit ſchiſmaticos atque hæreticos, quod in diverſa diſtracti, neutri communi conciliatione, ac ſocietate corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, cohæreant. Exploratum eſt igitur ex S. Auguſtino cùm ſchiſmaticos, tùm hæreticos ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere.

III. Ibidem cap. 24. num. 68. *Nos baptiſmum, quem habetis, de corpore Domini eſſe dicimus, hoc eſt, de Eccleſia, quamvis in ea ipſi non ſitis; ſicut omnes, qui non ædificant ſuper petram, ſed ſuper arenam.* Habemus igitur ex S. Auguſtino verum, ac validum apud ſchiſmaticos Donatiſtas eſſe Baptiſmum, quem de corpore Domini, quod eſt Eccleſia, ad eos profluxiſſe contendit. Nihilo tamen minus ex S. Doctore ſchiſmatici Donatiſtæ ad Chriſti Eccleſiam non pertinent. Non ſecus atque omnes hæretici in Chriſti Eccleſia non ſunt, utpote qui non ſuper firmam petram certiſſimæ veritatis, ſed ſuper nutantem arenam compertiſſimæ falſitatis ædificant. Quamobrem ex Sancto Auguſtino cùm ſchiſmatici, tùm hæretici ad corpus Eccleſiæ minimè pertinent.

IV. Ibidem cap. 25. num. 74. *Tunc quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cùm mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt: Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Sed cum pro ipſis operibus etiam veri-*

Digitized by Google

veritati apertiſſimæ, qua redarguitur, reſiſtere cæperit, tunc præciditur: & multi tales ſunt in ſacramentorum communione cum Eccleſia, & tamen jam non ſunt in Eccleſia. Alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cùm viſibiliter excommunicatur, conſequens erit, ut tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergò fictus accedat, atque adverſùs veritatem, & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas, numquid reconciliatur, numquid inſeritur? Abſit. Sicut ergò jam denuò communicans, nondum inſertus eſt; ſic & antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, qua convincitur, & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt.

V. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 108. num. 247. tom. 9. *Omnes iſti, inter quos & hæretici poſiti ſunt, ſicut dicit Apoſtolus, Regnum Dei non poſſidebunt; & ideo ad ſiniſtram partem cum Diabolo pertinebunt. Nec ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, quia ſacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim, & in talibus ſancta ſunt, & eis indignè tractantibus, & ſumentibus ad majus judicium valebunt. Ipſi autem non ſunt in illâ Eccleſiæ compage, quæ in membris Chriſti per connexum, & contactum creſcit in incrementum Dei.* Jam verò in priori ſententia comparat Sanctus Doctor Eccleſiam Catholicam longè latèque diffuſam Arbori ſpatioſiſſimæ, ac fæcundiſſimæ. Chriſtianos homines veluti ramos totidem explicatiſſimæ hujuſce Arboris eſſe agnoſcit. Mox diverſa Chriſtianorum hominum genera indicat. Videlicet: Juſtos, Injuſtos, occultos ſchiſmaticos, & hæreticos, nec dum canonicè excommunicatos. Item manifeſtos ſchiſmaticos & hæreticos, & jam canonicè excommunicatos. Docet Juſtos Chriſtianos ſeſe habere reſpectu Eccleſiæ, veluti ramos Arbori cohærentes, virentes, ſaluberrimorumque fructuum fœcundos. Chriſtianos autem Injuſtos ſe ſe habere reſpectu Eccleſiæ, veluti ramos Arbori quidem cohærentes, fide virentes, ſed non caritate fœcundos. Occultos ſchiſmaticos, & hæreticos, nec dum canonicè excommunicatos ſeſe habere affirmat reſpectu Eccleſiæ, veluti ramos aridos, cohærentes quidem trun-

trunco conſpicuo, neque externa præciſione amputatos, eo quòd adhùc retineant externam ejuſdem fidei profeſſionem, externam Sacramentorum eorumdem communicationem, externamque legitimis Eccleſiæ Paſtoribus ſubjectionem. His enim tribus titulis tota conſpicuæ Eccleſiæ Catholicæ ratio continetur. At vero ramos hujuſmodi aridos eſſe pronuntiat, ab occultà, & inconſpicuà radice præciſione internà amputatos. Poſtremò docet, manifeſtos ſchiſmaticos, hæreticos, & jam canonicè excommunicatos, ſeſe habere reſpectu Eccleſiæ, veluti ramos Arboris non ſolum aridos, verum etiam & à radice inconſpicuà, & à trunco Eccleſiæ conſpicuo internà, externàque præciſione amputatos. Quod ſi res referatur ad animati corporis allegoriam, quà utitur S. Doctor in poſteriori ſententia; quæ de præciſis ramis reſpectu Arboris, qua ſignificatur Eccleſia, eadem de præciſis membris reſpectu Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, S. Auguſtinus ſtatuit, atque decernit. Quæ cum ita ſint ex S. Auguſtino conficitur cùm ſchiſmaticos, tum hæreticos ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere.

VI. Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 23. num. 33. tom. 9. *Quemadmodum autem Spiritum Sanctum ſicut habent filii dilecti, non habent filii maligni; & tamen Baptiſmum habent: ſic & Eccleſiam ſicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen Baptiſmum habent .... Itaque ſicut poteſt Baptiſma eſſe, & unde ſe aufert Spiritus Sanctus; ita poteſt eſſe Baptiſma, ubi non eſt Eccleſia.* Itaque ex Sancto Auguſtino, quemadmodum fideles juſti, & injuſti, quamvis in eo conveniant, quòd utrique habeant Baptiſmum, tamen in eo diſcrepant, quòd juſti fideles juſtificantem habent Spiritus Sancti gratiam, cujus expertes ſunt fideles injuſti. Sic hæretici, atque Catholici licet in eo conveniant, quòd utrique habeant Baptiſmum, repugnant tamen in eo, quòd Catholici habent Eccleſiam, quam non habent hæretici. Quare ex S. Auguſtino ſicuti Baptiſmus eſt apud fideles injuſtos, in quibus non eſt Spiritus Sancti gratia, à quà ſunt alieni; ita apud hæreticos eſt Baptiſmus, in quibus non eſt Chriſti Domini Eccleſiâ, à quâ ſunt præciſi. Ac proindè ex S. Auguſtino hæretici ad corpus Eccleſiæ nequaquam pertinent.

VII.

Digitized by Google

VII. Lib. de Fide, & Symbolo cap. 10. num. 21. tom. 6. *Credimus & ſanctam Eccleſiam, utique Catholicam. Nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant. Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant; ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna caritate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum.* Docemur igitur ex S. Auguſtino, quod cum ſchiſmatici, tùm hæretici congregationes ſuas vocant Eccleſias. At prorſus immeritò. Vera enim Chriſti Eccelſia Catholica eſt, videlicet, univerſalis. Hæreticorum autem, & ſchiſmaticorum, quæ dicuntur Eccleſiæ, non univerſales ſunt, ſed particulares; ac proindè ſynagogæ ſunt, non Eccleſiæ. Neutri ergò ex Sancto Auguſtino ad Eccleſiam Catholicam pertinent. Non hæretici, quia falſa ſentiendo, Fidem Catholicam violant. Non ſchiſmatici, quia diverſa ſequendo, Caritatem Catholicam labefactant. Quapropter ex Sancto Doctore neque hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, utpotè quæ publicâ divinæ fidei profeſſione Deum diligit: neque ſchiſmatici ad Eccleſiam Catholicam pertinent, utpotè quæ publicâ fraternæ caritatis communicatione diligit proximum. Itaque ex Sancto Auguſtino cùm ſchiſmatici, tùm hæretici ad corpus Eccleſiæ minimè pertinent.

VIII. Serm. 251. cap. 1. num. 1, tom. 5. *Illa piſcatio ſignificavit Eccleſiam, qualis eſt modo.... Tria.... in illa piſcatione ſignificata ſunt, mixtura bonorum & malorum, preſſura turbarum, ſeparationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum; quia nec in dexteram, nec in ſiniſtram miſſa ſunt retia: preſſura turbarum; quia tantum captum eſt, ut naviculæ premerentur: ſeparationes hæreticorum; quia tanta fuit multitudo, ut retia rumperentur.* In prolato ſermone 251. diſſerit S. Doctor de duplici Apoſtolica piſcatione, quarum prima, ante Chriſti Domini obitum; altera verò, Chriſto jam redivivo, in Evangelicâ hiſtoriâ contigiſſe, narratur. Utramque imaginem eſſe veræ Chriſti Eccleſiæ demonſtrat. Primam, imaginem eſſe docet præſentis Eccleſiæ militantis in terrâ: Alteram,

Digitized by Google

ram, imaginem eſſe affirmat futuræ Eccleſiæ triumphantis in Cælo. Expendit caſus diverſos, varioſque eventus piſcationis utriuſque, quæ omnia ſingillatim transfert ad explicandum varium, diverſumque ſtatum utriuſque Eccleſiæ. Quod pertinet ad rem præſentem, quam habemus præ manibus, docet, quod piſces illi, qui in piſcatione primâ, diſruptis retibus, foras elapſi ſunt, ſchiſmaticos ſignificant, atque hæreticos, qui diſruptâ texturâ & compagine Eccleſiæ, foras erumpunt, neque amplius pertinent ad Eccleſiam. Sequenti verò ſermone 252. cap. 4. num. 4. tom. 5. idem argumentum verſans, ſciſſuras retis ſchiſmata, atque hæreſes eſſe docet, quod accurata enumeratione commemorat per hæc verba. *Diſruptis retibus, hæreſes, & ſchiſmata facta ſunt. Retia quidem omnes concludunt..... Et retia quidem illa per totum expanduntur: qui rumpunt autem per loca rumpunt. Donatiſtæ ruperunt in Africa, Ariani ruperunt in Ægypto, Photiniani ruperunt in Pannonia, Cataphryges ruperunt in Phrygiâ, Manichæi ruperunt in Perſide. Quot locis ſagena illa diſrupta eſt? Et tamen, quos includit, perducit ad littus.* Quamobrem ſi transferatur allegoria ab Eccleſiæ ſagenâ, excludente piſces ſchiſmaticos, atque hæreticos, ad animatum corpus Eccleſiæ, reſecante membra ſchiſmatica, atque hæretica, concludendum eſt cum S. Auguſtino, neque ſchiſmaticos, neque hæreticos ad corpus Eccleſiæ pertinere.

IX. Serm. 5. num. 1. tom. 5. *Sunt quidam eorum qui Chriſtiani vocantur, & non ſunt, quos partim digeſſit Eccleſia tamquam ſtercora, ut ſunt omnes hæreſes, & omnia ſchiſmata .... Sunt autem alii, qui intus mali ſunt, & ipſa communione Catholica continentur, quos neceſſe eſt toleret Chriſtianus bonus uſque in finem, quia ventilatio meſſis hujus areæ non erit, niſi dies judicii.* Definit hic Auguſtinus, quod ſchiſmatici, atque hæretici publici, manifeſti, & canonicè ab Eccleſiâ excommunicati ſunt tanquam ſtercora, jam egeſta ab Eccleſia: Latentes autem, qui ſe doloſâ occultatione tutantur, ut noceant impunè, ſe habent veluti occulta ſtercora, quæ nondum ab alvo ſua excrevit Eccleſia. His ſimilia S. Doctor confirmat

Digitized by Google

Tract. 3. in Epiſt. 1. Jo. num. 4. tom. 3. Explicans enim ſententiam illam Joannis Epiſt. 1. cap. 2. num. 19. De ſchiſmaticis, atque hæreticis: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*, ſic diſſerit S. Doctor: *Omnes hæretici, omnes ſchiſmatici ex nobis exierunt, ideſt, ex Eccleſia exeunt: ſed non exirent, ſi ex nobis eſſent. Antequam exirent ergò, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis, multi intus ſunt, non exierunt, ſed tamen Antichriſti ſunt.* Et infra in fine ejuſdem numeri per hæc verba concludit: *Et ſunt qui intus ſic ſunt in Corpore Domini Noſtri Jeſu Chriſti: Quandoquidem adhuc curatur corpus ipſius, & ſanitas perfecta non erit, niſi in reſurrectione mortuorum: ſic ſunt in Corpore Chriſti, quomodò humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus: ſic & mali quandò exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et dicit, quandò eos evomit, atque projicit corpus: Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Quid eſt, non erant ex me? Non de carne meá præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant, cum ineſſent.* Denique ſub num. 5. expendens extrema Apoſtolicæ illius ſententiæ verba. *Sed ut manifeſtarentur, quod non omnes erant ex nobis*, hæc habet. *Ideo addidit, ut manifeſtarentur, quia & intus cum ſunt, non ex nobis ſunt: non tamen manifeſti ſunt, ſed exeundo manifeſtantur.*

His poſitis, habes 1. ex S. Auguſtino, occultos ſchiſmaticos, atque hæreticos eſſe in Eccleſia, ſicuti ſunt in corpore noxia excrementa, humoreſque venefici. Habes 2. malè ſe habere Eccleſiam, atque ægrotare quamdiu intus habet occultos ſchiſmaticos, atque hæreticos; quemadmodum malè ſe habet, & ægrotat corpus quamdiu habet incluſa pernicioſa excrementa, atque malignos humores. Habes 3. convaleſcere Eccleſiam, & melius ſe habere, quando canonicâ excommunicatione projicit à ſe ſchiſmaticos, atque hæreticos: non ſecus atque convaleſcit, multòque melius habet ſe corpus, ſalubri humorum malorum ejectione, utilique gravantium excrementorum dejectione. Habes poſtremò in rem noſtram, ſchiſmaticos, atque hæreticos manifeſtos, canonicâ excommunicatione

tione

Digitized by Google

tione ab Eccleſiæ corpore ejectos, nullâ prorſus, ne latiori quidem ratione, amplius pertinere ad Eccleſiam: quemadmodum excluſi humores nocentes, atque dejecta pernicioſa excrementa, nullá prorſus, ne latiori quidem uſurpatione, ad animatum corpus deinceps pertinent. Quæ cum ita ſint, ex Sancto Auguſtino concludimus, cùm ſchiſmaticos, tùm hæreticos ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere.

X. Ibidem num. 3. *Putatis, fratres, quia ad hoc vult ſe diſcerni Eccleſia, ut ab hæreſibus tamquam ſarmentis præciſis ſeparetur? Jam ab ipſis ſeparata eſt. Numquid ita dicit Eccleſia*: Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam, *ut à parte Donati, ut ab Arianis, vel à Manichæis ſegregetur? Non ſe rogat diſcerni, niſi ab his qui ei mixti ſunt, quos oportet, ut toleret uſque in finem.*

XI. Serm. 46. cap. 8. num. 18. tom. 5. *Eſt in Africâ pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africâ; ſed cum parte Donati eſt hìc Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non eſt pars Donati; ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tamquam vitis, creſcendo ubiquè diffuſa: Illi ſic ſunt tamquam ſarmenta inutilia, agricolæ falce præciſa merito ſterilitatis ſuæ, ut vitis putaretur, non amputaretur. Sarmenta ergò illa ubi præciſa ſunt, ibi remanſerunt. Vitis autem creſcens per omnia, & ſarmenta ſua novit, quæ in illa manſerunt, & juxta ſe, quæ de illâ præciſa ſunt.*

XII. Serm. 1. de ſymbolo ad Cathecumenos cap. 6. num. 14. tom. 6. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans; pugnare poteſt, expungari non poteſt. Hæreſes omnes de illâ exierunt, tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.* Jam verò verba illa Pſalmi 42. *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam*, ex S. Auguſtino, Eccleſiæ clamores ſunt, à Deo poſtulantis, ut ſegregetur à malis, ab occultis ſchiſmaticis, latentibuſque hæreticis; ac proindè à noſtris etiam hæreticis Calvinianis, Bajanis, Janſenianis, Queſnellianis occultis, ſiqui in Eccleſiæ ſinu ſub mendaci larvâ ſimulati Catholi-

Digitized by Google

ciſmi occultantur: eò nocentiores, quò latentiores; tantòque ſceleratiores ex Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. num. 32. tom. 9., quantò magis errori hæreſis, & diviſioni unitatis, fallaciam ſimulationis adjungunt. Majus enim imminet Eccleſiæ periculum ab inimico occulto, quàm ab hoſte manifeſto. Ab hoſte enim manifeſto cavere ſibi poteſt Eccleſia; ab inimico autem occulto cavere ſibi nequaquam poteſt. Non ergò ex S. Auguſtino verbis illis Davidicis petit à Deo Eccleſia, ut à publicis, manifeſtiſque ſchiſmaticis, atque hæreticis, ut à Donatiſtis, ab Arianis, à Manichæis ſegregetur; ab his enim jam diſcreta, ac ſegregata Eccleſia reipsà eſt; ſed ab occultis. Siquidem publici, manifeſtique ſchiſmatici, hæretici, atque canonicè ab Eccleſia excommunicati ſe habent reſpectu Eccleſiæ tanquam ſarmenta arida à virenti vite præciſa. Eccleſia enim Catholica ex S. Auguſtino eſt inſtar vitis ampliſſimæ, ubiquè diffuſæ. Fideles autem Catholici ſunt veluti ſarmenta utilia Eccleſiæ viti cohærentia. Schiſmatici autem, & hæretici manifeſti, atque canonicè ab Eccleſia excommunicati ſunt tanquam ſarmenta inutilia, agricolæ falce, meritò ſterilitatis ſuæ ab Eccleſiæ vite præciſa. Quamobrem translatâ à vite ad corpus ſimilitudine ex S. Auguſtino dicendum eſt, cùm ſchiſmaticos, tùm hæreticos ad corpus Eccleſiæ minimè pertinere.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Illa piſcatio ſignificavit Eccleſiam qualis eſt modo. Tria in illâ piſcatione ſignificata ſunt, mixtura bonorum & malorum, preſſura turbarum, ſeparationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum; quia nec in dexteram, nec in ſiniſtram miſſa ſunt retia: Preſſura turbarum; quia tantum captum eſt, ut naviculæ premerentur: Separationes hæreticorum; quia tanta fuit multitudo, ut retia rumperentur.* (b) *Sunt* enim *quidam eorum qui Chriſtiani vocantur, & non ſunt, quos partim digeſſit Eccleſia, tamquam ſtercora, ut ſunt omnes hæreſes, & omnia ſchiſmata, quæ etiam comparantur* *ſar-*

Digitized by Google

ſarmentis infructuoſis de vite præciſis, & paleis quas ante ventilationem de area ventus rapit. (c) *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans: Pugnare poteſt; expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa.* (d) *Putatis, fratres, quia ad hoc vult ſe diſcerni Eccleſia, ut ab hæreſibus, tamquam ſarmentis præciſis ſeparetur? Jam ab ipſis ſeparata eſt: Numquid ita dicit Eccleſia:* Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam, *ut à parte Donati, ut ab Arianis, vel à Manichæis ſegregetur? Non ſe rogat diſcerni, niſi ab his, qui ei mixti ſunt, quos oportet ut toleret uſque in finem.* (e) *Eſt in Africá pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africá; ſed cum parte Donati eſt hìc Catholica. Sunt in oriente Eunomiani; ibi autem non eſt pars Donati; ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tamquam vitis, creſcendo ubique diffuſa: Illi ſic ſunt tamquam ſarmenta inutilia, agricolæ falce præciſa merito ſterilitatis ſuæ, ut vitis putaretur, non amputaretur. Sarmenta ergò illa, ubi præciſa ſunt, ibi remanſerunt. Vitis autem creſcens per omnia, & ſarmenta ſua novit, quæ in illá manſerunt, & juxta ſe, quæ de illá præciſa ſunt.* (f) *Tunc* enim *quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt: ſed cum pro ipſis operibus etiam veritati apertiſſimæ, qua redarguitur, reſiſtere cæperit, tunc præciditur. Et multi tales ſunt in ſacramentorum communione cum Eccleſia; & tamen non ſunt in Eccleſia. Alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cùm viſibiliter excommunicatur, conſequens erit, ut tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergò fictus accedat, atque adverſus veritatem, & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas, numquid reconciliatur, numquid inſeritur? Abſit. Sicut ergò jam denuo communicans, nondum inſertus eſt: ſic antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, qua convincitur, & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt* (g) *Nec* hujuſmodi *idea putandi ſunt*

eſſe

Digitized by Google

eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, quia ſacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim, & in talibus ſancta ſunt, & eis indignè tractantibus, & ſumentibus ad majus judicium valebunt: Ipſi autem non ſunt in illâ Eccleſiæ compage, quæ in membris Chriſti per connexum, & contactum creſcit in incrementum Dei. (h) *Totus* enim *Chriſtus caput, & corpus eſt: caput Unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Eccleſia, ſponſus & ſponſa, duo in carne unâ. Quicumque de ipſo capite ab ſcripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inveniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia.* Et *rurſus: Quicumque de ipſo capite ſcripturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia; quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.* (i) *Non* enim *exiſtimo quemquam ita deſipere, ut credat ad Eccleſiæ pertinere unitatem eum, qui non habet caritatem. Sicut ergò Deus unus colitur ignoranter etiam extra Eccleſiam, nec ideò non eſt ipſe; & fides una habetur ſine caritate etiam extra Eccleſiam, nec ideò non eſt ipſa: ita & unus Baptiſmus habetur ignoranter, & ſine caritate etiam extra Eccleſiam, nec ideò non eſt ipſe. Unus* enim *Deus, una Fides, unum Baptiſma, una incorrupta Catholica Eccleſia; non in quâ ſolâ unus Deus colitur, ſed in quâ ſolâ unus Deus piè colitur; nec in quâ ſolâ una fides retinetur, ſed in quâ ſolâ una fides cum caritate retinetur; nec in quâ ſolâ unus Baptiſmus habetur, ſed in quâ ſolâ unus Baptiſmus ſalubriter habetur.* (k) *Quemadmodum autem Spiritum Sanctum ſicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, & tamen Baptiſmum habent: ſic & Eccleſiam ſicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen Baptiſmum habent. Itaque ſicut poteſt Baptiſma eſſe, & unde ſe aufert Spiritus Sanctus; ita poteſt eſſe Baptiſma, ubi non eſt Eccleſia.* (l) *Nos* igitur *Baptiſmum, quem habetis,* o Donatiſtæ, *de corpore Domini eſſe dicimus, hoc eſt, de Eccleſia, quamvis in ea ipſi non ſitis; ſicut omnes qui non ædificant ſuper petram, ſed ſuper arenam.* (m) *Credimus* ergò *ſanctam Eccleſiam utique Catholicam. Nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant, ſed*

ſed hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant: Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna caritate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Serm. 251. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*b*) Serm. 5. num 1. tom. 5. (*c*) Serm. 1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 6. num. 14. tom. 6. (*d*) Serm. 5. num. 3. tom. 5. (*e*) Serm. 46. cap. 8. num. 18. tom. 5. (*f*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 25. num. 74. tom. 9. (*g*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 108. num. 247. tom. 9. *h*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 4. num. 7. tom 9. (*i*) Lib. 1. contra Creſconium Donatiſtam cap. 29. num. 34. tom. 9. (*k*) Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 23. num. 33. tom. 9. (*l*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 24. num. 68. tom. 9. (*m*) Lib. de Fide, & Symbolo cap. 10. num. 21. tom. 6.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino Fideles reprobi, & Fideles injuſti præciſi ſint à corpore Eccleſiæ?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Fideles reprobi, & Fideles injuſti præciſi ſint à corpore Eccleſiæ. Utroſque enim à ſincero corpore Eccleſiæ, tamquam vitiata & corrupta membra, præciſos eſſe ſubjectis ſententiis S. Doctor ſic declarare videtur.

I. IN Pſal. 131. num 13. tom. 4. *Itaque, fratres, in his eſt domus Dei, quos prædeſtinavit, & præſcivit perſeveraturos. De illis dictum eſt: Ubi ſteterunt pedes ejus. Sunt enim, qui non perſeverant, nec ſtant pedes ejus in eis. Non ſunt ergò ipſi Eccleſia: non ipſi pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum.*

II. In Pſal. 139. num. 2. tom. 4. *Sunt quidam perſeveraturi in malitiâ ſuâ, ad Chriſti Corpus non pertinentes; & ipſi noti ei utique, cui nihil ignotum eſt.*

III.

Digitized by Google

III. Lib. de Agone Chriſtiano cap. 26. num. 28. tom. 6. *Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, in ipsa dextera, hoc eſt, in ipſa beatitudine futurum eſt.*

IV. Lib. 2 Contra Creſconium cap. 21. num. 26. tom. 9. de malis Chriſtianis. *In corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia; quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata; proindè, & ipſi extra Eccleſiam baptizant. Omnia quippe iſta monſtra, abſit omninò, ut in membris illius columbæ unicæ computentur; abſit ut intrare poſſint limites horti concluſi, cujus ille cuſtos eſt, qui non poteſt falli. Qui tamen ſi confitentur, & corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus horti concluſi, tunc in membris unicæ columbæ numerantur, nec tamen denuò baptizantur.*

V. In Pſal. 98. num. 4. tom. 4. *Quæ eſt civitas Dei, niſi ſancta Eccleſia? Homines enim amantes ſe invicem, & amantes Deum ſuum, qui in illis habitat, faciunt civitatem Deo, quia lege quadam civitas continetur; lex ipſa eorum caritas eſt, & ipſa caritas Deus eſt. Apertè enim ſcriptum eſt: Deus caritas eſt. Qui ergò plenus eſt caritate, plenus eſt Deo. Et multi pleni caritate, civitatem faciunt Deo. Iſta civitas Dei, vocatur Sion: Ergò Eccleſia eſt Sion.*

VI. Lib. de Agone Chriſtiano cap. 20. num. 22. tom. 6. *Si enim Eccleſiæ caput eſt homo ille, cujus ſuſceptione Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, membra cetera ſunt omnes ſancti, quibus perficitur, & completur Eccleſia.*

VII. Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 27. num. 38. tom. 9. *Quod in cantico canticorum Eccleſia ſic deſcribitur: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum: Hoc intelligere non audeo, niſi in ſanctis, & juſtis, non in avaris & fraudatoribus, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebrioſis, & invidis.*

VIII. Lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 51. num. 99. tom. 9. *Quibus omnibus conſideratis, puto me non temere dicere: Alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi etiam ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari ſuper petram, quæ unica columba appellatur, quæ ſponſa pulcra, ſine maculâ & rugâ,*

& hor-

Digitized by Google

& hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum, quæ domus etiam claves accepit, ac poteſtatem ſolvendi, & ligandi .... Alios autem ita dici eſſe in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem fructiferæ, pacificæque juſtitiæ; ſed ſicut palea dicitur in frumentis; nam & iſtos eſſe in domo negare non poſſumus, dicente Apoſtolo: In magna autem domo non ſolum aurea vaſa ſunt, vel argentea, ſed & lignea, & fictilia; & alia quidem ſunt in honorem, alia verò in contumeliam.

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Auguſtino Fideles reprobos, & Fideles injuſtos non eſſe præciſos a corpore Eccleſiæ. Id autem facilè ſuadent plurima S. Doctoris teſtimonia, quæ propoſitam à nobis ſententiam tuentur, ex quibus ſelecta quædam hìc meditanda ſubjicimus.

I. Serm. 137. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui jam pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit, caput eſt Eccleſiæ, & eſt corpus ejus Eccleſia, & in ejus corpore unitas membrorum, & compago caritatis, tamquam ſanitas exiſtit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Chriſti. Sed potens eſt ille, qui jam exaltavit caput noſtrum, etiam infirma membra ſanare; dum tamen non nimia impietate præcidantur, ſed hæreant corpori, donec ſanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non deſperatæ ſanitatis eſt; quod autem præciſum fuerit, nec curari, nec ſanari poteſt. Cum ergò ſit ille caput Eccleſiæ, & ſit corpus ejus Eccleſia, totus Chriſtus, & caput, & corpus eſt.* Habemus igitur ex S. Auguſtino, quod in myſtico Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, & ſunt membra ſana, & ſunt membra infirma. Membra ſana Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, Fideles juſti ſunt, quorum ſanitas caritas eſt. Membra infirma corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, Fideles injuſti ſunt, quorum infirmitas defectus eſt caritatis. Membra hujuſmodi ex defectu caritatis infirma ex Sancto Doctore hærent adhuc corpori Eccleſiæ; & pro-

Digitized by Google

propter hanc cohæſionem curari poſſunt, atque ſanari. Qui autem propter nimiam impietatem majori & mortali feriuntur excommunicatione, ab Eccleſiæ corpore præciduntur. Siquidem ex S. Auguſtino Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. ult. tom. 9. *Excommunicari eſt viſibiliter præcidi ab Eccleſia.* Qui autem minori & medicinali excommunicatione ab acceſſu Euchariſticæ Menſæ amoventur, & inter publicos pœnitentes conjiciuntur, ab Eccleſiæ corpore non ſunt præciſi. De his diſſerens S. Doctor Lib. contra Donatiſtas poſt Collationem cap. 20. num. 28. tom. 9. *Neque enim*, inquit, *à populo Dei ſeparamus, quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*. Ex his autem probè perſpectis, & animo comprehenſis efficitur, quod ex S. Auguſtino Fideles injuſti à corpore Eccleſiæ non ſunt præciſi.

II. In Pſal. 62. num. 2. tom. 4. *Si ille caput eſt, nos membra ſumus, tota Eccleſia ejus, quæ ubique diffuſa eſt, corpus ipſius eſt, cujus eſt ipſe caput. Non ſolum autem Fideles, qui modo ſunt, ſed & qui fuerunt ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt uſque in finem ſæculi, omnes ad corpus ejus pertinent.*

III. In Pſal. 56. num. 1. tom. 4. *Corpus ejus eſt Eccleſia, non iſta, aut illa, ſed toto orbe diffuſa, nec ea quæ nunc eſt in hominibus, qui præſentem vitam agunt; ſed ad eam pertinentibus etiam his, qui futuri ſunt poſt nos uſque in finem ſæculi. Tota enim Eccleſia conſtans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra ſunt Chriſti, habet illud caput poſitum in cælis, quod gubernat corpus ſuum: etſi ſeparatum eſt viſione; ſed adnectitur caritate.*

IV. In Pſal. 137. num. 4. tom. 4. *Eccleſia deorſum, & Eccleſia ſurſum: Eccleſia deorſum in omnibus Fidelibus: Eccleſia ſurſum in omnibus Angelis.* Quamobrem ex Sancto Auguſtino, quemadmodum Eccleſia, quæ in cælo triumphat, coaleſcit ex omnibus, quos continet, Angelis; ita Eccleſia, quæ in terrâ militat, conſtituitur ex omnibus, quos recenſet, fidelibus. Item ex S. Doctore, Fideles omnes ubique diffuſi, quotquot fuerunt ab Eccleſiâ conditâ, & uſque ad extremum hujus mundi diem futuri ſunt, membra ſunt corporis Chriſti, quod eſt Ec-

Digitized by Google

Eccleſia; omneſque pertinent ad myſticum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia. Jam verò, inter omnes Fideles, ubique diffuſos, præſentes, præteritos, atque futuros, non pauci ſunt Fideles injuſti, multique reprobi Fideles ſunt. Neque enim vel temporariam abiiciendo juſtitiam, ut multi Fideles prædeſtinati; vel finalem relicturi juſtitiam, ut omnes Fideles reprobi, eo ipſo deſinunt eſſe Fideles, & ex fidelibus fiunt infideles. Siquidem ex Concilio Tridentino ſeſs. 6. can. 8. *Siquis dixerit, amiſſa per peccatum gratiâ, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine caritate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Itaque ex S. Auguſtino, neque Fideles injuſti, neque Fideles reprobi, ex eo quòd injuſti, vel reprobi ſunt, à corpore Eccleſiæ præciſi ſunt.

V. In Pſal. 138. num. 26. tom. 4. de capite noſtro Chriſto Domino. *Deinde dicit, quid interea per totum hoc tempus, dum jam reſurrexit, & adhùc cum Patre eſt, patiatur hìc per commixtionem peccatorum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, & per ſeparationem hæreticorum.* Docet in ſuperiori ſententia Auguſtinus, quod quamvis inconſpicuum Eccleſiæ conſpicuæ caput, quod eſt Unigenitus Dei Filius, ſit in cælo beatiſſimum; adhùc tamen conſpicuum Chriſti Domini corpus, quod eſt Eccleſia, hac labente mortali ætate, multa patitur, & laborat in terrâ, cùm propter ſeparationem hæreticorum, tùm propter commixtionem improborum, in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia. Affirmat igitur Auguſtinus Fideles injuſtos, & peccatores, è quorum numero multi proculdubio reprobi ſunt, membra eſſe commixta corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia; & è contrariò, hæreticos membra eſſe ab Eccleſiæ corpore ſeparata, & præciſa. Quare ex S. Auguſtino neque Fideles injuſti, neque Fideles reprobi, ratione inconſpicuæ injuſtitiæ, & reprobationis, præciſi ſunt à corpore Eccleſiæ conſpicuo.

VI. In Pſal. 43. num. 25. tom. 4. *Non ſine cauſâ dictum eſt de ventre iſto, quod adhæſit in terrâ, niſi quia illi ſignificantur, qui perſecutionem non tolerantes, conſenſerunt iniquis; ſic enim hæſerunt in terrâ. Sed quare dicti ſunt venter, niſi quia carnales*

nales ſunt; ut os Eccleſiæ in ſanctis, in ſpiritalibus ſit; venter Eccleſiæ in carnalibus ſit? Itaque os Eccleſiæ eminet; venter abſconditus eſt, tamquam mollior, & infirmior. In duas partes, loco, & conſtitutione ſatis diverſas, Eccleſiæ corpus diſcriminat hìc Auguſtinus, quarum altera eſt os ſolidum, atque ſublime; altera verò eſt venter humilis, atque mollis. Docet Fideles juſtos, & probos ad ſolidum, atque ſublime os Eccleſiæ pertinere. Ex injuſtis autem, improbiſque Fidelibus, quos inter continentur & reprobi, humilem, mollemque ventrem Eccleſiæ coagmentari. Ex horum numerò prodiiſſe affirmat ignavos illos Fideles, qui in Fidei quæſtione, à religione Chriſtiana turpiter defecerunt, quibus accomodat illa verba Pſalmi 43. *Hæſit in terrá venter noſter.* Quamobrem ex S. Auguſtino neque Fideles injuſti, neque Fideles reprobi præciſi ſunt à corpore Eccleſiæ.

VII. Serm. 248. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Recolamus ergò vobiſcum duas illas piſcationes diſcipulorum, factas jubente Domino Jeſu Chriſto, unam ante paſſionem, alteram poſt reſurrectionem. In his ergò duabus piſcationibus tota figuratur Eccleſia, & qualis eſt modo, & qualis erit in reſurrectione mortuorum: Modo enim habet ſine numero multos & bonos, & malos: poſt reſurrectionem autem habebit certò numero ſolos bonos.*

VIII. Tract. 122. in Jo. num. 7. tom. 3. *Dominus alia piſcatione ſignificavit Eccleſiam, qualiter nunc ſit. Quod autem illud fecit in initio prædicationis ſuæ; hoc verò poſt reſurrectionem ſuam, hinc oſtendit illam capturam piſcium bonos, & malos ſignificare, quos nunc habet Eccleſia; iſtam verò tantummodo bonos, quos habebit in æternum, completa in fine hujus ſæculi reſurrectione mortuorum.*

IX. In Pſalmo contra partem Donati num. 9. tom. 9. *Quiſquis novit Evangelium, recognoſcat cum timore: Videt reticulum, Eccleſiam; videt hoc ſæculum, mare: Genus autem mixtum piſcis, juſtus eſt cum peccatore.* Jam verò adepti ſumus ex S. Auguſtino, quod duplex illa piſcatio Apoſtolica, quarum prima contigit, Chriſto mortalitati adhùc obnoxio; altera

verò

verò, Chriſto immortalitatem jam aſſecuto, imago fuit duplicis ſtatûs Eccleſiæ: Prior, Eccleſiæ militantis in terrâ; Poſterior, Eccleſiæ triumphantis in Cælo: Rete, jubente Domino, in piſcatione primâ, medio mari laxatum, concludens piſces multitudine innumerabiles, & bonos & malos, præſentem Eccleſiam, militantem in terrâ, ſignificavit, quæ explicatiſſimo ſinu ſuo continet, atque complectitur fideles omnes, juſtos & injuſtos, probos & improbos, prædeſtinatos & reprobos, quorum maxima eſt copia. Rete autem, ad redivivi Domini imperium, non in medio mari, ſed ex dexterâ navis parte dimiſſum, quod in piſcatione ſecundâ contigiſſe narratur, certis, magniſque piſcibus, centum quinquaginta tribus onuſtum, futuram Eccleſiam, in Cælo triumphantem, expreſſit, omnes & ſolos fideles juſtos, pios, ſanctos, atque prædeſtinatos beatiſſimo ſinu ſuo complexuram, quorum certus, & prædefinitus eſt numerus. Itaque ab rete ad corpus ſimilitudine revocata cum S. Auguſtino concludendum eſt, quod neque fideles injuſti, neque fideles reprobi, habitâ dumtaxat ratione occultæ reprobationis, & injuſtitiæ, à conſpicuo, & in conſpectu omnium poſito, Eccleſiæ corpore præciſi ſunt.

X. Serm. 250. num. 2. tom. 5. *Quia ergò nec in dexteram, nec in ſiniſtram dixit, boni & mali ſignificantur, de quibus loquitur Evangelium alio loco, quia miſit Pater-familias ſervos ſuos, parata cœna, & adduxerunt, quos invenire potuerunt, bonos & malos; & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. Talis eſt modo Eccleſia, plena bonis & malis.*

XI. Ad Marcellinum Epiſt. 129. num. 5. tom. 2. de Donatiſtis. *Si attenderunt, & quod facile fuerat adverterunt in Scripturis Sanctis Eccleſiam Chriſti permixtis zizaniis, & paleâ, & piſcibus malis futuram eſſe promiſſam, uſque ad tempus meſſis, ventilationis, & littoris.*

XII. Lib. 22. contra Fauſtum cap. 88. tom. 8. *Apparet in perſona hujus Salomonis, & mira excellentia, & mira ſubverſio. Quod igitur in illo diverſis temporibus extitit, prius bonum, & poſterius malum, boc in Eccleſia in iſto adhuc ſæculo ſimul uno tempore oſtenditur: Nam bono illius, bonos Eccleſiæ;*

malo

malo autem illius, malos Eccleſiæ ſignificatos puto: Tamquam in unitate unius arcæ, ſicut in uno illo homine bonos in granis, malos in paleá; ut in unitate unius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizaniis. S. Auguſtinus in medium hìc profert ſymbola quædam ex ſacris codicibus delibata, quibus militantis Eccleſiæ ſtatus multò ante prænuntiatus, atque promiſſus eſt. Hujuſmodi ſunt nuptiale convivium frequentiſſimum, area ſpatioſiſſima, ſeges opulentiſſima. Quemadmodum enim ex S. Doctore Evangelicum illud convivium diſcumbentes convivas complectebatur, ex omni hominum genere, bonorum, atque malorum: Et Evangelica illa area acervum ingentem ſuſtentabat plurimo tritico, plurimaque paleâ tumidum: Et Evangelica illa ſeges inter ſata læta permixtum habebat infelix lolium, ſteriléſque avenas; ita ex S. Doctore conſpicua Chriſti Domini Eccleſia eſt cœtus fidelium hominum, bonorum atque malorum, juſtorum & injuſtorum, prædeſtinatorum ac reproborum, qui ſub externâ ejuſdem fidei profeſſione, ſub externâ eorundem ſacramentorum communicatione, ſub externâ legitimis eiſdem Paſtoribus ſubjectione, in unum & idem corpus myſticum coaleſcunt. Itaque ex S. Auguſtino perſpicuum, atque exploratum eſt, neque fideles injuſtos, neque fideles reprobos præciſos, atque disjunctos eſſe à corpore Eccleſiæ.

XIII. Lib. de Unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 17. num. 31. tom. 9. *Commixti optimis paſcuis hædi, agnique paſcuntur, donec à Paſtore, qui errare non poteſt, ſegregentur; & ex omni genere piſcium retia complentur, donec ad judicium littoris perducantur.*

XIV. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 47. num. 110. tom. 9. *Eadem paſcua ſub uno paſtore, & oves, & hirci paſcuntur, donec, ut debita recipiant, ſegregentur.* Habemus ex S. Auguſtino, quod in optimis, atque opimis Primi Paſtoris paſcuis, & agni & hædi, & oves & hirci, ſimul admixti, & in unum gregem congregati, paſcuntur, donec ab agnis hædi, & ab ovibus hirci à Paſtorum Principe ſub diei veſperam ſegregentur. Jam verò ex S. Doctore Paſtorum Princeps Chriſtus eſt Dominus: Optima, atque opima Chriſti Domini paſcua

Ec-

Eccleſiam præſentem ſignificant: Agni & hædi, oves & hirci, qui in iiſdem paſcuis, & in unum gregem coacti, paſcuntur, ſunt fideles juſti & injuſti, fideles prædeſtinati cum fidelibus reprobis, intra eandem Eccleſiam ſimul admixti, & in unum populum convocati, qui ſub ejuſdem fidei, & ſub eorundem ſacramentorum publicâ communione conſociantur, donec injuſti reprobi ſempiternæ morti; juſti verò prædeſtinati ſempiternæ vitæ, à Chriſto Judice ſegregandi, extremo mundi die, addicantur. Ex his autem legitimâ conſecutione concluditur, quod ex S. Auguſtino, neque fideles injuſti, ratione injuſtitiæ; neque fideles reprobi, ratione reprobationis, à corpore Eccleſiæ præciſi ſunt.

XV. Tract. 6. in Evang. Jo. num. 2. tom. 3. *Merito de arca miſſus eſt corvus, & non eſt reverſus: Miſſa eſt columba, & reverſa eſt: illas duas aves miſit Noe. Habebat ibi corvum, habebat & columbam. Utrumque hoc genus arca illa continebat. Et ſi arca figurabat Eccleſiam, videtis utique, quia neceſſe eſt, ut in iſto diluvio ſæculi, utrumque genus contineat Eccleſia, & corvum, & columbam. Qui ſunt corvi? Qui ſua quærunt? Qui columbæ? qui ea, quæ Chriſti quærunt.*

XVI. Serm. 264. num. 5. tom. 5. *Quadraginta diebus arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Eccleſia eſt lignis imputribilibus facta: Ligna imputribilia ſunt animæ ſanctorum, & juſtorum; habens tamen animalia munda & immunda; quia quamdiù vivitur in hoc ſæculo, & per Baptiſmum tamquam per diluvium Eccleſia purgatur, non poteſt niſi habere bonos, & malos; & ideo arca illa, & munda, & immunda habebat.* Jam verò ex S. Auguſtino Arca Noe eſt ſymbolicè Chriſti Eccleſia. Aquarum diluvium Baptiſmus eſt, quo abluitur, & expiatur Eccleſia. Ligna corruptioni minimè obnoxia, quibus conſtructa erat Arca, ſunt Sancti Prædeſtinati, firmiſſima latera Eccleſiæ, qui putreſcere vitiorum tabe ad extremum uſque vitæ non poſſunt. Columba & corvus, qui continebantur in Arca, ſunt populus probus, & populus reprobus, pertinentes ambo ad Eccleſiam. Animalia munda, & animalia immunda, quæ ferebantur in Arca, ſunt fideles juſti, & fideles injuſti, quos ſinu

Digitized by Google

ſinu ſuo complexa unâ ſecum portat Eccleſia. Conſtat igitur, teſte Auguſtino, quod neque fideles injuſti, neque fideles reprobi abalienandi ſunt ab Eccleſia; adeoque à corpore Eccleſiæ non ſunt præciſi.

XVII. Tract. 11. in Joan. num. 10. tom. 3. *Luctabantur in ventre matris ſuæ: & dictum eſt Rebeccæ, cum ibi luctarentur: Duo populi ſunt in utero tuo: duo homines, duo populi: bonus populus, malus populus; ſed tamen in uno ventre luctabantur. Quanti mali ſunt in Eccleſia, & unus uterus portat, donec in fine diſcernantur? Et boni adverſus malos clamant, & mali adverſus bonos reclamant, & in unius viſceribus utrique luctantur.*

XVIII. Serm. 4. de Jacob, & Eſau cap. 28. num. 31. tom. 5. *Sunt mali in Eccleſia pertinentes ad Eſau, quia & ipſi filii Rebeccæ, filii matris Eccleſiæ, de utero ipſius nati, & piloſi, in peccatis carnalibus perſeverantes, de illius tamen utero nati.* Quemadmodum igitur ex S. Auguſtino in eodem utero unius, ejuſdemque matris Rebeccæ duo filii gemini inter ſe luctabantur, Jacob & Eſau; quorum alter Jacob filius erat depilis, atque mitis, dux & caput electi populi Iſraelitarum: Alter verò Eſau filius piloſus erat, ferociorque, dux & caput perditi populi Idumæorum. Et quamvis ambo fratres natura, ſtudiis, & moribus maximè eſſent inter ſe diſpares, & repugnantes, adhùc tamen erant eodem ejuſdem matris utero ſati, eodem utero incluſi, eodem utero alti ac nutriti, ex eodem utero in lucem editi; ita ex S. Doctore duo filii, qui ſunt populi duo, ideſt, populus probus, & populus improbus; populus juſtus, & populus injuſtus; populus prædeſtinatus, & populus reprobus eodem ſinu communis matris Eccleſiæ concluſi, ſtudiis contrariis, & inteſtina lucta mutuo decertant. Et quamvis ſtudiis, affectibus, moribus, officiiſque contrariis ambo inter ſe maximè diſcrepent, atque repugnent, oppoſitos exitus, contrario vitæ curſu habituri, adhuc tamen eodem ſunt communis matris Eccleſiæ utero ſati, eodem ſunt communis matris Eccleſiæ utero excepti, eodem ſunt communis matris Eccleſiæ utero procreati, eodem ſunt communis matris Eccleſiæ utero alti, ac nu-

Digitized by Google

nutriti; adeoque ad eandem communem matrem Eccleſiam pertinentes. Quæ cum ita ſint, ex S. Auguſtino demonſtratum eſt, quod neque fideles reprobi, neque fideles injuſti à corpore Eccleſiæ præciſi ſunt.

XIX. In Pſal. 8. num. 13. tom. 4. *Veniant in mentem torcularia habentia vinacia, & vinum; & area continens paleam, & frumentum; et retia quibus incluſi ſunt piſces boni, & mali; & arca Noe, in qua, & immunda, & munda erant animalia; & videbis Eccleſias interim hoc tempore uſque ad ultimum judicii tempus non ſolum oves, & boves continere, ideſt, ſanctos laicos, & ſanctos miniſtros; ſed inſuper & pecora campi, volucres Cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. Affirmat hìc Auguſtinus, quod vera Chriſti Eccleſia intra ſuos terminos, atque fines continet, atque complectitur genus omne fidelium, juſtos, injuſtos, bonos, malos, probos, improbos, electos, reprobos: Non ſecus atque vinum, atque vinaceam torcularia; cum paleis triticum area; bonos maloſque piſces retia; munda & immunda animalia Noëmi arca; & genus omne animantium, oves, & boves, & pecora campi, volucres cæli, & piſces maris mundus univerſus incluſa & permixta communi omnibus ſinu continent, ac complectuntur. Ex his autem deducitur, quod ex S. Auguſtino neque fideles reprobi, neque fideles injuſti à corpore Eccleſiæ præciſi ſunt.

XX. Serm. 15. cap. 2. num. 2. tom. 5. *In congregatione Chriſtiana, quantum pertinet ad participationem, & communionem ſacramentorum multiplicati ſunt ſuper numerum. Alius eſt ergò numerus: Alii ſuper numerum. Numerus eſt, de quibus dicit Apoſtolus: Novit Dominus, qui ſunt ejus. Super numerum autem: Quoniam in magna domo non ſolum vaſa ſunt aurea, & argentea; ſed & lignea, & fictilia; alia quidem in honorem, alia in contumeliam. Numerus ergò, vaſa in honorem: Super numerum, vaſa in contumeliam.*

XXI. Serm. 223. num. 2. tom. 5. *Neque miremini multitudinem Chriſtianorum malorum, qui Eccleſiam implent, qui ad altare communicant, qui Epiſcopum, vel Presbyterum de bonis moribus diſputantem magnis vocibus laudant, per quos imple-*

Digitized by Google

tur, quod congregator noſter prædixit in Pſalmo: Annuntiavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. In Eccleſiâ hujus temporis poſſunt eſſe nobiſcum; in illâ verò, quæ poſt reſurrectionem futura eſt, congregatione ſanctorum, eſſe non poterunt. Eccleſia enim hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos, habitura poſt judicium ſine ullis malis omnes bonos. Demonſtrat hìc Auguſtinus, ex cunctis fidelibus ad eandem Eccleſiam pertinentibus, alios cenſeri intrà numerum, alios vagari extra numerum, de quibus interpretatur verba illa Davidici Pſalmi 39. *Annuntiavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Fideles juſti prædeſtinati hi ſunt, qui ad numerum pertinent. De his dictum eſt ab Apoſtolo: *Novit Dominus, qui ſunt ejus.* Hi per vaſa aurea, & argentea, immortalis gloriæ muneri præparata, & per triticum cæleſtibus horreis recondendum, in ſacris litteris ſignificantur. Fideles reprobi injuſti hi ſunt, qui ſuper numerum excreverunt, qui per vaſa lignea, & fictilia, perpetuæ ignominiæ uſui deſtinata, & per paleas ſempiternis ignibus concremandas, in ſacris codicibus indicantur. Jam verò, quemadmodum ex S. Doctore, & qui ſunt ſuper numerum ad eundem populum cum civium numero; & vaſa lignea, & fictilia ad eandem domum cum aureis, argenteiſque vaſis; & ad eandem aream, eundemque acervum paleæ cum tritico pertinent; ita ex S. Doctore fideles reprobi injuſti eandem Eccleſiam cum juſtis fidelibus prædeſtinatis conſtituunt. Patet igitur ex Sancto Auguſtino neque fideles reprobos, neque fideles injuſtos, injuſtitiæ atque reprobationis cauſsâ, præciſos eſſe à corpore Eccleſiæ.

XXII. In Pſal. 99. num. 8. tom. 4. *Quid enim audit Eccleſia? Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Non dictum eſt in medio alienarum; ſed, in medio filiarum.... Quid eſt, quod dicis? Sicut lilium in medio, quarum ſpinarum? Ita proxima mea in medio, quarum filiarum? Quas dicis ſpinas, ipſas filias? Reſpondet, Spinæ ſunt propter mores ſuos: Filiæ propter ſacramenta mea.*

XXIII. In Pſal.47. num. 8. tom.4. *Nam & ipſæ ſpinæ, quoniam*

Digitized by Google

niam ad populum Dei pertinent, vis audire? Ita poſita eſt iſta ſimilitudo: Sicut lilium, inquit, in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Sunt ergò filiæ malæ, & inter illas eſt lilium in medio ſpinarum. Itaque illi, qui ſacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei; & ejus dicuntur, & alieni. Ejus, propter ipſius ſacramentum; Alieni, propter proprium vitium. Ita & filiæ alienæ. Filiæ, propter formam pietatis; alienæ, propter amiſſionem virtutis. Sit tibi lilium, ſuſcipiat miſericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non ſit ingratum pluviæ dulci, de cælo venienti: Ingratæ ſint ſpinæ, creſcant de imbribus; ad ignem creſcunt, non ad horreum. Jam verò ex S. Auguſtino fideles animæ, ſed injuſtæ, atque reprobæ, ſunt in Eccleſia Chriſti ſpinæ ſimul & filiæ. Spinæ, quia ſcelerum, atque vitiorum aculeis Eccleſiam pungunt, atque cruentant: Quæ proinde non ad cæleſtia horrea, ſed ad infernas flammas adoleſcunt. Filiæ, quia ejuſdem Baptiſmi ſuſceptione, externâque ejuſdem fidei profeſſione ab Eccleſia gignuntur: & externâ ſacramentorum eorundem communicatione ad matris ubera veniunt; adeoque ad communis Matris Eccleſiæ familiam pertinent, quamvis futuram Patris hereditatem non adituræ. Quamobrem ex S. Auguſtino, allegoriâ permutatâ, concludimus, neque fideles injuſtos, neque fideles reprobos ab Eccleſiæ corpore jacere præciſos.

Ad primum ergò dicendum, Sanctum Auguſtinum loco indicato diſſerere de duplici Eccleſiâ, quæ in unam Eccleſiam communi quadam divini cultûs ratione coaleſcit, ideſt, de Eccleſiâ militante in terrâ, & de Eccleſiâ triumphante in Cælo. Docet utramque Eccleſiam promiſcuè, & indiſcriminatim modò tabernaculum Dei, modo domum Dei appellari. At Eccleſia, quæ in terrâ militat, Dei tabernaculum; Eccleſia verò, quæ in Cælo triumphat, Dei domus ex Sancto Auguſtino, ſi preſſius & caſtigatius loqui velimus, dicenda eſt. Siquidem, ut Sanctus Doctor animadvertit, Tabernaculum ſtatio militum eſt, qui ſervantur ad pugnam: Domus verò contubernium eſt familiarium, qui pace ſuâ perfruuntur. Itaque ex Sancto Au-

guſtino loco commemorato, in his eſt domus Dei, ideſt, ſempiterno deſtinata triumpho, quos prædeſtinavit, & præſcivit perſeveraturos: Qui autem non ſunt perſeveraturi, Eccleſiam hi non conſtituunt, ſcilicet, cæleſti triumpho prædeſtinatam. Pertinent ipſi quidem ad tabernaculum Dei, quod Eccleſia militans in præſens eſt; ſed non pertinent ad tabernaculum Dei, quod Eccleſia triumphans tandem futurum eſt. Jam verò ex ipſomet Sancto Doctore audiatur diſcrimen inter Dei tabernaculum, & Dei domum, loco citato ſub num. 10. *Quamquam aliquandò dicitur tabernaculum Dei domus Dei, & domus Dei tabernaculum Dei, diſtinctius tamen accipitur, fratres cariſſimi, tabernaculum, Eccleſia ſecundùm hoc tempus; domus autem, Eccleſia cæleſtis Jeruſalem, quò ibimus. Tabernaculum enim tamquam militantium, & pugnantium: Tabernacula militum in procinctu, in expeditione: Unde contubernales dicuntur milites, quaſi tabernacula eadem habentes, & habitantes. Quamdiù ergò habemus hoſtem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus: Cum autem tranſierit tempus pugnæ, & venerit pax illa, quæ præcellit omnem intellectum.... cum venerit illa patria, jam domus erit, nullus adverſarius tentabit, ut tabernaculum vocetur. Non procedemus ad pugnandum, ſed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo?* Beati qui habitant in domo tuâ, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare? Quia gemitus eſt peregrinantium; laudatio jam in patria commanentium. Hìc primò quæratur tabernaculum Deo Jacob.*

Ad ſecundum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco commemorato docere fideles malos, in ſuâ malitiâ perſeveraturos, non pertinere ad myſticum Chriſti corpus, quatenus conſtat membris validis atque ſanis, quæ ſempiternâ vitâ donanda ſunt; ſed pertinere ad myſticum Chriſti corpus, quatenus complectitur membra infirma atque ægra, quæ niſi opportunè atque in tempore convaluerint, poſtremò ſunt amputanda, ac ſempiternæ morti ſunt addicenda. Quod autem infirma, & frigida membra calore caritatis deſtituta; &, niſi ad ſanitatem re-

Digitized by Google

redierint, reſecanda, pertineant ad corpus Chriſti, quod eſt præſens Eccleſia, perſpicuum fit ex iis, quæ Sanctus Doctor definit Serm. 137. cap. 1. num. 1. tom. 5. ubi ſic habet: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui jam pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit, caput eſt Eccleſiæ; & eſt corpus ejus Eccleſia, & in ejus corpore unitas membrorum, & compago caritatis, tamquam ſanitas, exiſtit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Chriſti. Sed potens eſt ille, qui jam exaltavit caput noſtrum, etiam infirma membra ſanare, dum tamen non nimiâ impietate præcidantur, ſed hæreant corpori, donec ſanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non deſperatæ ſanitatis eſt; quod autem præciſum fuerit, nec curari, nec ſanari poteſt.*

Ad tertium dicendum pariter eſt, Sanctum Doctorem ibi non loqui de corpore Chriſti, quod eſt præſens Eccleſia, quatenus complectitur membra ſana, & infirma; ſed quatenus continet membra dumtaxat ſana, poſt mortalem vitam, beatâ immortalitate donanda. Hæc enim habet lib. 2. Retract. cap. 18. tom. 1, ad trutinam revocans ſeptem libros adverſus Donatiſtas, quos *de Baptiſmo* inſcripſit. *Ubicumque in his libris commemoravi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur ut ſit, quandò apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet undè quotidie tota dicat*: Dimitte nobis debita noſtra.

Ad quartum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco producto affirmare occultos, ignotoſque hæreticos, atque ſchiſmaticos, non ab Judicibus Eccleſiaſticis, qui ferre ſententiam in reos ſibi ignotos non poſſunt; ſed à Chriſto Judice, cujus oculis omnia nuda ſunt & aperta, damnatos, non eſſe in vivo & animato Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia; quoniam non poteſt Chriſtus, in Eccleſiâ ſuâ vivus & ſpirans, habere ſpirantia membra, ob occultum ſchiſma, vel hæreſim, a ſe damnata: Quandoquidem membra hujuſmodi ſunt membra arida & mortua, ab omni munere & gradu vitæ, ſive ex caritate operantis, ſive ex ſpe ſentientis, ſive ſe ex fide moventis, interna

terna

Digitized by Google

terna præciſione alienata. Si autem agatur de hæreticis publicis, & manifeſtis, excommunicatione ſolemni atque notoriâ ab Eccleſia damnatis, hi non ſolum ſunt membra arida, & mortua, ab omni vitæ interioris munere excluſa; verùm etiam præciſione externâ à myſtico Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſunt amputata. De hæreticis igitur occultis atque Eccleſiæ ignotis agit Auguſtinus loco citato, non autem de fidelibus, ſive reprobis, ſive injuſtis, quos Eccleſiæ corpori copulatos eſſe pluribus locis ſupra productis locupletiſſimus teſtis affirmat. Reſponſionem integram expendentibus ſe ſe totum ibi Sanctus Doctor patefacit; eſt enim eo loco ſibi ipſe teſtis. Audiatur. *Si autem quæris*, Quomodò baptizant, quos damnavit Eccleſia? *Reſpondeo, ſic eos baptizare, quomodo baptizant, quos damnavit* Deus, *antequam de illis quidquam judicaret Eccleſia. Qui enim mente perversâ videtur intus eſſe, cum foris ſit, ab ipſo Chriſto jam judicatus eſt. Ipſe quippe ait*, Qui non credit, jam judicatus eſt.... *Ac per hoc, etiam neſciente Eccleſia, propter malam pollutamque conſcientiam damnati à Chriſto, jam in Corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia; quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata. Proinde & ipſi extra Eccleſiam baptizant. Omnia quippe iſta monſtra abſit omnino, ut in membris illius columbæ unicæ computentur: abſit ut intrare poſſint limites horti concluſi, cujus ille cuſtos eſt, qui non poteſt falli. Qui tamen ſi confitentur, & corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus horti concluſi, tunc in membris unicæ columbæ numerantur; nec tamen denuò baptizantur.*

Ad quintum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco citato uſurpare nomen *Eccleſiæ*, non in tota ſuâ latitudine, quâ complectitur fideles omnes, cum juſtos, tum injuſtos, tùm prædeſtinatos, tum reprobos; ſed ibi adhibet vocem illam, cum reſtrictione & limitatione, ad ſignificandos ſolos fideles juſtos, qui ſunt pars potiſſima, atque honorificentiſſima Eccleſiæ. Ubi verò agit de Eccleſia in totâ ſuâ amplitudine accepta, qua latè patet, docet Eccleſiam deorſum militantem in terrâ conſtare ex omnibus prorſus fidelibus, nemine excepto; quemadmodum

dum Eccleſia ſurſum in cælo triumphans coaleſcit ex omnibus prorſus Angelis, nullo excluſo. Hinc in Pſal. 137. num. 4. tom. 4. *Eccleſia*, inquit, *deorſum*: *& Eccleſia*, *ſurſum*. *Eccleſia deorſum*, *in omnibus fidelibus*: *Eccleſia ſurſum*, *in omnibus Angelis*.

Ad ſextum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco commemorato agere de ſublimioribus, & nobilioribus Eccleſiæ membris. Hujuſmodi ſunt ſanctiſſimi, ſapientiſſimique fideles, qui tamen, comparati cum Eccleſiæ capite Chriſto Domino, ab ejus ſanctitate, & ſapientiâ remotiſſimè diſtant, ut ibi docet his verbis. *Quamvis enim eadem natura ſit corporis Eccleſiæ*, *multum tamen diſtare inter caput*, *& membra cetera*, *quis non intelligat?* At non proindè à Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, membra humiliora, & ignobiliora Sanctus Doctor excludit: cujuſmodi ſunt mali fideles, qui labentis vitæ illecebris capti, fluxis, caducisque bonis aucupandis indulgent, quos *ventris* nomine in Eccleſiæ corpore ſignificari docet in Pſal. 43. num. 25. tom. 4. ſequentibus verbis. *Quare dicti ſunt venter*, *niſi quia carnales ſunt*, *ut os Eccleſiæ in ſanctis*, *in ſpiritalibus ſit*; *venter Eccleſiæ in carnalibus ſit?* *Itaque os Eccleſiæ eminet*; *venter abſconditus eſt*, *tamquam mollior*, *& infirmior*. Quod exemplo ſatis idoneo & appoſito ibidem explicat Sanctus Doctor per hæc verba. *Dediſti neſcio quid auri*, *& argenti*; *ventum eſt ad hunc articulum*, *ut*, *niſi perdas*, *fortè aliquod peccatum committas*, *injuriam fortè ingeras Eccleſiæ*, *blaſphemare cogaris*. *Poſito itaque in anguſtiis*, *aut damno pecuniæ*, *aut damno juſtitiæ*, *dicitur tibi*: *Perde potius pecuniam*, *ne perdas juſtitiam*: *tu autem*, *cui non dulcis eſt in ore juſtitia*, *ſed adhuc in illis membris infirmus es*, *quales in ventre deputat Eccleſia*, *contriſtatus eligis aliquandò amittere aliquid de juſtitia*, *quam vel nummum de pecunia*, *& percutis te damno graviore*, *implens ſacellum tuum*, *& exaniniens cor tuum*. *Fortaſſis ergò de illis Eccleſia dixerit*: Hæſit in terrâ venter noſter.

Ad ſeptimum dicendum, à Sancto Doctore Eccleſiam modò accipi pro cœtu juſtorum, atque prædeſtinatorum; modò pro

pro ſocietate omnium prorſus fidelium, ſive fuerint juſti, ſive injuſti, ſive prædeſtinati, ſive reprobi. In priori ſignificatione, loco citato, interpretatur Sanctus Doctor verba illa ex Canticis Canticorum cap. 4. petita: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum*. In poſteriori ſignificatione explicat Sanctus Doctor illa verba ex iiſdem Canticis Canticorum decerpta cap. 2. *Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum*. Hanc interpretationem habes in Pſal 99. num. 8. tom. 4. & in Pſal. 47. num. 8. tom. 4. ubi Sanctus Doctor decernit fideles animas quamvis improbas, atque reprobas, ſpinis comparatas, quæ ad ignem creſcunt; nihilo tamen minus, propter formam pietatis & ſacramentorum communionem, eſſe revera filias Eccleſiæ, & ad populum Dei pertinere.

Ad octavum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco nobis objecto docere, Chriſtianos omnes ita ſe habere ad Eccleſiam Dei in ſanctis prædeſtinatiſque paſtoribus, atque gregibus ſignificatam, quæ *domus Dei* dicitur, ut alii ſint domus ipſa Dei; alii in domo Dei ſint; alii denique, ex domo Dei. Et primò quidem peculiari quadam prærogativa, potiori jure, ac privilegio præſtantiori, primi Eccleſiæ paſtores, ideſt, Epiſcopi per totum orbem diffuſi, firmiſſima latera Eccleſiæ, qui docentem, paſcentem, atque regentem Eccleſiam conſtituunt, auctore Auguſtino, ſunt domus ipſa Dei: & hunc titulum Sanctus Doctor ad alios quoque apprimè ſanctos, prædeſtinatoſque fideles poſt Epiſcopos transfert. Ecce verba Sancti Auguſtini loco producto. *Quibus omnibus conſideratis, puto me non temerè dicere, alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi etiam ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari ſuper petram, quæ unica columba appellatur, quæ ſponſa pulchra ſine macula, & rugâ, & hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum: quæ domus etiam claves accepit, ac poteſtatem ſolvendi, & ligandi. Hanc domum ſi quis corripientem, corrigentemque contempſerit, ſit tibi, inquit, tamquam ethnicus, & publicanus.... Hæc domus eſt in vaſis aureis, & argenteis, & lapidibus pretioſis, & lignis impu-*

tribi-

Digitized by Google

tribilibus .... Hæc quippe in bonis fidelibus eſt, & ſanctis Dei ſervis ubique diſperſis, ſpirituali unitate devinctis in eadem communione ſacramentorum.

Secundo ex Sancto Auguſtino fideles injuſti, atque reprobi, quemadmodum etiam occulti ſchiſmatici, atque hæretici, non ſunt ipſamet domus Dei, videlicet, Eccleſia docens, ſancta, atque prædeſtinata: at verò, licet hæc Dei domus ipſi non ſint, adhuc tamen in hac Dei domo, quoad formam ejus conſpicuam, & ipſi ſunt. Audiatur Sanctus Doctor eodem loco: *Alios autem ita dici eſſe in domo, ut non pertineant ad compagem domûs, nec ad ſocietatem fructiferæ, pacificæque juſtitiæ; ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis: Nam & iſtos eſſe in domo, negare non poſſumus, dicente Apoſtolo, In magna autem domo non ſolum vaſa aurea ſunt, vel argentea; ſed & lignea, & fictilia: & alia quidem ſunt in honorem, alia verò in contumeliam.* Et infra ſequenti cap. 52. num. 100. *Illi verò qui ſic ſunt in magnâ domo, tamquam vaſa in contumeliam.... ſic ſunt in domo per communionem ſacramentorum, ut extra domum ſint per diverſitatem morum.*

Poſtremò ex Sancto Auguſtino ſchiſmatici, hæretici, excommunicati publici, atque notorii, neque Dei domus, neque in Dei domo, ſed ex domo Dei ſunt, ex quâ foras manifeſti evaſerunt. Siquidem Chriſtiani hujuſmodi rebelles, tranſfugæ, contumaces, neque ad inconſpicuam, neque ad conſpicuam Eccleſiæ formam deinceps pertinent. De his Sanctus Doctor loco commemorato: *Ex hoc*, inquit, *numero innumerabili.... diſruptis retibus, hæreſes, & ſchiſmatâ exiſtunt in eis, qui jam magis ex domo, quam in domo eſſe dicendi ſunt, de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Separatiores enim ſunt jam etiam corporaliter ſegregati, quàm illi, qui interius carnaliter, & animaliter vivunt, & ſpiritaliter ſeparati ſunt.* Hactenus Sanctus Doctor de Eccleſia docente, ſanctâ, prædeſtinatâ, quæ nomine *domus Dei*, Auguſtino teſte, interprete, & auctore, ſignificatur.

At verò ubi Sanctus Doctor diſſerit de Chriſti Eccleſiâ, quâ latè patet, & in totâ ſuâ amplitudine accepta, videlicet,

Digitized by Google

quatenus complectitur fideles omnes juſtos, & injuſtos; prædeſtinatos, & reprobos, aliis utitur ſymbolis, quæ ex ſacris litteris mutuatur, ad rem ſignificandam ſatis idoneis, & aptis: hujuſmodi autem ſunt, explicatiſſimum rete concludens piſciculos bonos, & malos: ſeges opulentiſſima ex frumento, & lolio ſimul permixtis luxurians: area ampliſſima tritico, & paleis onuſta: torcular exundantiſſimum vinacia, & vinum effundens: arca capaciſſima, cum columba, & corvo, animalia munda, & immunda generis cujuſque complectens: ramoſiſſima arbor, oliva ſpatioſiſſima, copioſiſſima vitis, iſta ex ſarmentis, illa autem ex ramis ſibi cohærentibus, fæcundis, & infæcundis, aridis, atque virentibus latè diffuſa. Hanc poſtremam arboris adhibens allegoriam Lib. de Unit. Eccl. contra Donatiſtas cap. 25. num. 14. tom. 9. partes, quibus coaleſcit, a partibus, quas Eccleſia à ſe reicit, ſic Sanctus Doctor diſcriminat: *Tunc quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cùm malâ cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt. Sed cum pro ipſis operibus etiam veritati apertiſſimæ, quâ redarguitur, reſiſtere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales ſunt in ſacramentorum communione cum Eccleſiâ; & tamen jam non ſunt in Eccleſiâ. Alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter excommunicatur, conſequens erit, ut tunc rurſus inſeratur, cum viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergò fictus accedat, atque adverſus veritatem, & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas, numquid reconciliatur, numquid inſeritur? abſit. Sicut ergò jam denuò communicans, nondum inſertus eſt; ſic & antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, quâ convincitur, & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt.*

Jam verò aptiſſimam arboris, atque ramorum comparationem à Sancto Auguſtino mutuatus, ſic rem totam de membris & partibus Eccleſiam conſtituentibus, ad minutiores calculos revoco, revocatamque propono. I. Ramus aridus, mortuus, internâ, externâque præciſione ab radice amputatus, eſt

eſt publicus, atque notorius ſchiſmaticus, hæreticus, excommunicatus. II. Ramus aridus, mortuus, internâ dumtaxat, non autem externâ præciſione ab radice præciſus, eſt ſchiſmaticus, hæreticus, excommunicatus occultus, ac toleratus. III. Ramus virens, & vivus, radici cohærens, ſed infæcundus, & uſque in finem infæcundus, eſt fidelis injuſtus, & reprobus. IV. Ramus virens, & vivus, radici cohærens, infæcundus, ſed non uſque in finem infæcundus, eſt fidelis injuſtus, attamen prædeſtinatus. V. Ramus virens, & vivus, radici cohærens, fæcundus, ſed non uſque in finem fæcundus, fidelis eſt juſtus, ſed tamen reprobus. VI. Ramus virens, & vivus, radici cohærens, fæcundus, & uſque in finem fæcundus, eſt fidelis juſtus, atque prædeſtinatus. His poſitis fit I. ut quemadmodum primi generis rami nullâ amplius ratione pertinent ſive ad inconſpicuam, ſive ad conſpicuam arboris formam; ita publici ſchiſmatici, hæretici, excommunicati nullo modo pertinent ſive ad inconſpicuam, ſive ad conſpicuam formam Eccleſiæ. Fit II. ut quemadmodum ſecundi generis rami pertinent quidem ad conſpicuam, non autem ad inconſpicuam arboris formam; ita occulti ſchiſmatici, hæretici, excommunicati pertinent ad conſpicuam, non autem ad inconſpicuam formam Eccleſiæ. Fit III. ut quemadmodum ſinguli quique aliorum generum rami plus, minuſve pertinent tùm ad conſpicuam, tùm ad inconſpicuam arboris formam; ita juſti, injuſti, reprobi, prædeſtinatique fideles tùm ad conſpicuam, tùm ad inconſpicuam formam Eccleſiæ omnes & ſinguli ſua quique ratione diſpari pertinent.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui jam pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit, caput eſt Eccleſiæ, & eſt corpus ejus Eccleſia, & in ejus corpore unitas membrorum, & compago caritatis tamquam ſanitas exiſtit. Quicumque autem in caritate frigueri, infirmatur in corpore Chriſti: ſed potens eſt ille, qui jam exaltavit caput noſtrum, etiam infirma membra ſanare, dum tamen non nimia impietate præcidantur, ſed hæreant corpori,*

pori, donec ſanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non deſperatæ ſanitatis eſt; quod autem præciſum fuerit, nec curari, nec ſanari poteſt. (b) Hinc ipſe Dominus *dicit, quid interea per totum hoc tempus dum jam reſurrexit, & adhuc cum Patre eſt, patiatur hìc per commixtionem peccatorum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, & per ſeparationem hæreticorum.* (c) Hac de cauſâ *dictum eſt de ventre* Eccleſiæ, *quòd adhæſit in terrá*, quâ *ſignificantur, qui perſecutionem non tolerantes, conſenſerunt iniquis; ſic enim hæſerunt in terrá. Sed quare dicti ſunt venter, niſi quia carnales ſunt, ut os Eccleſiæ in ſanctis, in ſpiritalibus ſit, venter Eccleſiæ in carnalibus ſit? Itaque os Eccleſiæ eminet, venter abſconditus eſt, tamquam mollior, & infirmior.* (d) *Tota* igitur *Eccleſia ejus, quæ ubique diffuſa eſt, corpus ipſius eſt, cujus eſt ipſe caput. Non ſolum autem fideles, qui modo ſunt, ſed & qui fuerunt ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt uſque in finem ſæculi, omnes ad corpus ejus pertinent* (e) *Corpus*, inquam, *ejus eſt Eccleſia, non iſta, aut illa, ſed toto orbe diffuſa, nec ea quæ nunc eſt in hominibus, qui præſentem vitam agunt, ſed ad eam pertinentibus etiam his, qui futuri ſunt poſt nos uſque in finem ſæculi. Tota enim Eccleſia conſtans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra ſunt Chriſti, habet illud caput poſitum in cælis, quod gubernat corpus ſuum.* (f) *Eccleſia* igitur *deorſum, & Eccleſia ſurſum: Eccleſia deorſum in omnibus fidelibus, Eccleſia ſurſum in omnibus Angelis.* (g) *Neque miremini multitudinem Chriſtianorum malorum, qui Eccleſiam implent, qui ad altare communicant, qui Epiſcopum, vel Presbyterum de bonis moribus diſputantem magnis vocibus laudant, per quos impletur quod congregator noſter prædixit in Pſalmo*: Annuntiavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. *In Eccleſia hujus temporis poſſunt eſſe nobiſcum; in illa verò, quæ poſt reſurrectionem futura eſt, congregatione ſanctorum, eſſe non poterunt. Eccleſia enim hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos, habitura poſt judicium ſine ullis malis omnes bonos.* (h) *Recolamus* enim *vobiſcum duas illas piſcationes diſcipulorum, factas jubente Domino Jeſu Chriſto, unam ante*

ante paſſionem, alteram poſt reſurrectionem. In his ergò duabus piſcationibus tota figuratur Eccleſia, & qualis eſt modo, & qualis erit in reſurrectione mortuorum. Modo enim habet ſine numero multos & bonos, & malos; poſt reſurrectionem autem habebit certo numero ſolos bonos. (i) *Dominus* enim *alia piſcatione ſignificavit Eccleſiam, qualiter nunc ſit. Quod autem illud fecit in initio prædicationis ſuæ; hoc verò poſt reſurrectionem ſuam, hinc oſtendit, illam capturam piſcium bonos, & malos ſignificare, quos nunc habet Eccleſia; iſtam verò tantummodo bonos, quos habebit in æternum, completa in fine hujus ſæculi reſurrectione mortuorum.* (k) *Tunc mittite retia, dixit, nec in ſiniſtram, nec in dexteram partem, ſed tantummodo, mittite retia dictum eſt; ſi enim diceret in ſiniſtram, malos ſolum ſignificaret; ſi in dexteram, ſolos bonos. Quia ergò nec in dexteram, nec in ſiniſtram dixit, boni, & mali ſignificantur, de quibus loquitur Evangelium alio loco; Quia miſit Pater familias ſervos ſuos parata cæna, & adduxerunt quos invenire potuerunt bonos, & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Talis eſt modo Eccleſia, plena bonis, & malis.* (l) *Quiſquis novit Evangelium, recognoſcat cum timore. Videt reticulum Eccleſiam, videt hoc ſæculum mare: Genus autem mixtum piſcis, juſtus eſt cum peccatore.* (m) Conſtat ergò *in ſcripturis ſanctis Eccleſiam Chriſti permixtis zizaniis, & palea, & piſcibus malis futuram eſſe promiſſam, uſque ad tempus meſſis, ventilationis, & litoris.* (n) Quemadmodum *bono* Salomonis *bonos Eccleſiæ; malo autem illius malos Eccleſiæ ſignificatos puto: tamquam in unitate unius areæ, ſicut in illo uno homine bonos in granis, malos in palea, ut in unitate unius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizaniis.* (o) Sicut *commixti optimis paſcuis hædi agnique paſcuntur, donec à paſtore, qui errare non poteſt, ſegregentur, & ex omni genere piſcium retia complentur, donec ad judicium litoris perducantur.* (p) *Eadem* quippe *paſcua ſub uno paſtore, & oves, & hirci paſcuntur, donec, ut debita recipiant, ſegregentur.* (q) Quemadmodum etiam *arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Eccleſia eſt lignis imputribilibus facta. Ligna imputribilia ſunt animæ ſancto-*

rum,

Digitized by Google

rum, *& juſtorum*, *habens tamen animalia munda*, *& immunda*; *quia quamdiu vivitur in hoc ſæculo*, *& per baptiſmum*, *tamquam per diluvium*, *Eccleſia purgatur*, *non poteſt niſi habere bonos*, *& malos*; *& ideo arca illa & munda*, *& immunda habebat*. (r) *Habebat* etiam arca *corvum*, *habebat & columbam*. *Utrumque hoc genus arca illa continebat*. *Et ſi arca figurabat Eccleſiam*, *videtis utique quia neceſſe eſt*, *ut in iſto diluvio ſæculi utrumque genus contineat Eccleſia*, *& corvum*, *& columbam*. *Qui ſunt corvi*? *Qui ſua quærunt*. *Qui columbæ*? *Qui ea quæ Chriſti*, *quærunt*. (ſ) *Quanti* enim *mali ſunt in Eccleſia*, *& unus uterus portat donec in fine diſcernantur*? *Et boni adverſus malos clamant*, *& mali adverſus bonos reclamant*; *& in unius viſceribus utrique luctantur*. (t) Siquidem *ſunt mali in Eccleſia pertinentes ad Eſau*, *quia & ipſi filii Rebeccæ*, *filii matris Eccleſiæ*, *de utero ipſius nati*, *& piloſi in peccatis carnalibus perſeverantes*, *de illius tamen utero nati*. (u) Quamobrem *in congregatione Chriſtianâ*, *quantum pertinet ad participationem*, *& communionem ſacramentorum*, *multiplicati ſunt ſuper numerum*. *Numerus eſt de quibus dicit Apoſtolus*, *Novit Dominus*, *qui ſunt ejus*. *Super numerum autem*, *Quoniam in magnâ domo*, *non ſolum vaſa ſunt aurea*, *& argentea*; *ſed & lignea*, *& fictilia*; *alia quidem in honorem*, *alia in contumeliam*. *Numerus ergò*, *vaſa in honorem*: *Super numerum*, *vaſa in contumeliam*. (x) De his autem *quid audit Eccleſia*? *Sicut lilium in medio ſpinarum*, *ita proxima mea in medio filiarum*. *Non dictum eſt*, *in medio alienarum*; *ſed in medio filiarum*.... *Quid eſt quod dicis*? *Sicut lilium in medio*, *quarum ſpinarum*? *ita proxima mea in medio*, *quarum filiarum*? *Quas dicis ſpinas*, *ipſas filias*? *Reſpondet*: *Spinæ ſunt*, *propter mores ſuos*; *filiæ propter ſacramenta mea*. (y) *Nam & ipſæ ſpinæ*, *quoniam ad populum Dei pertineant*, *vis audire*? *Ita poſita eſt ipſa ſimilitudo*, *Sicut lilium*, *inquit*, *in medio ſpinarum*, *ita proxima mea in medio filiarum*. *Sunt ergò filiæ malæ*, *& inter illas eſt lilium in medio ſpinarum*. Itaque illi, *qui ſacramenta habent*, *& mores bonos non habent*, *& Dei dicuntur*, *& non Dei*; *& ejus di-*

Digitized by Google

dicuntur, & alieni. Ejus, propter ipſius ſacramentum; alieni, propter proprium vitium. Ita & filiæ alienæ: Filiæ, propter formam pietatis; alienæ, propter amiſſionem virtutis. Sit tibi lilium, ſuſcipiat miſericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non ſit ingratum pluviæ dulci de cælo venienti: Ingratæ ſint ſpinæ, creſcant de imbribus; ad ignem creſcunt, non ad horreum (z) Poſtremò *veniant in mentem torcularia habentia vinacia, & vinum: & area continens paleam, & frumentum: & retia quibus incluſi ſunt piſces boni, & mali: & arca Noe in qua, & immunda, & munda erant animalia, & videbis Eccleſias interim hoc tempore uſque ad ultimum judicii tempus non ſolum oves, & boves continere, ideſt, ſanctos laicos, & ſanctos miniſtros; ſed inſuper, & pecora campi, volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Serm. 137. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*b*) In Pſal. 138. num. 26. tom. 4. (*c*) In Pſalm. 43. num. 25. tom. 4. (*d*) In Pſal. 62. num. 2. tom. 4. (*e*) In Pſal. 56. num. 1. tom. 4. (*f*) In Pſal. 137. num. 4. tom. 4. (*g*) Serm. 223. num. 2. tom. 5. (*h*) Serm. 248. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*i*) Tract. 122. in Jo. num. 7. tom. 3. (*k*) Serm. 250. num. 2. tom. 5. (*l*) In Pſal. contra partem Donati num. 9. tom. 9. (*m*) Epiſt. 129. ad Marcellinum num. 5. tom. 2. (*n*) Lib. 22. contra Fauſtum cap. 88. tom. 8. (*o*) Lib. de unico bapt. contra Petilianum cap. 17. num. 31. tom. 9. (*p*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 47. num. 110. tom. 9. (*q*) Serm. 264. num. 5. tom. 5. (*r*) Tract. 6. in Joan. num. 3. tom. 3. (*ſ*) Tract. 11. in Joan. num. 10. tom. 3. (*t*) Serm. 4. cap. 28. num. 31. tom. 5. (*u*) Serm. 15. cap. 2. num. 2. tom. 5. (*x*) In Pſal. 99. num. 8 tom. 4. (*y*) In Pſal. 47. num. 8. tom. 4. (*z*) In Pſal. 8. num. 13. tom. 4.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrum ex Sancto Auguſtino propter mala, quæ ſunt in Eccleſia, fas ſit recedere à corpore Eccleſiæ?

Dicendum ex Sancto Auguſtino propter mala, quæ ſunt in Eccleſiâ, nefas eſſe recedere à corpore Eccleſiæ. Huic enim Sancti Doctoris ſententiæ contraria quæ repugnat opinio Donatiſtas impulit, ut ab Eccleſia ſeceſſionem facerent, quos Sanctus Doctor multis graviſſimiſque rationibus confutavit, ex quibus ſelectas quaſdam hùc advocamus ſententias.

I. EPiſt. 183. ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum cap. 4. num. 15. tom. 2. *Quomodò vos nefario ſcelere ab unitate Catholicâ, tamquam ab area dominicâ, ſeparatis, quæ uſque ad tempus ventilationis neceſſe eſt, ut habeat & frumentum in horreo recondendum, & paleam ignibus conſumendam?*

II. Epiſt. 93. ad Vincentium cap. 12. num. 50. tom. 2. *Neque propter paleam, relinquimus aream Domini; neque propter piſces malos, rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine ſegregandos, deſerimus gregem Domini; neque propter vaſa in contumeliam, migramus de domo Domini.*

III. Epiſt. 108. ad Macrobium cap. 7. num. 20. tom. 2. *Ne, ſicut Chriſtus admonuit, cum volumus ante tempus colligere zizania, quæ Beatus Cyprianus non extra, ſed intra Eccleſiam videri, cernique teſtatus eſt, eradicemus ſimul & triticum.* Itaque ex Sancto Auguſtino fieri non poteſt, quo minus in hac mortali, in qua verſamur Eccleſiâ, palea multa ſit, tandem igne abſumenda: quominus non pauci ſint piſces mali, foras, cum ventum fuerit ad litus, proiiciendi: quominus plures ſint hædi, ſub mundi occaſu ab ovibus ſegregandi: quominus multa ſint vaſa ignobilia, tandem aliquando ſempiternæ contumeliæ addicenda: quominus multum ſit lolium poſt meſſem denique comburendum, ideſt, allegoriâ remotâ, fieri non po-

Digitized by Google

poteſt ex Sancto Auguſtino, quominus hoc mortali labente tempore, plurima diverſique generis mala pervadant Eccleſiam: At mala hujuſmodi, quæ paſſim à Donatiſtis ſive jure, ſive injuriâ Catholicis obiiciebantur, juſta & legitima cauſſa ex Sancto Auguſtino nequaquam erant, quâ ſe ſe a communione Eccleſiæ Catholicæ Donatiani alienaverint, & peculiarem ſibi congregationem conſtituerint, atque ſeparata conventicula celebraverint. Neque verò ex Sancto Doctore mores depravati ac corrupti, quos per Eccleſiam Donatiſtæ graſſari prædicabant, juſta, & legitima cauſſa cuiquam eſſe poſſunt faciendi ſchiſmatis, ſeque proripiendi ab Eccleſiâ: *Nos autem*, inquit Sanctus Doctor Epiſt. 93. ad Vincent. Rogat. cap. 9. num. 28. tom. 2. *ideò certi ſumus, neminem ſe à communione omnium gentium juſtè ſeparare potuiſſe, quia non quiſque noſtrûm in juſtitiâ ſuâ, ſed in ſcripturis divinis quærit Eccleſiam: & ut promiſſa eſt, reddi conſpicit. Ipſa eſt enim de qua dicitur* (Cant. 2. 2.) Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum, *quæ nec ſpinæ dici poſſunt, niſi malignitate morum; nec filiæ, niſi communione ſacramentorum*. Nullius pariter ponderis atque momenti eſt apud Sanctum Doctorem, præter corruptos mores, laxita, ut ajunt, prioris diſciplinæ ſeveritas, ex quibus nullam cauſſam probabilem afferre poſſunt ſchiſmatici, qua ſeceſſionem ſuam ab Eccleſiâ tueantur. Siquidem ex Sancto Doctore optimè ſibi conſulunt juſti, ſuamque collocant in tuto ſalutem, dum animo, mente, & imitatione ab injuſtis recedunt, quibuſcum communi vinculo ejuſdem religionis, atque divini cultûs copulantur. *Præcidendæ unitatis*, inquit Auguſtinus Lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 11. num. 25. tom. 9. *nulla eſt juſta neceſſitas, cum, ſibi nequaquam ſpiritaliter nocituros malos, ideò tolerent boni, ne ſpiritaliter ſeparentur a bonis, cum diſciplinæ ſeveritatem conſideratio cuſtodiendæ pacis refrenat, aut differt .... Si enim pro bono pacis, ne ante tempus cum zizania colliguntur, eradicetur ſimul & triticum, neceſſitate cogitur quiſquam eſſe inter injuſtos, recedat ab injuſtitia, & ſecurus invocat nomen Domini: ſimul enim & ab injuſtis recedit, & ab eis exit, atque ſeparatur inte-*

interim corde, ut etiam corpore a talibus in fine ſeparari mereatur. Quæ cum ita ſint, ex Sancto Auguſtino conficitur, propter mala, quæ ſunt in Eccleſia, nefas eſſe recedere à corpore Eccleſiæ.

IV. Serm. 164. cap. 7. num. 11. tom. 5. *Propter peccata aliena, ſi vera eſſent, & non tua magis eſſent, gregem Dei, mixtum ovibus & hædis, non deſereres; aream dominicam, quamdiu palea trituratur, non relinqueres; retia dominica, quamdiu bonos & malos piſces ad litus trahunt, non diſrumperes.*

V. In Pſal. 58. Serm. 1. num. 11. tom. 4. ſic Eccleſiam alloquitur: *In dexterâ tene bonos, in ſiniſtrâ tene malos, donec veniat ventilabrum. Poſſide tamen omnes gentes. Invitentur ad nuptias boni & mali, impleantur nuptiæ recumbentium. Servorum eſt invitare; Domini ſeparare. Etiam atque etiam in dexteram, atque ſiniſtram extende.*

VI. Serm 88. cap. 18. num. 19. tom. 5. *In myſterio lectionis hujus cognovimus, fratres, quod aliis librorum ſanctorum locis apertiſſimè ſonat, eſſe intus in Eccleſiâ & bonos, & malos, quod ſæpe dicimus frumentum, & paleam.. Nemo ante tempus deſerat aream, toleret paleam in tritura, toleret in area. Quod enim toleret in horreo, non habebit. Veniet ventilator, qui dividet malos a bonis. Erit etiam corporalis ſeparatio, quam modo ſpiritalis præcedit. A malis corde ſemper disjungimini, ad tempus cautè corpore copulamini*. Habemus igitur ex Sancto Auguſtino, neque gregem Dei, ovibus, hædiſque permixtum; neque Domini aream palea, & tritico onuſtam; neque Domini retia plena malis, boniſque piſcibus deſerenda, relinquenda, diſrumpenda eſſe, propter peccata aliena, quæ nocere non poſſunt iis, quos conſcientia rectè factorum ſecuros facit. Frumenti eſſe non deſerere aream propter paleam; ſed tolerare paleam in area trituræ tempore. A malis ſemper animo, atque imitatione recedendum, quibuſcum corpore & loco intra eandem Eccleſiam, in hac vita mortali, cautè eſt cohærendum. Servorum eſſe ad nuptiale Eccleſiæ convivium homines quoſcumque convocare: Separare autem diſcumbentes convivas, ſegregando bonos a malis, non

ad

Digitized by Google

ad convocantes ſervos, ſed ad convivii Dominum pertinere. Hæc Auguſtinus adverſus ſchiſmaticos Donatiſtas, qui in ſeceſſionis ſuæ ab Eccleſiâ patrocinium advocabant injuſtas perſecutiones, quas paſſos ſe eſſe ab Eccleſiâ noſtrâ conquerebantur, quacum de tyrannide, per ſummam calumniam, expoſtulabant, crebriſque ſermonibus tempora Macariana uſurpabant, quibus ſub Macario, a Conſtante Imperatore Anno 348. in Africam miſſo, in majores ſuos crudeliſſimè ſævitum fuiſſe vociferabantur. Quibus Auguſtinus Tract. 11. in Joan. num. 15. tom. 3. *Si paſſa es*, reponebat, *o pars Donati*, *corporalem afflictionem ab Eccleſiâ Catholicâ*, *a Sara paſſa eſſe Agar*. *Redi ad Dominam tuam*. Ceterum neque perſecutio injuſta, neque ſævior tyrannis, quam calumnioſiſſimè Eccleſiæ Catholicæ exprobant noſtræ ætatis hæretici, etſi majorum ſuorum in Catholicos immanitate loca omnia cæde, & ſanguine redundaverint, cauſſa juſta eſt apud Sanctum Auguſtinum ab Eccleſia Catholica recedendi. Sic ènim Lib. 2. contra Creſconium cap. 22. num. 27. tom. 9. Donatiſtis reſpondet, pro defectione ſua ab Eccleſia cauſantibus Eccleſiæ tyrannidem, injuſtaſque perſecutiones: *Aut ergò rectè paſſi eſtis perſecutionem*; *aut ſi modus Chriſtianus exceſſus eſt*, *palea noſtra fecit*, *propter quam non fuerat area dominica deſerenda*; *ne*, *quiſquis ante tempus ventilationis ab area paleam refugeret*, *à frumento ſeparatus palea fieret*. Quamobrèm ex Sancto Auguſtino, propter mala quæ ſunt in Eccleſiâ, recedere nefas eſt à corpore Eccleſiæ.

VII. Lib. 2. contra Gaudentium cap. 3. num. 3. tom. 9. *Ab hac ergò verá*, *germanáque Catholicâ*, *quæ Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit*, *ramos ſuos per univerſam terram copiá ubertatis extendit*, *quæ cauſſâ vobis fuerit exeundi*, *cum interrogamini*, *nihil juſtum invenitis*: *prorſus ab Eccleſia exitum veſtrum nulla purgatione probabilis excuſationis abluitis*. *Quid enim dicitis niſi*, *Neceſſitas compulit*, *ut juſti relinqueremus injuſtos? Reſpondet vobis ſcriptura divina*: *Filius malus ipſe ſe juſtum dicit*, *exitum verò ſuum non abluit*. *Exitum*, *inquit*, *ſuum*, *utique illum de quo dicit Apoſtolus Johannes*, *Ex nobis exierunt*, *omnino non abluit*, *non defen-*

 dit,

dit, non excuſat, non purgat. Ad juſtos enim non pertinet in Eccleſiá Catholicá niſi malos, quos corrigere vel damnare non poſſunt, patientiſſimè tolerare; nec propter zizania de dominico agro, nec propter paleam de dominicá area, nec propter vaſa inhonorata de dominicá domo, nec propter piſces malos de dominicis retibus ante tempus exire, ne fruſtra exitum ſuum conentur abluere. Has Evangelicas ſententias ſi volueris in alium ſenſum qualibet argumentatione convertere, eidem Beato Cypriano, cujus teſtimonium adhibes, contradicis, ſicut in noſtra collatione feciſtis. Nam hæc de iſta quæſtione ſupradicti martyris verba ſunt, in epiſtolá quam ſcripſit ad Maximum, & ſocios confeſſionis ejus: Etſi videntur, inquit, in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas noſtra, ut, quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.

VIII. Ibidem cap. 5. num. 5. *Cum autem monet Beatiſſimus ille, ne propter zizania, quæ in ea ſunt, ab Eccleſia recedatur; non monet propter illa, quæ occultantur, ſed propter illa potius, quæ cernuntur. Ipſa enim ſunt, quæ poſſunt perturbare cernentes, niſi eos faciat ſapientia patientes. Nam quomodo propter occulta nos non debere recedere diſceremus, quæ omnino eſſe neſcimus? Etſi videntur, inquit, in Eccleſia eſſe zizania. Videntur, ait, non ſuſpicatione creduntur: Et ne quiſquam putaret ita dictum, Videntur eſſe, tamquam non eſſent, ſed eſſe viderentur: verbis conſequentibus, quid dixerit, aperit: Non tamen impediri, inquit, debet aut fides, aut caritas noſtra; ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Non ait ſuſpicamur, putamus, credimus, opinamur; ſed cernimus. Ea quippe etiam illi non operta credebant, ſed aperta cernebant, qui dixerunt patrifamilias. Vis imus, & colligimus ea? De quibus dictum erat, cùm veniſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Quibus reſpondit, Non: Ne forte, dum vultis colligere zizania, ſimul eradicetis & triticum: Et, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem.*

IX. Lib. 2. contra Creſconium Grammaticum cap. 34. num. 43. tom. 9. *Vides frater ſecundùm ſcripturas divinas, hoc præce-*

cepiſſe Cyprianum, etiam propter malos, qui cum ſint a bonis vita, moribuſque ſpiritaliter ſeparati, corporaliter tamen eis in Eccleſia videntur eſſe permixti, uſque in diem judicii, quo etiam corporaliter debitas ſeparabuntur ad pœnas. Non eſt Eccleſia deſerenda tamquam frumenta propter paleam, vel zizania; tamquam domum magnam propter vaſa inhonorata. Vides, audis, ſentis, capis, intelligis quanto ſcelere propter eos, qui vobis, ſive recte, ſive cum fallimini, diſplicent, ſeparamini ab Eccleſia, quæ toto Orbe diffunditur, cui ſecundùm ſcripturas divinas, tam magnum, tam firmum, tam clarum, atque luculentum teſtimonium perhibet Cyprianus. Locis ſuperioribus Sanctus Auguſtinus oſtendit, nullam probabilem cauſſam potuiſſe Donatiſtas producere, qua juſtitiam, & æquitatem ſuæ defectionis ab Eccleſia Catholica, toto orbe diffuſa, demonſtrarent, ac palam facerent. Atque iterum, iterumque Evangelica Eccleſiæ ſymbola, complectentis bonos & malos, in medium Auguſtinus producit: docetque ad juſtos non pertinere niſi malos, quos corrigere vel damnare non poſſunt, in Catholicâ Eccleſiâ patientiſſimè tolerare. Addit in eadem eſſe ſententia Martyrem Cyprianum, qui conceptiſſimis verbis paſſim affirmat, Eccleſiam Catholicam, toto orbe diffuſam, quæ proindè vera eſt Chriſti Domini Eccleſia, nefas eſſe quempiam deſerere, propter cujuſcumque generis mala, quæ in ea contineri jactentur, etiamſi mala hujuſmodi tam certa, tam publica, tam perſpicua, tam explorata forent, quàm quæ maximè. In tutelam ſacrilegæ ſeceſſionis, quam majores ſui fecerant ab Eccleſia, Chriſtianorum apoſtaſiam Donatiſtæ accerſebant, qui vaticinia de futura Chriſti Domini Eccleſia amplecti ſe profitentes, *Et iſta credimus*, apud Sanctum Auguſtinum Lib. de Unit. Eccl. cap. 13. num. 33. tom. 9., non ſecus ac noſtri hæretici, dicebant, *& completa eſſe confitemur; ſed poſteà orbis terrarum apoſtatavit, & ſola remanſit Donati communio.* Quemadmodum noſtræ ætatis hæretici, *Orbis terrarum*, inquiunt, *apoſtatavit; & ſola remanſit Lutheri, vel Calvini communio.* Hanc autem apoſtaſiam contigiſſe Donatiſtæ affirmabant in Diocletiani perſecutione, qui, anno Chriſti 303., primum edictum

ctum in Chriſtianos promulgavit, quo *Eccleſiæ quidem ad ſolum uſque dirui; ſacri verò Codices flammis abſumi jubebantur*. (Euſebius hiſt. lib. 8. cap. 2.) Hoc edicto promulgato, ſacros Codices concremandos profanis deorum cultoribus traditos, atque inanibus Deorum ſimulacris thus incenſum ab ignavis, perfidiſque Chriſtianis Donatiſtæ prædicabant, quos proindè appellatione famoſâ *Traditores* vocabant, atque *Thurificatos*. Hinc Donatiſta Creſconius, apud Sanctum Auguſtinum Lib. 2. contra Creſcon. cap. 22. num. 27. tom. 9. ſic Catholicos criminabatur, *Veſtra, per veſtros majores traditionis, & thurificationis, & per vos perſecutionis crimine, damnata conſcientia eſt*. Ad hæc Auguſtinus, Chriſtianos fædifragos, apoſtatas, idololatras, piorum perſecutores, quos verſari in Eccleſia quandoque non diffitetur, æquam negat fuiſſe cauſſam diſcedendi ab Eccleſia, de qua, *Multa ſcelera*, inquit in Pſal. contra part. Donati coll. 4. lit. D. tom. 9. *admittebat iniquus populus ille. Idolis ſacrificatum eſt, tot occiſi ſunt Prophetæ; & nemo tamen juſtorum receſſit ab unitate. Uno templo miſcebantur; ſed mixti non erant corde. Dicebant in illos tanta, & unum habebant altare*. Et Lib. 3. contra Creſcon. cap. 35. num. 39. tom. 9. nunquam ſe diſceſſurum profitetur Auguſtinus ab ea Eccleſia, quæ, cùm ex ſacris litteris demonſtretur Catholica eſſe, atque Apoſtolica, veram eſſe Chriſti Domini Eccleſiam concluditur. In hac Eccleſia, ſiqui fuerint traditores, ſe animo ab eis, non communione recedere, qui, cum Eccleſiæ non ſint conditores, illius Eccleſiæ ſtabilitati, cujus ſunt conditores Apoſtoli, nequicquam detrahunt. Audiatur Sanctus Doctor loco citato. *Ego in Eccleſia ſum, cujus membra ſunt omnes illæ Eccleſiæ, quas ex laboribus Apoſtolorum natas, atque firmatas ſimul in litteris canonicis novimus: earum communionem, quantùm me adjuvat Dominus, ſive in Africâ, ſive ubicumque, non deſeram. In hac communione ſi fuerint, quos neſcio, traditores, cum eos demonſtraveris, & carne, & corde mortuos deteſtabor; neque tamen a vivis, in ejuſdem Eccleſiæ ſanctá unitate manentibus, propter mortuos alienabor. Neque enim ipſi hanc Eccleſiam condiderunt: Sed in ea, ſi boni, frumen-*

Digitized by Google

mentum; ſi autem mali, palea fuerunt. Itaque ex Sancto Auguſtino propter mala, quæ ſunt in Eccleſia, recedere nefas eſt a corpore Eccleſiæ.

X. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 14. num. 33. tom. 9. *Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de commiſtione malorum, & bonorum intra eandem ſacramentorum communionem, & connexionem, quam Dominus ipſe & ponit, & exponit. Simile eſt, inquit, Regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, quæ congregat omnia genera piſcium. Cum autem eſſet impleta, eduxerunt eam ad litus, & ſedentes elegerunt optimos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi: exient Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Nulla ergò malorum commixtio terret bonos, ut propterea velint tamquam retia rumpere, & a congregatione unitatis exire, nè homines, non pertinentes ad regnum cælorum, in ſacramentorum conſortio patiantur: quandoquidem cum ad litus, ideſt, ad finem ſæculi ventum fuerit, fiet debita ſeparatio, non humana temeritate, ſed divino judicio.*

XI. Lib. 3. contra Creſconium cap. 38. num. 42. tom. 9. *Si licuit regi David, Samueli, Iſaiæ, Jeremiæ, Zachariæ, ceteriſque Sanctis, & Prophetis Dei, inter contemptores legis, Dei mandata ſervare, atque in illos ipſos mandati tranſgreſſores multa digna, & vera verba jaculari, patrum quoque illa peccata, quibus ſub Moyſe ita offenderunt Deum, ut nemo eorum dignus eſſet terram promiſſionis intrare, non imitari, non ſectari, ſed deteſtari, ac fugere; & illos, qui ea committerent ſimilitudine talium patrum, increpare; nec tamen ſibi alterum populum, quaſi purgatum & liquatum, ſeparatione ſacrilega conſtituere: quomodo nobis non liceat, nec facta neſcio quorum, quæ magis obiicitis quam probatis, imitari; nec tamen ab ea, quæ in univerſo mundo, ſicut Apoſtolus dicit, fructificat & creſcit, ſancta Eccleſia ſeparari?*

XII. Lib. de fide, & operibus cap. 5. num. 7. tom. 6. *Cùm ergò ſive per negligentiam præpoſitorum, ſive per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſive per occultas obreptiones invenimus in Ec-*

Digitized by Google

Eccleſiá malos, quos Eccleſiaſticá diſciplinâ corrigere, aut coërcere non poſſumus; tunc ne aſcendat in cor noſtrum impia, & pernicioſa præſumptio, quá exiſtimemus, nos ab iis eſſe ſeparandos, ut peccatis eorum non inquinemur; atque ita poſt nos trahere conemur, veluti mundos ſanctoſque diſcipulos, ab unitatis compage, quaſi a malorum conſortio ſegregatos. Veniant in mentem illæ de ſcripturis ſimilitudines, & divina oracula, vel certiſſima exempla, quibus demonſtratum, & prænuntiatum eſt, malos in Eccleſia permixtos bonis uſque in finem ſæculi, tempuſque judicii futuros; & nihil bonis in unitate ac participatione ſacramentorum, qui eorum factis non conſenſerint, obfuturos. Jam verò ex Sancto Auguſtino nullum impendet exitium bonis ex malorum in rebus divinis intra eandem Eccleſiam conſociatione, cujus compagem diſrumpere nefas eſt, evitandi cauſſa conjunctionem cum malis. Quacumque enim de cauſsâ contingat, in media Eccleſia verſari Chriſtianos improbos, qui in omni genere, & ſcelerum, & flagitiorum volutentur, non proindè fas eſſe piis, probiſque fidelibus, ne flagitiorum ſordibus contaminentur, ab Eccleſia profugere, novamque veluti defecatam atque impollutam Eccleſiam condere, ex delectis hominibus puris atque integris conſtitutam. Si enim licuit natis in Eccleſia Judaica piis, juſtiſque Prophetis, Regibus, Judicibus, Ducibus, Legislatoribus cum ſacrilegis, perditis, ſceleſtiſſimiſque ejuſdem religionis hominibus verſari, atque unâ in idem templum ad eadem ſacrificia, atque ad eadem ſacra ſolemnia convenire; quare non liceat piis, probiſque Chriſtianis, communi ejuſdem Fidei profeſſione, communi eorundem ſacramentorum participatione, communi eiſdem Paſtoribus ſubjectione, cum improbis, perditis, ſceleſtiſque ejuſdem religionis cultoribus cohærere, quouſque è ſinu ſuo Eccleſia Catholica eos non excluſerit? Sic Auguſtinus ſchiſmaticos Donatiſtas impugnabat demonſtrando, quæcumque improborum ſcelera, atque flagitia, idololatriam, apoſtaſiam, impiam erroneamque doctrinam, pio cuiquam nequaquam legitimam eſſe cauſſam ſegregandi ſe ab Eccleſia. Quod enim pertinet ad erroneam doctrinam, hæc ſtatuit hac ſuper re Sanctus Doctor

Lib. 3.

Digitized by Google

Lib. 3. contra Creſconium cap. 38. num. 42. tom. 9. *Numquid aliqua ſacramenta conſtituerunt traditores, in quibus baptizarer? Numquid aliquos libros de facienda, vel imitanda traditione poſteris condiderunt, & eorum tenemus, ſequimurque doctrinam? Quod ſi feciſſent, nec ſibi communicare paterentur niſi eos, qui illa legerent, approbarent, ipſi ab Eccleſiæ ſe unitate dividerent: in quorum diviſione me ſi videres, tum me dicere deberes, eſſe in Eccleſia traditorum. Quod ſi ſua peſſima de facienda traditione præcepta conſcriberent, nec tamen extra Eccleſiam ſua propria congregatione, atque communione colligerentur, zizania propterea computarentur, quorum cauſſâ frumenta non rectè deſererentur.*

Neque hinc noſtræ ætatis hæretici cauſſam receſſionis ſuæ ab Eccleſiâ Romanâ conferant, ut conferre revera ſolent, in generalem idololatriam, ac generalem erroneam doctrinam, quæ ſegregationis ſuæ tempore univerſam Romanam Eccleſiam corruperint. Inquiro enim ab eis: Quando majores ſui receſſerunt ab Eccleſiâ Romanâ, quacum jampridem conjuncti erant, quæque ea ætate, ſicut & in præſentia, communicabat cum omnium gentium Eccleſiis, & quacum omnium gentium communicabant Eccleſiæ, an Romana per ea tempora vera erat Chriſti Domini Eccleſia, an amplius non erat? Si vera Chriſti Eccleſia, ſchiſmatici fuerunt majores ſui, in quorum ſchiſmate perſeverant & ipſi, ſeparando ſe a vera Chriſti Domini Eccleſia, a qua nulla de cauſſa fas eſt ſegregari. Quod ſi tunc temporis Romana Eccleſia non erat amplius vera Chriſti Domini Eccleſia, id ab eis peto, utrum ea tempeſtate nulla, an aliqua eſſet vera Chriſti Domini Eccleſia? Si dicant, nullam fuiſſe per ea tempora veram Chriſti Domini Eccleſiam, rem dicunt, quæ fieri omnino non poteſt, cum Chriſtus Dominus conceptiſſimis verbis promiſerit Eccleſiam ſuam ſemper manſuram, Eccleſiam ſuam nunquam interituram: Quod ſi ea ætate velint, quod velle debent, fuiſſe tunc aliquam veram Chriſti Domini Eccleſiam, dicant, quæ fuerit. An Eccleſia Valdenſium, an aliqua ex Orientalibus, à Romana ſejunctis? At majores ſui, recedendo à Romana, apud nullam ex his Ec-

cleſiis ſe receperunt,contuleruntque. Quamobrem ſchiſmatis manifeſti reos eſſe ſe declararunt majores ſui, in quorum ſchiſmate verſantur illorum poſteri, eo quod recedendo à Romana, veræ Chriſti Domini Eccleſiæ, quod facto opus erat, non ſe ſe adjunxerint. Numquid ante ſeparationem in unius Lutheri, ſive Calvini, aliorumve hominum paucorum ſinu, veluti complicata, ac coarctata, tota Chriſti Domini Eccleſia latitabat? At omnium gentium, non hominum paucorum: Catholica, ubique diffuſa, & quaqua verſum porrecta, non anguſtiſſimis concluſa ſpatiis Chriſti Domini in ſacris litteris promiſſa eſt nobis Eccleſia. An majores veſtros miros quoſdam novoſque Apoſtolos prædicabitis, qui ſecreto Dei inſtinctu, divinoque ſpiritu afflati, ad veterem Eccleſiam, jampridem everſam funditùs, atque exciſam, excitandam iterum, inſtaurandamque fuerint divinitus deſtinati? Si hoc contenditis, ex vaticiniis, ex prodigiis, ex portentis, ſimilibuſque ſignis, ad hanc rem a Deo inſtitutis, legitimum Apoſtolatum, legitimam miſſionem, legationemque illorum, uti facto opus eſt, nobis oſtendite: quemadmodum legitimam ſuam miſſionem legationemque Moyſes, Aaron, Prophetæ, Apoſtoli, atque ipſemet Chriſtus Dominus, ſupernis commemoratis ſignis, conteſtatam nobis, atque exploratam fecerunt. Concludendum eſt igitur ex Sancto Auguſtino, ut eò redeamus unde digreſſi ſumus, propter mala, quæ ſunt in Eccleſia, recedere nefas eſſe a corpore Eccleſiæ.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Cum ſive per negligentiam præpoſitorum, ſive per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſive per occultas obreptiones invenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſticâ diſciplinâ corrigere aut coërcere non poſſumus, tunc ne adſcendat in cor noſtrum impia & pernicioſa præſumptio, quâ exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita poſt nos trahere conemur veluti mundos, ſanctoſque diſcipulos, ab unitatis compage, quaſi à malorum conſortio, ſegregatos.* (b) *Si* enim *licuit Regi David, Samueli, Iſaiæ, Jeremiæ, Zacha-*

chariæ, ceteriſque Sanctis, ac Prophetis Dei, inter contemptores legis, Dei mandata ſervare, nec tamen ſibi alterum populum, quaſi purgatum, & liquatum, ſeparatione ſacrilegâ conſtituere; quomodo nobis non liceat, nec facta, neſcio quorum, quæ magis obiicitis, quam probatis, imitari; nec tamen ab ea, quæ in univerſo mundo, ſicut Apoſtolus dicit, fructificat & creſcit, ſancta Eccleſia ſeparari? (c) *Nulla ergò malorum commixtio terret bonos, ut propterea velint tamquam retia rumpere, & a congregatione unitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum cælorum in ſacramentorum conſortio patiantur; quandoquidem cum ad litus, ideſt, ad finem ſæculi ventum fuerit, fiet debita ſeparatio, non humana temeritate, ſed divino judicio.* (d) *Cognovimus* quidem *librorum Sanctorum locis eſſe intus in Eccleſia, & bonos, & malos, quod ſæpè dicimus frumentum, & paleam; ſed nemo ante tempus deſerat aream, toleret paleam in tritura, toleret in area. Quod enim toleret in horreo, non habebit. Veniet ventilator, qui dividet malos a bonis. Erit etiam corporalis ſeparatio, quam modo ſpiritalis præcedit. A malis ſemper corde disjungimini, ad tempus cautè corpore copulamini.* (e) *Quomodò* igitur o Donatiſtæ *vos nefario ſcelere ab unitate Catholicâ, tamquam ab area dominica ſeparatis, quæ uſque ad tempus ventilationis neceſſe eſt ut habeat, & frumentum in horreo recondendum, & paleam ignibus concremandam.* (f) Nos autem *neque propter paleam, relinquimus aream Domini; neque propter piſces malos, rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine ſegregandos, deſerimus gregem Domini; neque propter vaſa in contumeliam, migramus de domo Domini.* (g) Quare *propter peccata aliena, ſi vera eſſent, & non tua magis eſſent, gregem Dei, mixtum ovibus, & hædis, non deſereres: aream dominicam, quamdiu palea trituratur, non relinqueres: retia dominica, quamdiu bonos, & malos piſces ad litus trahunt, non diſrumperes.* (h) *Non eſt* igitur *Eccleſia deſerenda, tamquam frumenta propter paleam vel zizania, tamquam domum magnam propter vaſa inhonorata. Vides, audis, ſentis, capis, intelligis quanto ſcelere propter eos, qui vobis, ſive rectè, ſive cum fallimini, diſpli-*

 cent,

cent, ſeparamini ab Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur. (i) *Ad juſtos enim non pertinet in Eccleſia Catholica niſi malos, quos corrigere, vel damnare non poſſunt, patientiſſimè tolerare; nec propter zizania de Dominico agro; nec propter paleam de Dominica area; nec propter vaſa inhonorata de Dominica domo; nec propter piſces malos de Dominicis retibus ante tempus exire, ne fruſtra exitum ſuum conentur abluere. Has Evangelicas ſententias, ſi volueris in alium ſenſum qualibet argumentatione convertere, eidem beato Cypriano, cujus teſtimonium adhibes, contradicis, ſicut in noſtra collatione feciſtis: Nam hæc de iſta quæſtione ſupradicti Martyris verba ſunt, in epiſtola, quam ſcripſit ad Maximum, & ſocios confeſſionis ejus: Etſi videntur, inquit, in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas noſtra, ut, quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.* (k) *Cum autem monet Beatiſſimus ille, ne propter zizania, quæ in ea ſunt, ab Eccleſia recedatur, non monet propter illa, quæ occultantur; ſed propter illa potius, quæ cernuntur. Ipſa enim ſunt, quæ poſſunt perturbare cernentes, niſi eos faciat ſapientia patientes.* (l) Quare o Eccleſia *in dextera tene bonos, in ſiniſtra tene malos, donec veniat ventilabrum. Poſſide tamen omnes gentes. Invitentur ad nuptias boni, & mali; impleantur nuptiæ recumbentium: Servorum eſt invitare; Domini ſeparare. Etiam atque etiam in dexteram, atque ſiniſtram extende.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Lib. de fide, & operibus cap. 5. num. 7. tom. 6. (*b*) Lib. 3. contra Creſconium cap. 38. num. 42. tom. 9. (*c*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 14. num. 33. tom. 9. (*d*) Serm. 88. cap. 18. num. 19. tom. 5. (*e*) Epiſt. 185. ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum cap. 4. num. 15. tom. 2. (*f*) Epiſt. 93. ad Vincentium cap. 12. num. 50. tom. 2. (*g*) Serm. 164. cap. 7. num. 11. tom. 5. (*h*) Lib. 2. contra Creſconium cap. 34. num. 43. tom. 9. (*i*) Lib. 2. contra Gaudentium cap. 3. num. 3. tom. 9. (*k*) Ibidem cap. 5. num. 5. (*l*) In Pſal. 58. ſerm. 1. num. 11. tom. 4.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Utrum ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Domini Eccleſia ſit in corpore ſuo Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, atque Romana?

Dicendum ex Sancto Auguſtino, veram Chriſti Domini Eccleſiam eſſe in corpore ſuo Unam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, atque Romanam. Hujuſmodi autem ſingulares notas, quæ veram Chriſti Domini Eccleſiam nobis demonſtrant, ex Auguſtinianis monumentis petitas, exquiſitoque delectu conſcriptas, ſic exhibemus.

I. Lib. de Fide, & Symbolo cap. 10. num. 21. tom. 6. *Credimus, & ſanctam Eccleſiam utique Catholicam. Nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant. Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant. Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna caritate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum: nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum.*

II. Serm. 215. in redditione Symboli num. 9. tom. 5. *Fugite ergo quantum poteſtis diverſos, & varios deceptores, quorum ſectas & nomina præ multitudine ſui nunc longum eſt enarrare ..... Unum veſtris precibus commendo, ut ab eo, qui Catholicus non eſt, animum, & auditum veſtrum omnimodis avertatis, quo remiſſionem peccatorum, & reſurrectionem carnis, & vitam æternam, per unam veram, & ſanctam Eccleſiam Catholicam apprehendere valeatis.*

III. De ſymbolo ad Cathecumenos ſerm. 1. cap. 6. num. 14. tom. 6. *Templum Dei ſanctum eſt, ait Apoſtolus, quod eſtis vos. Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tamquam ſarmenta*

ta

Digitized by Google

ta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.

IV. Lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. num. 1. tom. 7. *Videns Diabolus templa Dæmonum deſtrui, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ, quaſi poſſent indifferenter ſine ulla correptione haberi in civitate Dei, ſicut civitas confuſionis indifferenter habuit Philoſophos inter ſe diverſa, & adverſa ſentientes. Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidum aliquod pravumque ſapiunt, ſi correpti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt; &, foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.*

V. De ſymbolo ad Cathecumenos ſerm. 4. cap. 13. num. 13. tom. 6. *Eccleſia ſponſa Chriſti eſt ..... Eccleſia totum poſſidet, quod a Viro ſuo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæreſis in angulis ſedet: Concubina eſt, non Matrona ..... Cognoſcatur una, ſancta, & vera regina Catholica, cui regnum Chriſtus tale dedit, quòd eam per totum mundum diffundens, ab omni macula & ruga purgans, totam pulchram ſuo adventu præparavit.* Habemus igitur ex Sancto Auguſtino, unam eſſe veram Chriſti Domini Eccleſiam, quæ a ſui ſocietate omnes prorſus hæreticos atque ſchiſmaticos, in quacumque ſecta contineantur, excludit, aſpernatur, repellit. Præterea, Catholicum hominem, ut per unam veram ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſempiternam conſequi ſalutem poſſit, recedere oportet a quovis prorſus hæreticorum, atque ſchiſmaticorum cœtu, qui ab una Catholica Eccleſia quavis ratione diſſentiat. Siquidem una eſt vera Chriſti Domini Eccleſia, quæ adverſus omnes, quæ ex ditione ſua eruperunt, hæreſes pugnat. Hæreſes enim ad Eccleſiam ſe habent, veluti ſarmenta de vite præciſa, quæ ad unius ejuſdemque Eccleſiæ formam, conſtitutionemque amplius non pertinent. Illa autem in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua ſemper eſt una, ſancta, & vera regina Catholica, Chriſti Domini ſponſa. Quævis autem alia congregatio cujuslibet generis hæ-

Digitized by Google

hæreſis in angulis terræ ſedet, non eſt toto orbe diffuſa: Concubina eſt, non Matrona; ac proinde ab una Chriſti Domini Eccleſia longe poſita diſtat. Neque vero, quemadmodum antiqui Philoſophi in contrarias ſententias, ſectaſque inter ſe diſtracti, intra unam eandemque communis ſuperſtitionis ſocietatem, quæ confuſionis eſt civitas, æquo parique jure veluti cives continebantur; ita diverſarum ſectarum hæretici atque ſchiſmatici, qui diverſos errores, diverſoſque mores ab Eccleſia proſcriptos tuentur, communi quadam ratione in unius ejuſdemque Eccleſiæ ſocietate, quæ civitas Dei eſt, communi quodam civitatis jure coaleſcunt; ſed e contrario ab Eccleſia diſtracti, tamquam perduelles cives, procul a patria civitate exulant, atque vagantur extorres. Quamobrem ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Domini Eccleſia ita eſt una, ut omnes quaſcumque ſectas, quæ ſub Chriſtiano nomine abſonas opiniones, ab unius Catholicæ Eccleſiæ conſenſione diſcrepantes, ſequuntur, e ſinu ſuo procul excludat.

His poſitis ex Sancto Auguſtino deducitur, audiendum omnino non eſſe Jurium Calviniſtam, qui tractatu de unitate Eccleſiæ, excuſo Rotorodami anno 1688., ſuadere enititur, atque contendit eos omnes Chriſtianos ad unam veram Chriſti Domini Eccleſiam pertinere, qui articulos, quos *fundamentales* appellat, profitentur, atque in illis cuſtodiendis conſentiunt omnes, etſi errores alios ab Eccleſia proſcriptos, qui fundamentales articulos non convellunt, pertinaci animo, perfractèque tueantur. Quamvis autem enucleatè ac diſtinctè ipſe non explicet, qui ſint articuli, quos vocat fundamentales, coniicitur tamen eos appellare articulos fundamentales, qui ſunt de Uno Deo, atque Trino, nec non de Chriſto Domino. At verò Sanctus Auguſtinus palam demonſtrat, præter ſchiſmaticos, omnes omnino hæreticos, in quacumque ſecta contineantur, quoslibet conſectentur errores, nullo prorſus excepto, etiamſi fundamentales articulos ſanctè profiteantur, ad unam, veram Chriſti Domini Eccleſiam, a qua propter errores quoslibet præciſi ſunt, minimè pertinere. Et reverâ Sanctus Auguſtinus Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum tom. 8. a Simonianis ad

Digitized by Google

ad Pelagianos uſque octo ſupra octoginta hæreticos diverſos enumerat, quorum plurimi non errabant profectò in ullis articulis fundamentalibus, in quibus aſſerendis conſenſione communi inter ſe conveniebant. Hujuſmodi fuerunt, ut nonnullos exempli gratia recenſeam, Origeniſtæ, Tertullianiſtæ, Novatiani, Donatiſtæ, Luciferiani, Joviniamiſtæ, ſimileſque non pauci. Nihilo tamen minus S. D. commemorato libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum propè finem, conceptiſſimis verbis affirmat, omnes enumeratos a ſe diverſarum ſectarum errores, & quoſvis alios, qui vel adhuc exorti fuerint, vel ſint deinceps exorituri, cujuſcumque ſint generis, & quoslibet convellant noſtræ religionis articulos, quos Catholica Eccleſia reiicit, a Chriſtiano Catholico, ſi tamen Chriſtianus Catholicus eſſe velit, abiiciendos omnino eſſe, atque penitus evitandos. Audiatur S. Doctor loco indicato. *Nec ideo tamen parum prodeſt errores iſtos, quos huic operi intexui, lectos, cognitoſque vitare. Quid enim contra iſta ſentiat Catholica Eccleſia, quod a me dicendum putaſti, ſuperfluò quæritur: cum propter hoc ſcire ſufficiat, eam contra iſta ſentire, nec aliquid horum in fidem quemquam recipere..... Omnis itaque Chriſtianus Catholicus iſta non debet credere: ſed non omnis, qui iſta non credit, conſequenter debet ſe Chriſtianum Catholicum jam putare, vel dicere. Poſſunt enim & hæreſes aliæ, quæ in hoc opere noſtro commemoratæ non ſunt, vel eſſe, vel fieri, quarum aliquam quiſquis tenuerit, Chriſtianus Catholicus non erit.* Exploſâ igitur ex placitis Auguſtinianis Jurii ſententiâ, conficitur ex S. Auguſtino, veram Chriſti Domini Eccleſiam ita eſſe unam, ut ad eam non pertineant cujuſcumque generis ſectæ, quæ a quibuſvis articulis, ab Eccleſia propoſitis, ac definitis, diſſentiunt.

VI. Serm. 214. in traditione Symboli num. 11. tom. 5. *Sanctam quoque Eccleſiam matrem veſtram, tamquam ſupernam Jeruſalem, ſanctam civitatem Dei honorate, diligite, prædicate. Ipſa eſt, quæ in hac fide, quam audiſtis, fructificat, & creſcit in univerſum mundum, Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis, quæ malos in fine ſeparandos, a*

qui-

Digitized by Google

quibus interim diſcedit diſparilitate morum, tolerat in communione ſacramentorum.

VII. Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 88. tom.8., quæ eſt hæreſis Pelagianorum. *In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine macula, & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra.*

VIII. Serm. 181. cap. 2. num. 2. tom. 5. contra Pelagianos. *Dicunt juſtos prorſus in hac vitâ nullum habere peccatum. Hæretici autem ſunt Pelagiani, iidemque Cæleſtiani, qui hoc dicunt.... Et cum eis dicitur, Qui ſunt iſti juſti, qui ſine peccato ſunt? Reſpondent & dicunt, Tota Eccleſia.*

IX. Ibidem cap.5. num.7. *Exhibet ſibi glorioſam Eccleſiam Dominus, non habentem maculam aut rugam. Agit hoc & hîc; exhibet ibi. Hoc enim agit, ut non habeamus maculam, aut rugam.*

X. Lib. 2. Retract. cap. 18. tom. 1. *Ubicumque autem in his libris* de Baptiſmo contra Donatiſtas *commemoravi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt quaſi jam ſit; ſed quæ præparatur ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet undè quotidiè tota dicat, Dimitte nobis debita noſtra.* Docet ſuperioribus Auguſtinus ſententiis, veram Chriſti Domini Eccleſiam ſanctam eſſe, nec ſecus ac ſupernam Jeruſalem, quæ ſancta civitas Dei eſt, a cultoribus ſuis honorandam, diligendam, ac prædicandam eſſe. Neque verò quidquam detrahit ſanctitati Eccleſiæ, quòd inter cives ſuos, non paucos habeat permixtos malos, quos in ſacramentorum eorundem ſocietate ac communione ſecum conjunctos tolerat. Siquidem ex Sancto Doctore non in eo Eccleſiæ ſanctitas eſt collocanda, quòd ex ſolis coaleſcat juſtis, & ab omni prorſus labe prorſus, & integris, qui Chriſti Eccleſiam, nullam habentem prorſus morum depravatorum maculam, aut rugam, ſoli conſtituant. In hac enim hæreſi verſabantur olim

ex teſtimonio Sancti Doctoris Pelagiani, ſimiliſque opinionis errorem commenti fuerant Donatiſtæ, qui de Eccleſia in hac mortali vita peregrinante illud interpretabantur Apoſtoli teſtimonium, *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi*. (Epheſ. 5.) Abſurdam hanc opinionem Auguſtinus refellens docet, verba illa Apoſtoli accipienda eſſe de Eccleſia in futura vita immortali triumphante, ubi nullam prorſus cujuſcumque labis, vitiique maculam aut rugam habeat neceſſe eſt. In hac verò mortali vita Chriſtus Dominus ſponſam ſuam Eccleſiam ſanctiſſimorum munerum beneficio paulatim luſtrandam, atque expiandam exhibet, quibus fiat apta, & idonea ad conſequendam beatorum civium ſanctitatem, quæ omnem prorſus maculam atque rugam in futura vitâ beatiſſimâ excludit. Præſtat hæc autem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus ſacrificii, ſacramentorum, doctrinæ, cultûs divini, regiminis, diſciplinæ, aliorumque divinorum munerum ſanctitate, quorum vi, & natura Chriſti Domini Eccleſia vere ſancta efficitur, & ſancta jure appellatur.

Ad hæc accedunt ex Sancto Auguſtino miracula, quibus Deus Eccleſiæ ſuæ veritatem, ſanctitatemque teſtatur. Plurima ſunt, diverſique generis, quæ ætate ſua longe, lateque contigiſſe miracula, oculatus ipſemet teſtis refert, & memorat Sanctus Doctor, præcipue vero Lib.22. de Civit. Dei cap.8.num.1. tom. 7. Siquidem poſt verba illa loco citato: *Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, ſive per ſacramenta ejus, ſive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus*, longam recentium miraculorum hiſtoricam ſeriem Sanctus Doctor contexit, quorum ne deleretur memoria, libellos miraculorum coram frequenti populi Chriſtiani concione recitari ſolitos fuiſſe, jubente Epiſcopo, narrat ibidem Sanctus Doctor ſub num. 20. his verbis, ubi de miraculis ad Sancti Stephani invocationem, cujus ſacræ reliquiæ in Africa ritu Chriſtiano colebantur, perpetratis, hæc habet. Audiant hæc Lutherani, Calviniani audiant, & obmuteſcant: *Si miracula ſanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, ideſt, glorioſiſſimum Stephanum facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in* no-

Digitized by Google

noſtra, plurimi conficiendi ſint libri, nec tamen omnia colligi poterunt, ſed tantum de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis...... Nondum eſt autem biennium, ex quo apud Hipponem Regium cœpit eſſe iſta memoria, & multis, quod nobis certiſſimum eſt, non datis libellis de iis, quæ mirabiliter facta ſunt, illi ipſi qui dati ſunt, ad ſeptuaginta ferme numerum pervenerant, quando iſta conſcripſi. Calamæ vero, ubi & ipſa memoria prius eſſe cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine ſuperant.

Jam vero miracula ex Sancto Auguſtino publica, ſolemnia, locupletiſsima, omnique exceptione majora ſummi verique Dei teſtimonia ſunt, quæ non privata, ſed publica quadam Dei lege, poteſtate, auctoritateque per ſanctos Dei ſervos patrantur, ut diſſerit Sanctus Doctor Libro de diverſis quæſtionibus octogintatribus, quæſt. 79. num. 1. tomo 6. his verbis. *Ideoque fit, ut ſancti Dei ſervi, quando hoc donum eos habere utile eſt, ſecundùm publicam, & quodammodo imperialem legem, hoc eſt, ſummi Dei poteſtatem, imperent infimis poteſtatibus, ad quædam viſibilia miracula facienda, in illis enim Deus ipſe imperat, cujus templum ſunt; & quem, contemptá ſuá privata poteſtate, ardentiſſimè diligunt.* His autem publicis ac ſolemnibus teſtimoniis Deus hominibus conteſtatur veritatem, ac ſanctitatem doctrinæ, ſacramentorum, cultûs legitimi Deo exhibiti, eximiorumque cultorum Dei, quibus veritatis, & ſanctitatis inſignibus una, ſola, vera, & ſancta Chriſti Domini Eccleſia declaratur. Et ſanè poſtquam Auguſtinus Lib. 10. de Civit. Dei cap. 8. tom. 7. recenſuit vim, & copiam miraculorum, quæ apud Hebræos antiquitûs facta ſunt, quos inter tunc temporis vera Dei Eccleſia, tamquam in exiguum anguſtumque, tota concludebatur, ſub initio ſequentis capitis noni, ideo ea tunc contigiſſe affirmat, ut miraculorum ſplendore veritas & ſanctitas legitimi cultûs divini, qui in ſola Eccleſia Judaica continebatur, demonſtraretur. *Hæc*, inquit Sanctus Doctor loco allegato, *& alia multa hujuſmodi, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, fiebant ad commendandum unius Dei veri cultum.*

Digitized by Google

Cultus autem divinus ex Sancto Doctore eodem Libro de Civitate Dei cap. 1. num. 1. & 2. complectitur ſacrificia, ſacramenta, ſacras ceremonias, ſacroſque ritus, quibus noſtra, ipſoſque nos Deo conſecramus: *Ut ſacra faciamus*, inquit, *& ſacrificemus, vel aliqua noſtra, ſeu nos ipſos religionis ritibus conſecremus, hic eſt Divinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, Deitati debitus cultus*. Præterea eodem Lib. 10. de Civit. Dei cap. 7. eadem miracula in populo Dei, ad ſignificandam veritatem, ſanctitatem, auctoritatem divinæ legis, præceptorum, ſcripturæ, contigiſſe confirmat his verbis: *Huic ſcripturæ, huic legi, talibus præceptis, tanta ſunt adteſtata miracula*. Quamobrem miracula, quæ Auguſtini ætate, atque etiam nunc temporis, in vera, & ſola Chriſti Domini Eccleſia facta fuiſſe, atque adhuc fieri, nonniſi audaciſſimus quiſque, impudentiſſimuſque negabit, exploratiſſima, ſolemnia, publica ſummi verique Dei teſtimonia ſunt, nata, apta, inſtituta ad declarandam veritatem, & ſanctitatem Eccleſiæ, ideſt, cultûs legitimi Deo exhibiti, doctrinæ, præceptorum, legis, ſacrificii, ſacramentorum, rituum, ceremoniarum, rerum, perſonarumque ſacrarum, quibus ſanctiſſimis ornamentis, inſignibus, atque præſidiis vera Chriſti Domini Eccleſia ſit ſancta, & ſancta eſſe jure, meritoque prædicatur. Itaque cum ceteræ omnes ſectæ miraculis, quæ veritatis ſunt, ac ſanctitatis inſignia, prorſus deſtituantur, ex Sancto Auguſtino dicendum eſt, unam, veram, atque ſolam Chriſti Domini Eccleſiam ea ſanctitate eſſe ſanctam, qua a ceteris ſectis omnibus, tamquam ex ſingulari, præſtantiſſimâque notâ ſecernitur, atque internoſcitur.

XI. Tract. 118. in Joan. num. 4. tom. 3. *Quadripartita veſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, toto ſcilicet, qui quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam, & omnibus eiſdem partibus æqualiter, ideſt, concorditer diſtributam. Propter quod alibi dicit, miſſurum ſe Angelos ſuos, ut colligant electos ejus a quatuor ventis: quod, quid eſt niſi a quatuor partibus Mundi, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie? Tunica verò illa ſortita*

par-

partium ſignificat unitatem, quæ caritatis vinculo continetur.... Unde & hìc cum dixiſſet, deſuper contexta, addidit, per totum. Quod ſi referamus ad id, quod ſignificat, nemo ejus eſt expers, qui pertinere invenitur ad totum: a quo toto, ſicut græca indicat lingua, Catholica vocatur Eccleſia.

XII. Lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. num. 2. tom. 9. *Quoniam vos potius eſſe Catholicos, teſtimonio beati Cypriani, affirmare conatus es; attende paululum, quam Eccleſiam dixerit ille Catholicam, cum ejus defenderet unitatem: Eccleſia, inquit, Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Quid igitur & vos ipſos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si hujus Martyris teſtimonio veſtra eſt Catholica Eccleſia, oſtendite illam per orbem totum radios ſuos porrigere: oſtendite illam per univerſam terram ramos ſuos copia ubertatis extendere. Hinc enim, & græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim grecè* ὅλον *dicitur, latinè totum, vel univerſum interpretatur. Per totum ergò, ſive ſecundum totum, eſt* καθ' ὅλον; *undè Catholica nuncupatur. Si hoc noſti, quare te noſſe diſſimulas? Si autem ignoras, quare non prius quam loqueris, quod neſcis, eos qui norunt interrogas? Quod ſi diſplicet tibi, non græcam, ſed aliquam linguam inveni, qua doceas* καθ' ὅλον *non per totum, ſive ſecundùm totum, vel ſecundùm univerſum ſignificare: & recede a teſtimonio Cypriani. Ille namque contra te loquitur, qui vides, quid dicat. Per orbem totum dicit, & per univerſam terram porrigi, extendique Catholicam, græco ejus nomini, ac definitioni conſentiens.*

XIII. Serm. 238. num. 3. tom. 5. *Audiamus de Sponſa, quia neſcio qui faventes adulteris, volunt veram ſubvertere, falſamque ſupponere..... Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum: Ubi? Undè? Quouſque? Per omnes gentes, incipientibus ab Jeruſalem. Ecce habes Sponſam.*

Ne-

Digitized by Google

Nemo tibi fabulas vendat: non latret rabies hæreticorum de angulo. Toto terrarum orbe Eccleſia diffuſa eſt: Omnes gentes habet Eccleſia. Nemo vos fallat: Ipſa eſt vera, ipſa eſt Catholica.

XIV. Serm. 4 de Symbolo ad Cathecumenos cap. 13. num. 13. tom. 6. de Sponſa Chriſti Eccleſia, *Totum poſſidet, quod a Viro ſuo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite hæretici, quid ſcriptum ſit, Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus eſt. Eccleſia totum poſſidet, quod a Viro ſuo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæreſis in angulis ſedet: Concubina eſt, non Matrona..... Cognoſcatur una ſancta, & vera Regina Catholica, cui regnum Chriſtus tale dedit, quod eam per totum orbem diffundens, ab omni maculá & rugá mundans, totam pulchram ſuo adventu præparavit.*

XV. Serm. 46. de Paſtoribus cap. 8. num. 18. tom. 5. *Non omnes hæretici per totam faciem terræ; ſed tamen hæretici per totam faciem terræ. Alii hìc, alii ibi, nuſquam tamen deſunt: ipſi ſe non norunt. Alia ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia, verbi gratia. Diverſis locis ſunt diverſæ; ſed una mater ſuperbia omnes genuit: ſicut una mater noſtra Catholica, omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos..... Illa omnes novit, quia cum omnibus fuſa eſt: Verbi gratia: Eſt in Africa pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africá, ſed cum parte Donati eſt hìc Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non eſt pars Donati; ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tamquam vitis, creſcendo ubique diffuſa: Illi ſic ſunt tamquam ſarmenta inutilia, agricolæ falce præciſa merito ſterilitatis ſuæ, ut vitis putaretur, non amputaretur. Sarmenta ergo illa, ubi præciſa ſunt, ibi remanſerunt. Vitis autem creſcens per omnia, & ſarmenta ſua novit, quæ in illa manſerunt; & juxta ſe, quæ de illa præciſa ſunt.*

XVI. Lib. de Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas cap. 6. num. 14. in fine tom. 9. *Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt:*

Digitized by Google

eſt : Oſtendite vos communicare omnibus gentibus , quas jam videmus in hoc ſemine benedici . Date hanc , aut furore depoſito accipite non a me , ſed ab illo ipſo , in quo benedicuntur omnes gentes .

XVII. Lib. 2. contra Creſconium Donatiſtam cap. 14. num. 17. tom. 9. *Hìc Sanctus Spiritus veniens in eos , tale ſignum primitùs dedit , ut , qui cum acciperent , linguis omnium gentium loquerentur , quia protendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram ; nec quemquam accepturum Spiritum Sanctum , niſi qui ejus unitati copularetur .*

XVIII. In Pſal. 147. num. 19. in fine tom. 4. contra Donatiſtas . *Jam totum corpus Chriſti loquitur omnium linguis , & quibus nondum loquitur , loquetur . Creſcit enim Eccleſia , donec occupet omnium linguas . . . . Si corpus Chriſti jam omnium linguis loquitur ; & ego in omnibus linguis ſum , mea eſt Græca , mea eſt Syra , mea eſt Hebræa , mea eſt omnium gentium ; quia in unitate ſum omnium gentium* : Locis ſuperioribus diſputat Auguſtinus cum Donatiſtis , qui paucitatem ſuam (quod in ore omnium ſemper hæreticorum fuit) tamquam certiſſimam veræ Chriſti Domini Eccleſiæ notam , in vulgus prædicabant oſtentabantque , ſeque ſolos Catholicos eſſe gloriabantur . *In paucis* , verba ſunt Donatiſtæ Creſconii apud Auguſtinum Lib. 4 contra eundem cap. 53. num. 63. tom. 9. , *frequenter eſt veritas : Errare multorum eſt.* Ad hæc Auguſtinus , obiiciens paucis numero Donatiſtis multò pauciores Maximianenſes , qui a Donato defecerant , ſegregatumque ſibi cætum conſtituerant, *Sed tibi* , inquit loco producto , *ad omnia nihil facilius , quàm Maximianenſium cauſſa reſpondet . Si enim in paucis frequenter eſt veritas ; & errare multorum eſt , permitte ut Maximianenſes , quanto vobis ſunt impares paucitate , tanto vos ſuperent veritate . Non facis certè . Noli ergò , in comparatione multitudinis gentium Catholicarum , de veſtra paucitate gloriari , ſicuti non vis , ut Maximianenſes , in comparatione multitudinis veſtræ , de ſuâ paucitate glorientur .* Quare ex Sancto Auguſtino nulla ratione probabili Donatiſtæ ſingulare ſibi nomen Catholicum tribuebant , ſibique ſolis proprium vindicabant .

Docet

Digitized by Google

Docet igitur Auguſtinus cum Cypriano, a Donatiſtis in ſui tutelam atque præſidium malè producto, veram Chriſti Domini Eccleſiam profectò eſſe Catholicam, ideſt, ex græcæ vocis ſignificatione, univerſalem, quæ, ut Cyprianus loquitur, ſolis inſtar per totum orbem radios ſuos porrigit, & veluti ſpatioſiſſima arbor ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit: eademque ex Auguſtino inſtar eſt vitis fæcundiſſimæ, quæ ubique gentium creſcendo diffuſa eſt: Toto terrarum orbe Eccleſia Chriſti protenditur; totum enim terrarum orbem a Sponſo ſuo Chriſto Domino accepit in dote. Ea eſt, quæ quadripartita ſponſi ſui e cruce pendentis veſte ſignificatur, quia quatuor mundi totius partes complectitur, Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem. Omnes gentes habet Eccleſia: Cum omnibus gentibus Eccleſia communicat: Eccleſia gentium omnium loquitur linguas. Spatioſiſſimam hanc amplitudinem, extenſionem, effuſionemque Auguſtinus ſingularem eſſe Chriſti Domini Eccleſiæ notam demonſtrat, quæ ceteroquin non adeò rigidè ac religiosè ex Auguſtino accipienda eſt, ut nulla prorſus regio ſit, nullus populus, natio nulla, quam non obtineat Catholica Eccleſia. Siquidem Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 31. tom. 2. *Eccleſia*, inquit, *quæ per omnes gentes creſcit*, *in frumentis Dominicis*, ideſt, Catholicis, graſſante Arianiſmo, *conſervata eſt*, *& uſque in finem*, *donec omnino gentes omnes*, *etiam barbaras teneat*, *conſervabitur*. Diffuſio igitur Eccleſiæ Catholicæ ex Sancto Auguſtino non eſt ad minutiſſimos calculos ratiocinatoris rigidi revocanda, ſed laxius, atque benignius uſurpanda eſt; ita tamen, ut effuſio Eccleſiæ Catholicæ, comparata cum extenſione cujuslibet alterius ſectæ, ſit ſingularum omnium prorſus ampliſſima, latiſſima, explicatiſſima: & verſa vice, ſi comparatio fiat cum Catholica Eccleſia, ceteræ quæque ſectæ anguſtiſſimis prorſus ſpatiis circumſcriptæ contineantur.

Itaque ex Auguſtini placitis nulla alia ſecta, initâ comparatione cum Catholicâ Eccleſiâ, non Photiana, non Eutychiana, non Neſtoriana ex Orientalibus: non Sociniana, non Lutherana, non Calviniana, non Janſeniana ex Occidentalibus,

toto

toto terrarum orbe diffuſa eſt: Nulla obtinet omnes gentes: Nulla quatuor mundi totius partes Orientem, videlicet, Occidentem, Meridiem, atque Septemtrionem longè latèque complectitur; ſed Eutychiana, & Neſtoriana, unaquæque partes Orientis aliquas; Photiana autem quaſdam tum Orientis, tum Septemtrionis regiones; Sociniana, Lutherana, Calviniana, Janſeniana, ſingulæ definitos nonnullos ſeptemtrionis atque occidentis tractus, tamquam ſibi proprias, & ſingulares ſedes, quas vi, aut fraude, aut arte utraque nobis eripuerunt, occupant. Nulla ſolis inſtar per totum orbem porrigit radios ſuos. Nulla aut inſtar arboris ſpatioſiſſimæ ramos ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit; aut inſtar vitis luxuriantiſſimæ creſcendo ubique diffuſa eſt. Nulla totum orbem ut Catholica Eccleſia a Sponſo ſuo Chriſto Domino accepit in dotem. Sed Photiana a viro ſuo Photio, Neſtoriana a viro ſuo Neſtorio, Eutychiana a viro ſuo Eutyche, Sociniana a viro ſuo Socinio, Lutherana a viro ſuo Luthero, Calviniana a viro ſuo Calvino, Janſeniana ab adjuncto ſibi vel poſt obitum in virum Janſenio exiguam orbis particulam quæſtu turpiſſimo lucrata eſt. Nulla omnium gentium loquitur linguas; ſic exempli gratiâ, Calviniana ſecta loquitur quidem Gallicè, Germanicè, Batavicè, Anglicè; at non Arabicè, non Syriacè, non Armenicè, non Kopticè cum Eutychianâ loquitur ſectâ. Catholica autem Eccleſia omnium prorſus ſectarum, omniumque fermè gentium loquitur linguas: paucaſque barbaras, quas adhuc non loquitur, ex Chriſti Domini oraculo, teſte Auguſtino, loquetur. Nulla communicat cum omnibus gentibus. Siquidem ceteræ omnes ſectæ cum nulla Catholica gente, ex omnibus atque plurimis, quas illa recenſet, communicant. Orientales, Occidentaleſque ſectæ nullo religionis, caritatis, nominis communi inter ſe vinculo copulantur. Ex Orientalibus Photiana, Neſtoriana, Eutychiana ſecta nulla inter ſe ſocietate conciliantur, conjunguntúrque. Nulla doctrinæ, rerumque ſacrarum conſenſio, aut communitas Socinianos inter, & Lutheranos, Calvinianos, Janſenianos, quæ occidentalium ſunt ſectæ, deprehenditur.

Quod autem magis mirum videri debet, Janſeniani, quos *breviſſimum fruſtum de majore* Calviniano *fruſto præciſum* dixeris voce Auguſtini Epiſt. 93. contra Vincentium Rogatiſtam cap. 8. num. 24. tom. 9., in quot minora adhuc fruſta minutatim conciſa abierunt? Ex hoc minore Janſenianofruſto, minutiora deinceps fruſtula præciſa ſunt, Queſnelliſtæ, Opponentes, Appellantes, Figuriſtæ, Anti-Figuriſtæ, Convulſionarii, Anti-Convulſionarii, Eliſiani, Auguſtiniſtæ, adverſis viribus, mutuiſque odiis, inter ſe digladiantes. Quare Janſenianæ ſectæ, quemadmodum Lutheranis, Calvinianis, aliiſque ſectis, illud per Galliam accidit, quod ſectæ Donatiſtarum per Africam, ex Auguſtino Lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 4. num. 9. tom. 9. *Multa fruſta de ipſo fruſto per totam Africam facta ſunt ... ut minutatim ſecti, conciſique diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis vinculo prætulerunt*. Eademque pœna, crimini maximè conſentanea, Deo vindice, de Janſeniſtarum inſtauratore Queſnellio hac noſtrâ ætate exigitur, quæ de Donato Donatiſtarum auctore Auguſtini ætate, fuit repetita, de quo Sanctus Doctor Lib. de Agone Chriſtiano cap. 29. num. 3. tom. 6. *Sicut Chriſtum dividere conatus eſt; ſic ipſe a ſuis quotidianâ conciſione dividitur*. Quæ cum ita ſint ex Sancto Auguſtino demonſtratum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam Catholicam eſſe, ſeu univerſalem; atque ita eſſe Catholicam, ut inter ceteras ſectas omnes, hac ſplendidiſſimâ veritatis notâ, exploratiſſimè, ac diſtinctiſſimè dignoſcatur.

XIX. Epiſt. 40. ad Honoratum Donatiſtam num. 2. tom. 2. *Apoſtolus Paulus .... in circumitu, per totam Aſiam uſque in Illyricum, Evangelium prædicavit. Eccleſias conſtituit, atque fundavit .... Quid autem evidentius apparere poteſt, quàm cum in ejus epiſtolis nomina etiam regionum, vel civitatum invenimus? Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes ſcribit. Joannes etiam ſcribit ad ſeptem Eccleſias, quas commemorat in illis partibus conſtitutas ..... Epheſos, Smyrnam, Sardos, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamum, Thyatyram.*

Qui-

Quibus omnibus Eccleſiis nos hodie communicare manifeſtum eſt, ſicut manifeſtum eſt, vos iſtis Eccleſiis non communicare.

XX. In Pſal. 44. num. 32. tom. 4. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. Genuerunt te Apoſtoli. Ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicaverunt, ipſi Patres. Sed numquid nobiſcum corporaliter eſſe ſemper potuerunt? .... Ergò illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. Quid eſt, Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodiè enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, undè nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergò te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit Paternitas. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram .... Hæc eſt Catholica Eccleſia: filii ejus conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram, filii ejus conſtituti ſunt pro Patribus. Agnoſcant qui præciſi ſunt, veniant ad unitatem, adducantur in templum regis. Templum ſuum Deus ubique collocavit: fundamenta Prophetarum, & Apoſtolorum ubique firmavit. Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro Patribus ſuis Principes ſuper omnem terram.*

XXI. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 51. num. 118. tom. 9. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Anaſtaſius ſedet; vel Eccleſiæ Jeroſolymitanæ in qua Jacobus ſedit, & in qua hodiè Johannes ſedet, quibus nos in Catholica caritate connectimur, & a quibus vos nefario furore ſeparaſtis. Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? ..... Hæc ſi cogitaretis non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam.*

XXII. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom 2. *Erat etiam tranſmarinis vicina regionibus, & famâ celeberrimâ nobilis* Carthago; *unde non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſcopum* Cæcilianum, *qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret, & Ro-*

Digitized by Google

manæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet, cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.

XXIII. Lib. contra Epiſt. Fundamenti cap. 4. num. 5. tom. 8. *In Catholica Eccleſia ..... multa ſunt, quæ in ejus gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.*

XXIV. In Pſal. contra partem Donati, propè finem, tom. 9. *Numerate ſacerdotes vel ab ipſá Petri ſede, & in ordine illo Patrum quis, cui ſucceſſit, videte: Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Jam verò Chriſti Domini Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, in eo ſitum, atque poſitum eſt, quòd Apoſtoli primi fuerint conditores Eccleſiæ: quod nonnullas Epiſcopales ſedes ipſi per ſe tenuerint, ut Petrus primùm Antiochenam, deinde Romanam, Jacobus Jeroſolymitanam, Epheſinam Johannes, Marcus Petri nomine Alexandrinam: quod plures Epiſcopos inſtituerint, illoſque Eccleſiis a ſe conſtitutis regendis, adminiſtrandiſque præfecerint: quod fidei, morumque doctrina, præceptis, inſtitutiſque ſuis conditam a ſe Eccleſiam firmaverint, atque erudiverint: quod Epiſcopi, per totam Eccleſiam diffuſi, Apoſtolorum ſint ſucceſſores, Apoſtolicæ doctrinæ, legum, ac diſciplinæ cuſtodes, vindices, atque aſſertores: quod Catholici Epiſcopi communi ejuſdem doctrinæ, & caritatis vinculo inter ſe conſtringantur omnes; præcipuè verò cum Romano Pontifice, Apoſtolicæ Cathedræ principatum tenente, quocum tamquam ſubjecta membra cum ſupremo univerſi corporis Epiſcopalis capite, & tamquam lineæ cum centro totius Catholicæ ſocietatis, ſimul conveniant, atque conſentiant. Hac igitur Apoſtolicæ Eccleſiæ notione propoſitâ ac definitâ, quod ad Apoſtolicam ſuam originem, quam ab Apoſtolis Chriſti Domini Eccleſia repetit, pertinet, Auguſtinus affirmat, Romanam ſedem tenuiſſe Petrum, Jeroſolymitanam Jacobum; plures conſtituiſſe Paulum Ec-

Digitized by Google

Eccleſias, non paucis Johannem; ſingulis præficiendo Epiſcopos ſingulos, qui vices Apoſtolorum gererent, Apoſtolicumque munus obirent. Hinc autem efficitur ex Sancto Doctore, ut, propter Epiſcoporum conſtantem atque perpetuam ab Apoſtolis ſucceſſionem, deſiderio Petri vel Pauli, quibuſcum præclarè actum eſt, quod ad ſuperos evolaverint, non ſollicitetur Eccleſia, cum eos adhuc ſuperſtites in Epiſcopis ſucceſſoribus intueatur. Exploratiſſimum autem eſt argumentum apud Sanctum Doctorem, quod ea, quam ætate ſuâ habebat, Apoſtolica fuerit, ac proindè vera Chriſti Domini Eccleſia, perpetua ſeries Romanorum Pontificum, quos a Petro ad ſuperſtitem uſque tunc temporis Anaſtaſium ipſe recenſet, quo argumento fretus atque munitus, juſtiſſimè ſe teneri in Eccleſiæ Catholicæ gremio profitetur: Et è contrario Donatianos, utpote qui cum Romana Eccleſia, ex Petri ſucceſſione Apoſtolica atque Primaria, minimè communicabant, è Catholicæ Eccleſiæ ſinu avulſos omnino eſſe, atque præciſos, validiſſimâ ſane ratione demonſtrat.

His ita propoſitis, expoſitiſque, ſi comparatio cujuslibet alterius ſectæ cum Apoſtolica, quam habemus, Eccleſia inſtituatur, nulla, quæ ab Eccleſia Romana ſejuncta ſit, Apoſtolicæ Eccleſiæ perſonam præſeferre poſſe perſpicuè cognoſcitur. Exemplum eſto in Lutheranâ ſectâ, cujus profectò origo non eſt ab Apoſtolis, ſed ab apoſtata, terque apoſtata, a Religione, ab Ordine, à Fide, ideſt, à Luthero. Quemadmodum enim Epocha Eccleſiæ Apoſtolicæ Catholicorum jure repetitur ab illapſu Spiritus-Sancti in homines Apoſtolicos; ita è contrario Epocha ſynagogæ apoſtaticæ Lutheranorum repetenda eſt ab illapſu ſpiritûs omnium nequiſſimi in hominem apoſtaticum. Lutheranæ ſectæ paſtores non ſunt ab Apoſtolis, ſed ab apoſtata, ſine legitima inſtitutione, legatione, juriſdictione, ſine perpetua, conſtantique ab Apoſtolis ſucceſſione, quibus præſidiis, inſignibuſque prorſus vacant, ac ſunt deſtituti. Lutheranæ ſectæ doctrina non eſt Apoſtolica, ſed apoſtatica; jam pridem ab Eccleſiâ quæ tunc temporis, ex Novatorum etiam ſententiâ, fuit Apoſtolicâ, in antiquioribus hæreticis reprobata, videlicet

cet in Manichæis, Aërianis, Aëtianis, Donatianis, Priſcillianiſtis, Jovinianiſtis, quorum damnati errores ad unguem reſpondent erroribus, qui a Sede Apoſtolicâ, a Tridentino, ab univerſa Eccleſia in Luthero, & in Calvino, Janſenio, Queſnellio iterum iterumque proſcripti ſunt. Similiter impia Socinii dogmata ipſiſſimi errores ſunt Arii, Eunomii, Macedonii, quos jamdiu Apoſtolica Eccleſia in Nicæna, & Conſtantinopolitana I. Synodo profligavit. Locupletiſſimus teſtis in promptu eſt Auguſtinus, plurimis præclariſſimiſque ſuorum operum locis, præcipuè verò Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum tom.8., ubi recenſiti veterum hæreticorum errores ſimiles adeò apparent erroribus noſtrorum hæreticorum, ut ovum ovo non ſit ſimilius. Lutherana ſecta, quemadmodum & ceteræ ſectæ, cum nullâ ex Eccleſiis omnibus, quæ ſuam originem ab Apoſtolis repetunt, multòque minus cum Romana ſede, IN QUA, teſte Auguſtino, APOSTOLICÆ CATHEDRÆ SEMPER VIGUIT PRINCIPATUS, communicat: quinimo Donatiſtarum ſectam, quorum inſaniſſimos impudentiſſimoſque clamores Auguſtinus coercet atque perſtringit, imitata, Romanam Cathedram, *Peſtilentiæ Cathedram* cum Donatianis per ſummam impudentiam, ſummamque contumeliam appellat. At vero Auguſtinus, ex eo præcipue demonſtrat Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum ad veram Chriſti Eccleſiam pertinere, quòd Romanæ Eccleſiæ, IN QUA SEMPER (nec piget repetere) APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGUIT PRINCIPATUS, per communicatorias litteras eſſet conjunctus: Et è contrario, ex eo potiſſimum Donatianos ab verâ Chriſti Eccleſia docet eſſe ſejunctos, quòd a Romana Cathedra, quam Petrus, Romanique Epiſcopi ſucceſſores Petri, conſtanti perpetuaque ſerie tenuerunt, & quacum ceteræ Eccleſiæ Catholica caritate copulabantur, nefario ſcelere ſe ſe ſeparaverint. Quamobrem cum Sancto Auguſtino concludendum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam eſſe Apoſtolicam: Ceteras autem ſectas, ab ea deficiendo, abjectis Apoſtolicitatis inſignibus, Apoſtolicæ Eccleſiæ perſonam exuiſſe.

XXV. Sanctus Innocentius I. Romanus Pontifex Carthaginenſis Concilii Patribus ſexaginta octo, confirmans ſententiam ab

Digitized by Google

ab illis latam adverſus Pelagianos Epiſt. 181. ſcripta ineunte anno 417. num. 1. tom. 2. *In requirendis de his rebus, quas omni cum ſollicitudine decet a ſacerdotibus, maximèque a vero juſtoque & Catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quàm ante cùm pronuntiaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cùm omnes hoc loco poſiti ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus & tota auctoritas nominis hujus emerſit. Quem ſequentes, tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda. Vel id verò, quòd Patrum inſtituta, ſacerdotali cuſtodientes officio, non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divinâ decrevere ſententiâ, ut quidquid, quamvis in disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret: ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur; indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ (velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid præciperent, quos abluerent, quos velut cœno inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.*

XXVI. Sanctus Innocentius I. Romanus Pontifex Milevitani Concilii Patribus, qui recenſentur ſexaginta & unus, quos inter & Auguſtinus, confirmans Concil. acta adverſus Pelagianos Epiſt. 182. ſcripta anno 417. num. 2. tom. 2. *Diligenter ergò, & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana (honoris inquam illius, quem, præter illa quæ ſunt extrinſecùs, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum) ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Verum hæc miſſa facio, neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam; qui id enim actione firmaſtis, niſi ſcientes, quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanant? Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis,*

&

& honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cùm inventores malorum, ad duplicis relationem ſynodi, ſententiæ noſtræ ſtatutis, viderint ab Eccleſiaſtica communione ſejunctos.

Ex iis, quæ in duplici Epiſtola Sancti Innocentii I. ad Patres Carthaginenſes, & Milevitanos excerpſimus, habemus Sanctum Innocentium laudare Patres Concilii Carthaginenſis, quòd Romanam Eccleſiam conſuluerint, atque ad ultimum ejus judicium cauſſam integram Pelagianam in Carthaginenſi Concilio agitatam atque diſcuſſam, retulerint, ac reſervaverint, quodque ab ultimâ ferenda ſententia, ut fas erat, ſe continuerint, quam a Romana Eccleſia pronuntiandam, atque expectandam eſſe optimè noverant. Ob hanc legitimam agendi rationem cum Eccleſia Romana, a Patribus Carthaginenſibus initam atque ſuſceptam, Innocentius definit atque declarat, eos hæc præſtando, antiquæ traditionis exempla eſſe ſecutos, memores diſciplinæ eccleſiaſticæ ſe demonſtraſſe, veterum Patrum placitis atque decretis, quæ non ab humana, ſed a Divina repetuntur inſtitutione, ex ſacerdotali ſibi demandato munere obtemperaſſe, ut quidquid, quamvis in disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius abſolvendum judicarent, quam ad notitiam Romanæ Eccleſiæ perveniret. Etenim ex antiqua traditione, ex veteri diſciplina, ex decretis inſtitutiſque antiquorum Patrum, quæ non humano, ſed divino jure nituntur, teſte Innocentio accepimus, quod ab Eccleſia Romana epiſcopatus ipſe, & tota auctoritas nominis epiſcopalis emerſit; quod Romana Eccleſia tam mala damnare novit, quàm probare laudanda; quod Eccleſia Romana primus, purus, atque communis fons eſt divinitûs conſtitutus, ex quo ſinceri doctrinæ incorruptæ latices in omnes, & ſingulas mundi totius Eccleſias, quæ a Romano fonte Apoſtolicam petunt doctrinam, manant, & effluunt. Similia ſuperioribus Innocentius repetit, reſcribens Patribus Concilii Milevitani, additque, quod Romanam Eccleſiam ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ex qua, tamquam ex Apoſtolico fon-

fonte, per omnes provincias reſponſa petentibus ſemper emanant; ac proindè, quod Epiſcopi omnes totius Catholicæ Eccleſiæ ad Petrum, in Romana Eccleſia adhuc ſuperſtitem, epiſcopalis nominis atque honoris auctorem, quidquid ad Eccleſiæ doctrinam, regimen, & diſciplinam pertinet, quod ultimâ Romanæ Eccleſiæ ſententiâ definitum per totum mundum ceteris Eccleſiis omnibus poſſit in commune prodeſſe, ex injunctâ ſibi paſtoralis muneris curâ debent referre. Ex his autem ſponte ſua ſtatim emergit, quod ſingulæ omnes Eccleſiæ cum Romanâ Eccleſiâ, *quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra*, ut loquitur Tridentinum ſeſ. 7. de Baptiſmo can. 3. fide, caritate, atque obedientia copulentur: quodque in profeſſione Apoſtolicæ doctrinæ, atque in uſu Eccleſiaſticæ diſciplinæ cum Romanâ Eccleſiâ tum docente, tum præcipiente, uti facto opus eſt, conſpirent omnes, atque conſentiant. In hac autem conſociatione ſitum atque poſitum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam eſſe Romanam; atque ex contrariâ ratione ceteras omnes ſectas ad Romanam Eccleſiam, adeoque ad veram Chriſti Domini Eccleſiam minimè pertinere, legitima conſecutione deducitur.

Dicet fortaſſe aliquis, ſuperiores ſententias non eſſe Hipponenſis Auguſtini, ſed Innocentii Romani, qui dignitatis auctoritatiſque ſuæ ſupra ceteras omnes Eccleſias præſtantiam, veluti ſingularem ultra præſcriptos fines protulerit. Et ſanè viri clariſſimi in Præfatione ad tomum decimum operum Sancti Auguſtini, quæ ſunt Antwerpiæ recuſa, num. XIII. pag. 18. in fine, Sanctum Innocentium I., quaſi extra modum magnifica auctoritatis ſuæ prædicatione prodeuntem, his nobis exhibent verbis: *Utrumque Concilium*, inquiunt, *eo præſertim nomine honorificentiſſimè prædicat Innocentius, quòd Apoſtolicam Sedem conſuluiſſent; cujus non parum extollit dignitatem, auctoritatemque*. Sed pace eorum dixerim: Si Sanctus Innocentius Romanus indebitam ſibi arrogaſſet ſupra Epiſcopos ceteros dignitatem, auctoritatemque, profectò Auguſtinus, ceterique Africani Patres, in re dogmaticâ, tantique in regimine Eccleſiæ momenti, uti facto opus fuiſſet, protinus reclamaſſent. Neque enim ſuſpicari fas eſt, quod timor, vel ambitio,

vel reverentia, vel adulatio, ſimileſve humanæ rationes Auguſtini, Africanorumque Patrum conſtantiam, ac fortitudinem fregerint, juſtoſque illorum clamores cohibuerint atque compreſſerint. Quis enim tantam ignaviam, tantumque dedecus in Auguſtinum, Africanoſque Patres cadere potuiſſe temerè ſuſpicetur? Jam verò tantum abeſt, ut Auguſtinus, ceterique Concilii utriuſque Patres adverſus Sancti Innocentii reſcripta reclamaverint, ut potius conceptiſſimis verbis decretales illas epiſtolas, in iis etiam, quæ Apoſtolicæ ſedis decus atque præſtantiam attingunt, probaverint, laudaverintque. Et revera Alypius, & Auguſtinus Epiſt. 186. ad Paulinum Nolanum Epiſcopum, quem de Pelagianâ cauſsâ certiorem faciunt, ſcripta circa medium an. 417. cap. 1. num. 2. tom. 2., Innocentii I. reſcripta plena debitæ dignitatis, qualem Apoſtolicæ ſedis decebat Antiſtitem, ad ſe perveniſſe teſtantur, *Miſſæ ſunt*, inquiunt, *de hac re ex duobus Conciliis Carthaginenſi, & Milevitano relationes ad Apoſtolicam ſedem, antequam Geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos Provinciæ Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsâ cauſsâ aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem.* Et Lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 4. num. 13. tom. 10. Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qua Innocentius Romanus inter ceteros Græcos, Latinoſque Patres loco prior atque ſublimior confidens, duplici datâ Epiſtolâ ad Africana Concilia, Pelagianam hæreſim jugulavit, his verbis Sanctus Auguſtinus commendat. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanis reſpondere conciliis, niſi quod antiquitûs Apoſtolica ſedes & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia? .... Sancto Innocentio vide quid reſpondeas, qui nihil aliud de hac re ſapit, quam*

quod

Digitized by Google

quod iſti, (Antiquiores tum Græci, tum Latini Patres) *in quorum te conventum, ſi tamen prodeſt aliquid, introduxi. Cum his etiam ipſe conſidet Innocentius, etſi poſterior tempore, Prior loco.*

At non ſolus Alypius cum Auguſtino, neque ſoli Carthaginenſes Patres, atque Milevitani, aſſertam ab Innocentio I. Romanæ Eccleſiæ præſtantiam ſingularem, ratione cujus ceteræ omnes Eccleſiæ communem cum Romana Eccleſia conciliationem ac ſocietatem, nec non communem reſpectu ejuſdem ſubmiſſionem atque obedientiam colere, tueri, atque ſervare debent, partim expreſſa, partim tacita conſenſione probarunt; verum etiam omnes fermè totius Eccleſiæ Africanæ Patres, duobus, & eo amplius a conſignatâ Innocentii duplici epiſtola ſæculis jam elapſis, Romanæ Eccleſiæ dignitatem auctoritatemque, iiſdem prorſus conceptiſſimis verbis, quibus uſus fuit Innocentius, aſſeruerunt. Extat hac de re præclariſſimum monumentum tom. VII. Conc. edit. Venet. an. 1728. pag. 131. ex Epiſtola trium Africæ Conciliorum Numidiæ, Byzaceni, & Mauritaniæ decerptum, ad Theodorum Papam datâ an. 649. in cauſſa Monothelitarum, quæ recitata fuit ſeſſione, ſeu ſecretario ſecundo Concilii Lateranenſis ſub Martino I. Summo Pontifice, ubi ſingula Patrum Africanorum verba ſingulis fermè Innocentii verbis adamuſſim reſpondent; quod collatione facta, & inita comparatione patebit. Ita ergò ſe habet: *Magnum*, inquiunt, *& indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter, univerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum; cui etiam in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis de his rebus, quæ omnino ac ſollicitè debent, maximè verò juſtèque ab ipſo Præſulum examinari Vertice Apoſtolico, cujus vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid, quamvis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juſta quæ fuiſſet pronuntiatio*

tio firmaretur ; indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte, prædicationis exordium, ut per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manent fidei ſacramenta ſalutis. Quæ cum ita ſint meridianâ luce ſplendidius oſtenditur Auguſtini, Alypii, omniumque Africanorum Patrum prolatam ſententiam de ſingulari dignitatis auctoritatiſque præſtantiâ, qua Romana Eccleſia Eccleſiis ceteris antecellit, eandem prorſus eſſe cum propoſita ac definita a Sancto Innocentio I. ſententia, quam ex Innocentianis Epiſtolis 181. & 182. ad Africanos, Milevitanoſque Patres ſupra retulimus, quibus luculentiſſimè oſtenditur, veram Chriſti Domini Eccleſiam eſſe Romanam, quæ poſtrema eſt Eccleſiæ veræ nota, quam ſuprâ demonſtrandam ſuſcepimus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Credimus & ſanctam Eccleſiam, utique Catholicam. Nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant; ſed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant: ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna caritate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum: nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum.* (b) *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt; expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.* (c) *Quæcumque congregatio cujuslibet hæreſis in angulis ſedet. Concubina eſt, non Matrona. Cognoſcatur una, ſancta, & vera Regina Catholica, cui regnum Chriſtus tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula, & ruga purgans, totam pulchram ſuo adventu præparavit.* (d) *Sanctam* igitur *Eccleſiam matrem veſtram, tamquam ſupernam Jeruſalem, ſanctam civitatem Dei, honorate, diligite, prædicate. Ipſa eſt, quæ in hac fide, quam au-*

Digitized by Google

audiſtis, fructificat, & creſcit in univerſum mundum, Eccleſia Dei *vivi, columna, & firmamentum veritatis, quæ malos in fine ſeparandos, a quibus interim diſcedit diſparilitate morum, tolerat in communione ſacramentorum*. (e) Nec alia ratione *exhibet ſibi glorioſam Eccleſiam Dominus, non habentem maculam, aut rugam*. (f) *Quare ubicumque in libris* de Baptiſmo *commemoravi Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit; ſed quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet undè quotidie tota dicat, Dimitte nobis debita noſtra*. (g) De hac Cyprianus, *Eccleſia, inquit, Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fæcunditatis ſucceſſibus copioſa. Per orbem totum dicit, & per univerſam terram porrigi extendique catholicam, græco ejus nomini, ac definitioni conſentiens*. (h) Hac de cauſſa *quadripartita veſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, toto ſcilicet, qui quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam, & omnibus eiſdem partibus æqualiter, ideſt, concorditer diſtributam. Propter quod alibi dicit, miſſurum ſe Angelos ſuos, ut colligant electos ejus a quatuor ventis: quod, quid eſt niſi a quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie? Tunica verò illa ſortita partium ſignificat unitatem, quæ caritatis vinculo continetur. Undè & hìc cum dixiſſet, deſuper contexta, addidit, per totum: quod ſi referamus ad id, quod ſignificat, nemo ejus eſt expers, qui pertinere invenitur ad totum, a quo toto, ſicut græca indicat lingua, Catholica vocatur Eccleſia*. (i) Hinc *totum corpus Chriſti*, quod eſt Eccleſia, *loquitur omnium linguis, & quibus nondum loquitur, loquetur. Creſcet enim Eccleſia, donec occupet omnium linguas. Si corpus Chriſti jam omnium linguis loquitur, & ego in omnibus linguis ſum, mea eſt Græca, mea*

eſt

Digitized by Google

eſt Syra, mea eſt Hebræa, mea eſt omnium gentium, quia in unitate ſum omnium gentium. (k) Sic autem per omnes gentes condita fuit Eccleſia: Nam *Apoſtolus Paulus in circumitu, per totam Aſiam uſque in Illyricum, Evangelium prædicavit. Eccleſias conſtituit atque fundavit. Quid autem evidentius apparere poteſt, quàm cum in ejus Epiſtolis nomina etiam regionum, vel civitatum invenimus? Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes ſcribit. Joannes etiam ſcribit ad ſeptem Eccleſias, quas commemorat in illis partibus conſtitutas, Epheſos, Smyrnam, Sardos, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamum, Thyatiram. Quibus omnibus Eccleſiis nos hodie communicare manifeſtum eſt, ſicut manifeſtum eſt vos* Donatiſtas *iſtis Eccleſiis non communicare*. (l) Eccleſiæ autem ab Apoſtolis conditæ dicitur, *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. Genuerunt te Apoſtoli. Ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicaverunt, ipſi Patres. Sed numquid nobiſcum corporaliter ſemper eſſe potuerunt? Ergò illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. Quid eſt pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli: Pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodiè enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, undè nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergò te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit Paternitas. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Hæc eſt Catholica Eccleſia: Filii ejus conſtituti ſunt Principes ſuper omnem terram: Filii ejus conſtituti ſunt pro Patribus. Agnoſcant, qui præciſi ſunt, veniant ad unitatem, adducantur in templum Regis. Templum ſuum Deus ubique collocavit: Fundamenta Prophetarum, & Apoſtolorum ubique firmavit. Filios genuit Eccleſia: Conſtituit eos pro Patribus tuis Principes ſuper omnem terram*. (m) Hac de cauſſa *in Catholicæ Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè tenet, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſen-*

ſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. (n) *Numerate* enim *ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede; & in ordine illo Patrum quis, cui ſucceſſit; videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. (o) *Cathedra* ergò *tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, in qua Jacobus ſedit, & in qua hodiè Johannes ſedet, quibus nos in Catholica caritate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam*. (p) Hinc *poterat non curare conſpirantem multitudinem inimicorum* Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis, *cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur*. Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Lib. de Fide, & Symbolo cap. 10. num. 21. tom. *6*. (*b*) De Symb. ad Cathec. ſerm. 1. cap. *6*. num. 14. tom. *6*. (*c*) De Symb. ad Cathec. Serm. 4. cap. 13. num. 13. tom. *6*. (*d*) Serm. 214. in traditione Symboli num. 11. tom. *5*. (*e*) Serm. 181. cap. *5*. num. 7. tom. *5*. (*f*) Lib. 2. Retract. cap. 18. tom. 1. (*g*) Lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. num. 2. tom. *9*. (*h*) Tract. 118. in Johan. num. 4. tom. 3. (*i*) In Pſal. 147. num. 19. in fine tom. 4. (*k*) Epiſt. 40. ad Honoratum Donatiſtam num. 2. tom. 2. (*l*) In Pſal. 44. num. 32. tom. 4. (*m*) Lib. contra Epiſt. Fundamenti. cap. 4. num. *5*. tom. 8. (*n*) In Pſal. contra partem Donati prope finem (*o*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 51. num. 118. tom. *9*. (*p*) Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom. 2.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Utrum ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Eccleſia ſit in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicua?

Videtur, quod ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Eccleſia non ſit in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicua. Cum enim ex Sancto Doctore Eccleſiæ corpus totum coaleſcat, vel ex ſolis juſtis, vel ex ſolis prædeſtinatis, qui oculis intuentium ſunt inconſpicui, ex hoc veluti fonte illud emanare videtur, quod hujuſmodi Eccleſia non ſit in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicua. Illud autem primum, unde hoc derivatur extremum, præter ea, quæ ex Sancto Doctore articulo 3. & 4. recitata ſunt, ita ex Sancto Auguſtino acatholici adeptos ſe eſſe arbitrantur.

I. Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 32. num. 45. tom. 3. *Secunda regula Tichonii eſt: De Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari; non enim revera Domini corpus eſt, quod cum illo non erit in æternum: ſed dicendum fuit, de Domini corpore vero, atque permixto: aut vero, atque ſimulato, vel quid aliud, quia non ſolum in æternum, verum etiam nunc hypocritæ non cum illo eſſe dicendi ſunt, quamvis in ejus eſſe videantur Eccleſia. Unde poterat iſta regula & ſic appellari, ut diceretur, de permixtâ Eccleſiâ.*

II. Eodem Lib. cap. 37. num. 55. tom. 3. *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, quod eſt corpus ejus, futurum cum illo in regno, & gloriâ ſempiternâ.*

III. Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 10. num. 16. tom. 9. *Nunc ergò quæritur, quomodo poterant homines ex parte diaboli pertinere ad Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, de qua dictum eſt: Una eſt columba mea. Quod ſi non poſſunt, manifeſtum eſt, eam inter alienos gemere, & intrinſecùs inſidiantes, & extrinſecùs oblatrantes.*

IV. Epiſt. 199. ad Heſychium de fine ſæculi cap. 1. num. 3.

tom. 2.

Digitized by Google

tom. 2. *Quibus enim omnibus dicit, Vigilate, niſi electis, & dilectis ſuis, ad corpus ejus pertinentibus, quod eſt Eccleſia?*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex Sancto Auguſtino, veram Chriſti Eccleſiam eſſe in ſuo corpore omnium oculis intuentium conſpicuam. Id autem ex plurimis, atque illuſtrioribus Sancti Doctoris ſententiis, ſatis idoneis & aptis ad dogma hujuſmodi confirmandum, quarum hìc ſeriem ſubjicimus, ſic demonſtratur.

I. Lib. 1. Quæſtionum Evangeliorum quæſt. 38. part. 2. tom. 3. *Convenienter Eccleſiam Dominus fulgur nominavit, quod maxime ſolet emicare de nubibus. Conſtitutâ ergò auctoritate Eccleſiæ per orbem terrarum clara atque manifeſta, conſequenter diſcipulos admonet, atque omnes fideles, & qui in eum credere voluerint, ne ſchimaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim ſchiſma, & unaquæque hæreſis, aut locum ſuum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obſcuris atque occultis conventiculis curioſitatem hominum decipit. Quò pertinet, quod ait, Si quis vobis dixerit, Ecce hìc eſt Chriſtus, aut illìc, quod ſignificat terrarum partes, aut provinciarum: Aut in penetralibus, aut in deſerto, quod ſignificat obſcura, & occulta conventicula hæreticorum. Quod ergò dixit, Ab oriente in occidentem perventurum adventum ſuum, contra illos valet qui per terrarum particulas nominantur, & dicunt, apud ſe eſſe Chriſtum. Quod autem ait, Sicut fulgur, contra illos valet, qui occultè congregant, tamquam in penetralibus, & paucos tamquam in deſerto. Ad manifeſtationem quippe, claritatemque pertinet Eccleſiæ fulguris nomen, ſignificans etiam noctem, vel nubila ſæculi hujus; tunc enim fulguris candor apparet.*

II. Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 28. tom. 2. *Ipſa eſt Eccleſia, quæ dicit Sponſo ſuo, Ubi paſcis, ubi cubas in meridie, ne forte fiam ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum. Id eſt, quod alibi dicitur, Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in ſapientia; in quibus luce fulgenti-*

bus, *&* *caritate ferventibus*, *quaſi in meridie requieſcis*: *Ne forte velut operta*, *id eſt*, *occulta & ignota irruam*, *non in gregem tuum*, *ſed in greges ſodalium tuorum*, *id eſt*, *hæreticorum*. Itaque ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Eccleſia inſtar eſt fulguris, quod è nubibus emicat. Nomen autem fulguris aptè & convenienter Chriſtus Dominus impoſuit Eccleſiæ ſuæ, quo ſignificaret futuram ejus claritatem, atque ſplendorem. Etenim ex Sancto Doctore vera Chriſti Eccleſia, veluti fulgur, obſcura nocte, cæloque nubilo labentis ſæculi fulget: cujus auctoritas, jamdiu conſtans & confirmata, toto terrarum orbe, ab oriente ad occidentem uſque, in clariſſima luce verſatur. Neque enim Chriſti Eccleſia occulta eſt & ignota, quemadmodum hæreticorum ſectæ, quæ vel obſcura & occulta agunt ſua conventicula, vel ſiquæ publica profeſſione ſe produnt, non toto terrarum orbe, ut Catholica Eccleſia, quæ ubique nitidiſſima coruſcat luce, ſed anguſtis quibuſdam terræ ſpatiis concluſæ, ſub luce quadam malignâ, ſe ſe exhibent ac manifeſtant. Quamobrem ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Eccleſia eſt omnium oculis intuentium conſpicua; ceteræ autem hæreticorum ſectæ hac præclariſſimâ veritatis notâ vacant omnino.

III. In Pſal. 18. Enar. 2. num. 6. tom. 4. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, *in manifeſtatione Eccleſiam ſuam*, *non in occulto*, *non quæ lateat*, *non velut opertam*; *ne forte fiat ſicut operta ſuper greges hæreticorum*.

IV. Epiſt. 105. ad Donatiſtas cap. 4. num. 14. tom. 2. *Ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita*, *hoc eſt*, *in manifeſtatione*, *omnibus nota uſque ad terminos terræ*.

V. Lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. num. 46. tom. 3. *Jam in ſole*, *hoc eſt*, *in manifeſtatione poſuit tabernaculum ſuum*, *quod eſt Eccleſia ipſius*.

VI. Tract. 2. in Epiſt. Johan. num. 3. tom. 3. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, *id eſt*, *in manifeſto*: *Tabernaculum ejus*, *caro ejus*: *Tabernaculum ejus*, *Eccleſia ejus*: *In ſole poſita eſt*, *non eſt in nocte*, *ſed in die*. Superioribus locis explicans Auguſtinus verſiculum illum Pſalmi 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, Davidicum hoc vaticinium de vera Chriſti Domini Eccleſia.

cleſia interpretatur, quam ſolis inſtar omnibus conſpiciendam ſe ſe præbere demonſtrat. Quemadmodum enim ſol ex Sancto Doctore, luce ſplendidiſſimâ circumfuſus, ab orbe condito ad extremum uſque mundi deficientis interitum, quaqua verſum, perpetuo atque conſtanter radios ſuos diffundere nec ceſſat unquam, neque futurum eſt ut deſinat, ac proindè mortalium omnium oculis ſit ſemper, & ubique conſpicuus; ita ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Domini Eccleſia nemini occulta latet, nulli eſt inconſpicua & ignota, ſed ubique gentium, atque locorum notiſſima fuit ſemper omnibus, atque maxime manifeſta, quippe quæ perpetua, conſtanti, copioſiſſimâque luminis effuſione, a prima ſui origine ad extremum uſque labentis temporis finem, in oculos intuentium illicò incurrit, claràque in luce refulgens, cunctis mortalibus ſe ſe ultrò exhibet cognoſcendam. E contrario, ſi comparatio Eccleſiæ cum ceteris hæreticorum ſectis inſtituatur, non Solis, ſed cometarum inſtar ſectas hæreticorum ardere perſpicuum eſt. Quandoquidem ſectæ omnes, non ſecus atque diri cometæ, ex improviſo apparent, evaneſcunt paulatim, & quouſque durant, tetro atque minaci quodam ſublucent lumine. Quocirca ex Sancto Auguſtino efficitur, veram Chriſti Eccleſiam omnium intuentium oculis eſſe conſpicuam; ceteras autem hæreticorum ſectas hac ſplendidiſſima differentia, ipſomet oculorum judicio, a verâ Chriſti Eccleſiâ maximè diſcrepare.

VII. Tract. 2. in Epiſt. Jo. num. 2. tom. 3. *Nemo dubitet de Eccleſia; quia per omnes gentes eſt: nemo dubitet; quia ab Jeruſalem cœpit, & omnes gentes implevit: Agnoſcimus agrum; cum autem creverit, non agnoſcimus; quia totum occupavit. Unde cœpit? ab Jeruſalem. Quò pervenit? ad omnes gentes: Paucæ remanſerunt: omnes tenebit ..... Audit ſtultus, & vanus, & quid amplius dicturus ſum, quàm cæcus, qui tam magnum montem non videt, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudit?*

VIII. Tract. 1. in Epiſt. Jo. num. 13. tom. 3. *Numquid ſic oſtendimus Eccleſiam fratres mei? nonne aperta eſt? nonne manifeſta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur, quod ante*

tot annos promiſſum eſt Abrahæ, in ſemine ejus benedici omnes gentes? Uni fideli promiſſum eſt, & millibus fidelium mundus impletus eſt. Ecce mons implens univerſam faciem terræ: Ecce civitas, de qua dictum eſt, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta..... Iſaias heſterna die lectus eſt.... Erit in noviſſimis diebus manifeſtus mons Domus Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifeſtum quam mons? Sed & ſunt montes ignoti, quia in una parte terrarum poſiti ſunt.... Ille autem mons non ſic, quia implevit univerſam faciem terræ, & de illo dicitur, Paratus in cacumine montium: Mons eſt ſuper cacumina omnium montium.

IX. In Pſal 57. num. 9. tom. 4. *Ubi enim latet Eccleſia Chriſti? ubi latet veritas Chriſti? nonne ipſe eſt mons, qui crevit ex minimo lapide, & implevit univerſam faciem terræ? Convincuntur hic: non habent quod dicant contra Eccleſiam.*

X. Serm. 37. cap. 2. num. 2. tom. 5. *Nonne ipſa eſt civitas in monte, quæ abſcondi non poteſt? Quare ergò dictum eſt, Quis inveniet? Cum dici debuerit, Quis non inveniet. Sed tu civitatem in monte poſitam vides; ut autem in monte poneretur, inventa eſt, quæ perierat. Quando illuſtrata eſt, quis eam non videt? Quando latebat, quis eam inveniret? Ipſa enim civitas eſt, & una illa ovis, quam perditam quæſivit Paſtor, & inventam gaudens in humeris reportavit. Ipſe Paſtor mons eſt; ovis autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile eſt, ut videas eam collocatam in monte..... Mulierem iſtam tam fortem quis non videt? Sed jam inventam, jam eminentem, jam conſpicuam, jam glorioſam, jam ornatam, jam lucidam, jam, ut citò explicem, toto terrarum orbe diffuſam.*

XI. Serm. 338. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Univerſæ ubique diffuſæ Eccleſiæ dicitur, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. Erit, inquit, in noviſſimis temporibus manifeſtus mons domûs Domini, paratus in cacumine montium. Ipſe eſt mons, qui ex parvo lapide crevit, & totum orbem creſcendo implevit. In illo ædificatur Eccleſia, quæ abſcondi non poteſt.* Multa ſunt, quæ ad demonſtrandam nitidiſſimam Eccleſiæ Catholicæ claritatem S. Auguſtinus, ſententiis ſupra delectis, cumulatè atque copio-

copioſè congerit, quorum ſummam brevius contractam hìc exhibemus. Vera Chriſti Domini Eccleſia ex Sancto Auguſtino Evangelica illa lucerna eſt, in candelabro poſita, quæ ſplendore ſuo omnibus lucet: Evangelica illa civitas eſt, ſupra eminentem montem ædificata, quæ ignota eſſe non poteſt: Mons magnus ille eſt, qui, ex teſtimonio Danielis, de minimo crevit lapide, atque univerſam terræ faciem implevit: Mons Domûs Domini eſt, ex Iſaiæ vaticinio, omnibus manifeſtus, utpote qui ex ſublimiori ceterorum montium cacumine ſublimiſſimus omnium attollitur. Ex his autem, atque ſimilibus vaticiniis Sanctus Auguſtinus deducit, veram Chriſti Domini Eccleſiam apertam rem eſſe, ac manifeſtam, eminentem, conſpicuam, glorioſam, ornatam, lucidam, totoque terrarum orbe diffuſam. Hinc ex Sancto Doctore fieri non poteſt, ut alicubi lateat vera Chriſti Domini Eccleſia, ut ſit ignota, abdita, occulta, ut quis fortè eam non inveniat, non videat, niſi vel cæcus omnino fuerit, vel potius, quod ad veritatem magis accedit, niſi ex induſtria, & data opera, in conſpectu nitidiſſimæ lucis, oculos clauſerit. Jam vero ceteræ hæreticorum ſectæ ſi coram ſplendidiſſima hac face, ſi contra hanc ſublimiſſimam civitatem, ſi in conſpectu excelſiſſimi, eminentiſſimique hujus montis conſtituantur, meridiana luce clarius apparet, ſectas omnes hæreticorum nihil aliud eſſe, quàm ignes fatuos, ſtellas cadentes, boreales neſcio quas auroras, obſcura quædam gurguſtia, remotas rupes, ignotoſque ſcopulos, quæ nulla originis antiquitate, nulla generis claritate, nulla perpetuitatis conſtantia, nulla dominii amplitudine clarent, illuſtranturque. Quare ex Sancto Auguſtino perſpectum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam in corpore ſuo omnium intuentium oculis eſſe conſpicuam; hujus autem clariſſimæ perſpicuitatis, quæ evidentiſſima veritatis eſt nota, ceteras omnes hæreticorum ſectas expertes eſſe.

XII. Lib. 13. contra Fauſtum cap. 13. tom. 8. *Eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, quæ omnibus eminet, & apparet. Ipſa enim eſt ſedes gloriæ, de qua dicit Apoſtolus, Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Unde iſte dicit, Sedes autem gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra. Propter hos enim motus par-*

vulo-

vulorum, qui poſſunt ſeduci ab hominibus, manifeſtationem claritatis Eccleſiæ Dominus quoque prævidens, ait, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta, quia utique Sedes gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra, ut non audiantur illi, qui ad religionum ſciſſuras traducunt, dicentes, Ecce hìc eſt Chriſtus: Ecce illìc. Partes enim oſtendunt, dicentes, Ecce hìc: Ecce illìc; cum illa civitas ſupra montem ſit, quem montem, niſi eum, qui ſecundùm prophetiam Danielis, ex parvo lapide crevit, & factus eſt mons magnus, ita ut impleret univerſam terram? Nec illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecretæ, & apocriphæ veritatis, & hominum paucitatis, dicunt, Ecce in cubiculis: Quia non poteſt abſcondi civitas ſuper montem conſtituta, quia Sedes gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra.

XIII. Lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani cap. 5. num. 28. tom. 9. *Nulla eſt igitur ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis Dei. Eccleſia declarata, quæ ſuper montem, ut dictum eſt, conſtituta, abſcondi non poteſt; & ideo neceſſe eſt, ut omnibus terrarum partibus nota ſit.*

XIV. Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 32. num. 79. tom. 9. *Hinc fit, ut Eccleſia vera neminem lateat. Unde eſt illud quod in Evangelio ipſe dicit, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta, ideoque in eodem Pſalmo connectitur, In ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſtatione.*

XV. Eodem Lib. cap. 104. num. 239. tom. 9. *Jam ros Hermon ſuper montes Sion quomodolibet abs te accipiatur, non eſtis in montibus Sion, quia non eſtis in civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quòd abſcondi non poteſt. Nota ergò eſt omnibus gentibus; pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergò ipſa.*

XVI. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 25. num. 72. tom. 9. *Non eſt obſcura quæſtio, in qua vos fallant, quos ipſe Dominus prædixit futuros, atque dicturos, Ecce hìc eſt Chriſtus, ecce illìc: Ecce in deſerto, quaſi ubi non eſt frequentia multitudinis: Ecce in cubiculis, quaſi in ſecretis traditionibus, atque doctrinis. Habetis Eccleſiam ubique diffundi, & creſcere uſque ad meſſem. Habetis civitatem, de qua ipſe, qui eam condidit,*

Digitized by Google

didit, *ait*, *Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta*. *Ipſa eſt ergò*, *quæ non in aliqua parte terrarum*, *ſed ubique notiſſima eſt*. Sanctus Auguſtinus, ſententiis ſupra commemoratis, opponit falſis hæreticorum ſectis veram Chriſti Domini Eccleſiam, quibuſcum initâ comparatione docet, hæreticorum ſectas res eſſe obſcuras, ignotas, occultas, latitantes: contra vero Chriſti Domini Eccleſiam rem eſſe maximè notam, manifeſtam, illuſtrem, atque conſpicuam. Illud Chriſti Domini monitum, atque oraculum de futuris falſis prophetis, qui Matth. cap. 24. prænuntiantur dicturi, *Ecce hìc eſt Chriſtus*, *aut illìc*: *Ecce in deſerto eſt*: *Ecce in penetralibus*. *Nolite credere*, de poſterioribus hæreticis exorituris pronuntiatum vult Auguſtinus, quorum mira paucitas, comparata cum innumerabili Eccleſiæ Catholicæ multitudine, verbis his prænuntiatur, *Ecce in deſerto*: quorum obſcura nomina, inſtituta, placita, conventicula, per ea verba indicantur, *Ecce in penetralibus*: quorum ſatis paucæ, & anguſtæ regiones, atque provinciæ, verbis illis ſignificantur, *Ecce hìc eſt Chriſtus*, *aut illìc*. His falſitatis notis, atque ſtigmatibus compunctam ſectarum frontem exhibet Sanctus Doctor, ut admonente nos Chriſto Domino per ea verba, *Nolite credere*, ab hæreticorum fraudibus cavere poſſimus. Veram autem Chriſti Domini Eccleſiam jam pridem prænuntiatam fuiſſe Auguſtinus affirmat, tum Davidico vaticinio Pſalmi 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, tum Chriſti Domini oraculo Matth. 5. *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Ex his autem præclariſſimis teſtimoniis, certiſſimâ, maximeque perſpicuâ conſecutione Auguſtinus deducit, veram Chriſti Domini Eccleſiam non in aliqua mundi parte, ſed ubique gentium, atque locorum eſſe notiſſimam: omnibus eminere, apparere, meridianâque clariorem luce ſplendeſcere. His autem veritatis illuſtratam inſignibus, atque notis, a ceteris obſcuris ignobilibuſque ſectis veram Chriſti Domini Eccleſiam internoſci, atque diſcerni Auguſtinus demonſtrat. Donatiſtas autem refellens Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 104. num. 239. tom. 9. hac inextricabili ratiocinatione ſic eos Auguſtinus devincit, *Non eſtis in*

civi-

civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quòd abſcondi non poteſt. Nota ergo eſt omnibus gentibus. Pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; Non eſt ergò ipſa. Eadem complexione ætatis noſtræ hæretici conſtringuntur, ex qua explicare ſe omninò non poſſunt, ſi argumentationem eandem, qua contra Donatiſtas uſus eſt Auguſtinus, adverſus hæreticos noſtros uſurpare velimus. Non eſtis o Sociniani, Zuingliani, Lutherani, Calviniani, Janſeniani, ceterique, qui in hæreticorum ſectis verſamini, non eſtis, inquam, in civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt. Nota ergò eſt omnibus gentibus: Pars autem Socinii, Zuinglii, Lutheri, Calvini, Janſenii, & ſic de ceteris, ignota eſt pluribus gentibus: Non eſt ergò vera Chriſti Domini Eccleſia.

Ad primum ergo dicendum, Sanctum Auguſtinum loco producto non uſurpare hanc formulam, *Corpus Chriſti*, quod eſt Eccleſia, in totâ ſua latitudine, quatenus complectitur membra ſana, & infirma; membra nobiliora, & ignobiliora, videlicet, fideles omnes, tum prædeſtinatos, tum reprobos; ſed magis limitatè & reſtrictè formulam illam uſurpat, ad ſignificanda ſola membra ſana, atque nobiliora, quæ ſunt pars præcipua corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, videlicet, ad ſignificandos omnes, & ſolos prædeſtinatos. Quod autem fideles reprobi, quos membra infirma Sanctus Doctor appellat, pertineant etiam ad Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, in tota ſua latitudine acceptum, patet ex Sermone 137. cap. 1. num. 1. tom. 5., ubi hæc habet, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui jam pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit, caput eſt Eccleſiæ, & eſt corpus ejus Eccleſia; & in ejus corpore unitas membrorum, & compago caritatis, tamquam ſanitas, exiſtit. Quicumque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Chriſti: Sed potens eſt ille, qui exaltavit caput noſtrum, etiam infirma membra ſanare; dum tamen non nimia impietate præcidantur, ſed hæreant corpori, donec ſanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non deſperatæ ſanitatis eſt; quod autem præciſum fuerit, nec curari, nec ſanari poteſt.* Profectò membra, quæ

Digitized by Google

quæ nimia impietate arida, aut putrida a corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, præciſa jacent, non ſunt niſi fideles vel propter hæreſes, vel propter ſchiſmata, vel propter teterrima quædam crimina, publicè atque notoriè excommunicati. Hos dumtaxat docet Auguſtinus ex baptizatis fidelibus, non pertinere amplius ad Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia; ac proindè non excludit Sanctus Doctor a corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, in tota ſua latitudine accepto, quoſcumque fideles reprobos, aut injuſtos. Præterea concedo, ſive juſtos, ſive prædeſtinatos fideles eſſe intuentium oculis inconſpicuos, ratione occultæ, & inconſpicuæ, ſive prædeſtinationis, ſive juſtitiæ: nego tamen intuentium oculis eſſe inconſpicuos, ratione exterioris, atque conſpicuæ communicationis, qua inter ſe palam, & manifeſtè conſociantur, tum communi ejuſdem fidei profeſſione, tum communi ſacramentorum eorundem participatione, tum communi primis Paſtoribus, præcipue verò Romano Pontifici, qui caput & centrum eſt totius Catholicæ ſocietatis, exhibitâ, præſtitâque obedientiâ, ac ſubjectione. His enim conſpicuis notiſſimiſque notionibus, quæ in hæreticorum ſectis deficiunt, conſtituitur ac continetur myſticum Chriſti Domini Corpus in oculos cujuſque intuentis incurrens, quod eſt conſpicua Chriſti Domini Eccleſia.

Ad ſecundum dicendum, loco producto Sanctum Auguſtinum non agere de Chriſti Corpore, quod eſt Eccleſia, quatenus complectitur fideles omnes, in ejuſdem veræ religionis externum conſpicuumque cultum inter ſe conſentientes; ſed quatenus continet atque concludit omnes, & ſolos prædeſtinatos, quibus ſempiterna Dei civitas continetur. Quemadmodum è contrario Sanctus Doctor eodem loco non loquitur de corpore diaboli, quod eſt ſuperſtitio, quatenus alvo ſua complectitur infideles omnes, in ejuſdem falſæ ſuperſtitionis publicum, atque ſolemnem cultum conſpirantes, ex quibus prædeſtinati nonnulli profectò ſunt, tempore ſuo à falsâ ſuperſtitione ad veram religionem traducendi, atque ex hac ad ſempiternam patriam tranſmittendi; ſed quatenus comprehendit omnes, & ſolos reprobos ſempiternam diaboli civitatem adituros, ſive intra, ſive extra veram Chriſti Domini Eccleſiam verſentur, at-

Digitized by Google

que contineantur. Expendens enim Sanctus Auguſtinus loco citato ſeptimam Tichonii cujuſdem Semi-Donatiſtæ regulam, ita diſſerit: *Septima Tichonii regula ea eſt, eademque poſtrema, de diabolo, & ejus corpore; eſt enim & ipſe caput impiorum, qui ſunt ejus quodammodo corpus, ituri cum illo in ſupplicium ignis æterni: Sicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, quod eſt corpus ejus, futurum cum illo in regno, & gloria ſempiterna.* Et paulo infra: *Aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipſo, ſed potius in ejus corpore poſſit agnoſci, quod habet non ſolum in eis, qui manifeſtiſſimè foris ſunt; ſed iis etiam, qui cum ad ipſum pertineant, tamen ad tempus miſcentur Eccleſiæ, donec unuſquiſque de hac vita exeat, vel a frumento palea ventilabro ultimo ſeparetur.* Ceterum Sanctus Doctor non excludit à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, quâ latè patet, eas humiliores corporis partes, quæ cum ſpeciem honeſtam non habeant, removentur ab oculis; ſicuti nec membra infirma atque ægra, ad ſempiternum interitum, niſi ad ſanitatem redierint, deſtinata, de quibus in Pſal. 43. num. 25. tom. 4. *Quare dicti ſunt venter*, inquit, *niſi quia carnales ſunt, ut os Eccleſiæ in ſanctis, in ſpiritalibus ſit; venter Eccleſiæ in carnalibus ſit? Itaque os Eccleſiæ eminet, venter abſconditus eſt, tamquam mollior & infirmior .... Tu autem, cui non dulcis eſt in ore juſtitia, adhuc in illis membris infirmus es, quales in ventre deputat Eccleſia.* Quamobrem ex occulta atque inconſpicua prædeſtinatione, quæ fugit oculos intuentium, nihil prorſus aptum idoneumque conficitur, ad probandum veram Chriſti Domini Eccleſiam ex Sancto Auguſtino eſſe intuentium oculis inconſpicuam.

Ad tertium dicendum, Sanctum Auguſtinum ab univerſa Eccleſia in tota ſua amplitudine, qua latiſſimè patet, accepta, quatenus complectitur fideles omnes, ſub eodem exteriore Dei cultu, externâque fidei, caritatis, atque obedientiæ conſociatione ſimul devinctos, ac congregatos, tum mentis cogitatione, tum reipſa ſecernere delectum quemdam fidelium cœtum, innocentia, ſanctitate, atque juſtitia præſtantium. Hæc autem ſecretior Eccleſia continetur incluſa intra explicatiorem, laxioremque ſinum univerſæ totius Eccleſiæ. Huic ſelectiori Eccleſiæ appli-

Digitized by Google

applicat Sanctus Doctor ea, quæ Canticorum cap. 6. dicuntur, *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genetrici ſuæ.* Eandemque ex Apoſtolo cap. 5. ad Epheſios appelat *Glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi.* Hunc autem Apoſtoli locum ſatis frequenter Sanctus Doctor uſurpat ſeptem libris, quos de Baptiſmo contra Donatiſtas inſcribit. At non proindè ab univerſo genere, latiſſimaque Eccleſiæ univerſæ notione, Sanctus Auguſtinus excludit fideles omnes injuſtos & peccatores. Siquidem Lib. 2. Retract. cap. 18. tom. 1. expendens, atque ad trutinam revocans ea, quæ ſeptem libris de Baptiſmo contra Donatiſtas conſcripſerat, lectores admonet, non tam de Eccleſia hujus temporis militante, quàm de Eccleſia poſt mortalem vitam triumphante accipiendum illud Pauli teſtimonium, quod ſatis frequenter in illis libris commemorat, quo mentio fit de Eccleſia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. Ecce verba Sancti Doctoris loco ſupra commemorato: *Ubicumque in his libris commemoravi* Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, *non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit; ſed quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet unde quotidie tota dicat*, Dimitte nobis debita noſtra.

Ad quartum dicendum, Sanctum Auguſtinum loco commemorato epiſtolæ ad Heſychium, quæ eſt *de fine ſæculi*, explicare illa Chriſti Domini verba, quæ apud Marcum leguntur cap. 13. in fine, *Vigilate ergo; neſcitis enim quando Dominus domûs veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè: ne cum venerit repentè, inveniat vos dormientes: Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Ubi Sanctus Doctor, expendens extremam hanc concluſionem, *Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate*, docet Chriſtum Dominum eo loco ad omnes prorſus Chriſtianos, uſque ad extremum mundi diem extituros, verba facere, quos hortatur, & excitat ad vigilantiam, ne imparatos eos inveniat ultimus non modo mundi, ſed vitæ etiam uniuſcujuſque dies: *Ac per hoc vigilare debet omnis*

Digitized by Google

Chriſtianus, inquit Sanctus Doctor loco citato, *ne imparatum inveniat eum Domini adventus*; *imparatum autem inveniet ille dies*, *quem imparatum invenerit ſuæ vitæ hujus ultimus dies*. Quamobrem electi illi, & dilecti, de quibus obiecto loco, pertinentes ad Chriſti Domini corpus, quod eſt Eccleſia, quibus omnibus Chriſtus Dominus dicit, *Vigilate*, ex Sancto Auguſtino non ſoli fideles ad gloriam electi, & prædeſtinati; ſed omnes prorſus fideles ſunt, ad fidei gratiam electi, & præ ceteris infidelibus a Chriſto dilecti, quos pertinere ad Chriſti Domini Corpus, quod eſt Eccleſia, nullus ſanæ mentis Chriſtianus negaverit. Jam vero Chriſtianus populus publica, atque ſolemni ejuſdem fidei, caritatis, obedientiæ, eorundemque ſacramentorum communicatione, uſurpatione, atque celebratione, in unum cœtum maximè illuſtrem, inſignem, conſpicuum conjunctus, & conſociatus, in clariſſima profectò luce verſatur, omniumque oculos, in quos incurrit, rapit, & in admirationem ſui convertit, & provocat; ac proinde vera Chriſti Domini Eccleſia eſt in corpore ſuo omnium oculis intuentium conſpicua, in quam ubique gentium, atque locorum, utpote ſui nominis, divinique cultûs celebritate, ac nobilitate clariſſimam, univerſorum oculi conjiciuntur. At verò ceteræ hæreticorum ſectæ propter ſui nominis, religionis, quin imo ſuperſtitionis obſcuritatem, novitatem, humilitatem, atque abiectionem, in plurimarum gentium, atque nationum vel ignoratione maximâ, vel abiectiſſimâ deſpicientiâ verſantur.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Convenienter Eccleſiam Dominus fulgur nominavit*, *quod maxime ſolet emicare de nubibus*. *Conſtituta ergò auctoritate Eccleſiæ per orbem terrarum clara atque manifeſta*, *conſequenter diſcipulos admonet*, *atque omnes fideles*, *& qui in eum credere voluerint*, *ne ſchiſmaticis*, *atque hæreticis credant*. *Unumquodque enim ſchiſma*, *& unaquæque hæreſis aut locum ſuum habet in orbe terrarum partem aliquam tenens*, *aut obſcuris atque occultis conventiculis curioſitatem hominum decipit*.

cipit. Quò pertinet, quod ait, Si quis vobis dixerit, Ecce hìc eſt Chriſtus, aut illìc, quod ſignificat terrarum partes, aut provinciarum: aut in penetralibus, aut in deſerto, quod ſignificat obſcura, & occulta conventicula hæreticorum. Quod ergo dixit, ab oriente in occidentem perventurum adventum ſuum, contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur; & dicunt, apud ſe eſſe Chriſtum. Quod autem ait, Sicut fulgur, contra illos valet, qui occulte congregant tamquam in penetralibus, & paucos tamquam in deſerto: Ad manifeſtationem quippe claritatemque pertinet Eccleſiæ fulguris nomen, ſignificans etiam noctem, vel nubila ſæculi hujus; tunc enim fulguris candor apparet. (b) *Nemo* igitur *dubitet de Eccleſia, quia per omnes gentes eſt: nemo dubitet, quia ab Jeruſalem cœpit, & omnes gentes implevit: Agnoſcimus agrum, cum autem creverit, non agnoſcimus; quia totum occupavit. Undè cœpit? Ab Jeruſalem: Quò pervenit? Ad omnes gentes: paucæ remanſerunt: omnes tenebit. Audit ſtultus, & vanus, & quid amplius dicturus ſum quam cæcus, qui tam magnum montem non videt, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudit.* (c) *Numquid ſic oſtendimus Eccleſiam fratres mei? nonne aperta eſt? nonne manifeſta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promiſſum eſt Abrahæ, in ſemine ejus benedici omnes gentes? Uni fideli promiſſum eſt, & millibus fidelium mundus impletus eſt: Ecce mons implens univerſam faciem terræ: Ecce civitas, de qua dictum eſt, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. Iſaias heſternâ die lectus eſt, Erit in noviſſimis diebus manifeſtus mons domûs Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifeſtum quam mons? Sed & ſunt montes ignoti, quia in una parte terrarum poſiti ſunt: Ille autem mons non ſic, quia implevit univerſam faciem terræ; & de illo dicitur, Paratus in cacumine montium: Mons eſt ſuper cacumina omnium montium.* (d) *Ubi* ergò *latet Eccleſia Chriſti? Ubi latet veritas Chriſti? Nonne ipſe eſt mons, qui crevit ex minimo lapide, & implevit univerſam faciem terræ? Convincuntur hinc, non habent quod dicant contra Eccleſiam.* (e) *Nonne ipſa eſt civitas in monte,*

quæ

quæ abſcondi non poteſt? Quare ergò dictum eſt, Quis inveniet? Cum dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte poſitam vides; ut autem in monte poneretur, inventa eſt, quæ perierat. Quando illuſtrata eſt, quis eam non videt? Quando latebat, quis eam inveniret? Ipſa enim civitas eſt, & una illa ovis, quam perditam quæſivit Paſtor, & *inventam gaudens in humeris reportavit. Ipſe* Paſtor *mons eſt:* Ovis *autem in humeris ejus, civitas in monte. Facilè eſt videas eam collocatam in monte. Mulierem iſtam tam fortem quis non videt? Sed jam inventam, jam eminentem, jam conſpicuam, jam glorioſam, jam ornatam, jam lucidam, jam, ut citò explicem, toto terrarum orbe diffuſam.* (f) *Univerſæ* enim *ubique diffuſæ Eccleſiæ dicitur, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. Erit, inquit, in noviſſimis temporibus manifeſtus mons domûs Domini, paratus in cacumine montium. Ipſe eſt mons, qui ex parvo lapide crevit, & totum orbem creſcendo implevit. In illo ædificatur* Eccleſia, *quæ abſcondi non poteſt.* (g) *Ipſa eſt prædicta, quæ omnibus eminet & apparet. Ipſa enim eſt ſedes gloriæ, de qua dicit Apoſtolus:* Templum *enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos: unde iſte dicit, Sedes autem gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra. Propter hos enim motus parvulorum, qui poſſunt ſeduci ab hominibus, manifeſtationem claritatis Eccleſiæ Dominus quoque prævidens, ait,* Non *poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta; quia utique Sedes gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra; ut non audiantur illi, qui ad religionum ſciſſuras traducunt, dicentes:* Ecce *hìc eſt Chriſtus:* Ecce *illìc. Partes enim oſtendunt dicentes:* Ecce *hìc:* Ecce *illìc. Cum illa civitas ſuper montem ſit, quem montem, niſi eum, qui ſecundùm prophetiam Danielis, ex parvo lapide crevit, & factus eſt mons magnus, ita ut impleret univerſam terram?* Nec *illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecretæ, & apocriphæ veritatis, & hominum paucitatis, dicunt:* Ecce *in cubiculis: Ecce in deſerto; Quia non poteſt abſcondi civitas ſuper montem conſtituta, quia ſedes gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra.* (h) *Eccleſia* igitur *declarata* eſt, *quæ ſuper montem, ut dictum eſt, conſtituta abſcondi non poteſt; & ideo neceſſe eſt,*

eſt, ut omnibus terrarum partibus nota ſit. (i) *Vos autem non eſtis in civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt. Nota ergò eſt omnibus gentibus; pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; Non eſt ergò ipſa.* (k) *Habetis Eccleſiam ubique diffundi, & creſcere uſque ad meſſem. Habetis civitatem, de qua ipſe, qui eam condidit, ait: Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. Ipſa eſt ergò, quæ non in aliqua parte terrarum; ſed ubique notiſſima eſt.* (l) *Hinc fit ut Eccleſia vera neminem lateat. Undè eſt illud quod in Evangelio ipſe dicit, Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta; ideòque in eodem Pſalmo connectitur, In ſole poſuit tabernaculum ſuum, ideſt, in manifeſtatione.* (m) *In ſole*, inquam, *poſuit tabernaculum ſuum, in manifeſtatione Eccleſiam ſuam, non in occulto, non quæ lateat, non velut opertam, ne fortè fiat ſicut operta ſuper greges hæreticorum.* (n) *Ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, hoc eſt, in manifeſtatione, omnibus nota uſque ad terminos terræ.* (o) *Jam in ſole, hoc eſt, in manifeſtatione poſuit tabernaculum ſuum, quod eſt Eccleſia ipſius.* (p) *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſto. Tabernaculum ejus, caro ejus: Tabernaculum ejus, Eccleſia ejus: In ſole poſita eſt; non eſt in nocte, ſed in die.* (q) *Ipſa eſt Eccleſia, quæ dicit Sponſo ſuo, Ubi paſcis, ubi cubas in meridie, ne forte fiam ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum: Id eſt, quod alibi dicitur, Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in ſapientia; in quibus luce fulgentibus, & caritate ferventibus, quaſi in meridie requieſcis: Ne forte velut operta, ideſt, occulta, & ignota irruam non in gregem tuum, ſed in greges ſodalium tuorum; ideſt, hæreticorum.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Lib. 1. Quæſtionum Evangeliorum quæſt. 38. parte 2. tom. 3. (*b*) Tract. 2. in Epiſt. Joan. num. 2. tom. 3. (*c*) Tract. 1. in Epiſt. Joan. num. 1.3. tom. 3. (*d*) In Pſal. 57. num. 9. tom. 4. (*e*) Serm. 37. cap. 2. num. 2. tom. 5. (*f*) Serm. 338. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*g*) Lib. 13. contra Fauſtum cap. 13. tom. 8. (*h*) Lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 5. num. 28. tom. 9. (*i*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 104. num. 239. tom. 9.

(*k*) Lib.

Digitized by Google

(*k*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 25. num. 72. tom. 9. (*l*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 32. num. 79 tom. 9. (*m*) In Pſal. 18. enar. 2. num. 6. tom. 4. (*n*) Epiſt. 105. ad Donatiſtas cap. 4. num. 14. tom 2. (*o*) Lib. 1. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. num. 46. tom. 3. (*p*) Tract. 2. in Epiſt. Joan. num. 3. tom. 3. (*q*) Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 28. tom. 2.

ARTICULUS VII.

Utrum ex Sancto Auguſtino Eccleſia poſſit in corpore ſuo deficere?

Dicendum ex Sancto Auguſtino, Eccleſiam non poſſe in corpore ſuo deficere. Id autem copioſo ſententiarum apparatu, quas hìc explicamus, ita obtinetur.

I. IN Pſal 71. num. 8. tom. 4. *Putant religionem nominis Chriſtiani uſque ad certum tempus in hoc ſæculo victuram, & poſtea non futuram. Permanebit ergò cum ſole, quamdiù ſol oritur, & occidit; hoc eſt, quamdiu tempora iſta volvuntur, non deerit Eccleſia Dei, ideſt, Chriſti Corpus in terris.*

II. In Pſal 101. Serm. 2. num. 8. tom. 4. *Illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit. Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es.*

III. Ibidem num. 9. tom. 4. *Quid eſt, quod dicis, Jam periiſſe Eccleſiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut poſſit eſſe in omnibus gentibus? Ergò uſque in finem ſæculi Eccleſia in omnibus gentibus. Et ipſa eſt exiguitas dierum, quia exiguum eſt omne, quod finitur, ut jam in æternitate ab iſta exiguitate tranſeatur. Pereant hæretici, pereant quod ſunt, & inveniantur, ut ſint, quod non ſunt.* Sanctus Auguſtinus ſuperioribus ſententiis refellit tùm Paganos idolorum cultores, tùm Donatianos Eccleſiæ deſertores. Arbitrabantur Pagani, Chriſtianam religionem ad certum uſque tempus permanſuram; quo elapſo, vaticinabantur interituram. Dona-

Digitized by Google

Donatiſtæ autem de toto terrarum orbe veram Chriſti Domini Eccleſiam ætate ſua reipſa periiſſe, atque in unâ, vel alterâ Africæ ſolius provinciâ apud factionem ſuam ſuperſtitem adhuc eſſe affirmabant. Utroſque Sanctus Auguſtinus redarguit. Adverſus Paganos verſiculum illum Pſalmi 71. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam*, de futura perpetuitate Chriſtianæ religionis interpretatur; docetque nunquam Chriſti Eccleſiam defuturam, quæ cum ſole prænuntiata eſt permanſura, videlicet, quamdiù ſol orietur, & occidet, & quamdiu labentia hæc tempora defluent. At impudentem illam Donatiſtarum vocem, *Illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit*, comprimit Auguſtinus, & docet, non defeciſſe Eccleſiam ab omnibus gentibus; ſed illos deficiſſe ab Eccleſia, quæ eſt omnium gentium. Perpetuam autem, firmam, ſtabilem, atque conſtantem manſuram Eccleſiam Sanctus Doctor ibi demonſtrat duplici hoc Chriſti Domini oraculo, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſumationem ſæculi*. Matth. 28. 20. *Et prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis*. Matth. 24. 14. Ea autem verba Pſalmi 101. v. 24., quibus Donatiani ad ſignificandum Eccleſiæ interitum abutebantur, *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi*, explicat Sanctus Doctor de brevitate Eccleſiæ militantis in terra, facta comparatione cum æternitate Eccleſiæ triumphantis in cælo. Quæ cum ita ſint, ex Sancto Auguſtino perſpicuum, atque exploratum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam in corpore ſuo deficere minimè poſſe.

IV. Serm. 46. cap. 14. num. 33. tom. 5. *Propè omnis pagina nihil aliud ſonat, quàm Chriſtum, & Eccleſiam toto orbe diffuſam. Exeat mihi una vox pro parte Donati .... Quid magnum eſt quod quæro? Eccleſiam toto orbe diffuſam perituram fuiſſe, dicunt. Peritura prædicta eſt tot teſtimoniis manſura?*

V. Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 31. tom. 2. *Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſervata eſt, & uſque in finem, donec omninò omnes gentes etiam barbaras teneat, conſervabitur*.

VI. Epiſt. 49. ad Honoratum Epiſcopum Donatiſtam num. 3.

tom. 2. *Dignare ergo reſcribere nobis, ut ſciamus, quomodo fieri poſſit, ut Eccleſiam ſuam Chriſtus de toto orbe perdiderit, & in vobis ſolis habere cœperit. Veſtrum enim eſt, hæc oſtendere. Nam nobis ſufficit ad cauſſam noſtram, quod compleri prophetiam, & ſcripturas ſanctas per orbem terrarum videmus.* Habemus igitur ex Sancto Auguſtino plurimis, certiſſimiſque ſuffragantibus teſtimoniis, quæ in ſacris litteris continentur, ſemper manſuram, toto orbe diffuſam, Chriſti Domini Eccleſiam, quam per ſummam temeritatem, atque impudentiam perituram tandem aliquando prænuntiatam fuiſſe Donatiani affirmabant. Fieri enim non poterat ex Sancto Doctore, ut Chriſtus Dominus ſponſam ſuam Eccleſiam ex univerſo orbe amitteret, & apud Donatianos ſolos habere inciperet, cum divina oracula Eccleſiam Chriſti perpetuam, diffuſiſſimamque promiſerint; atque ipſa facta divinis promiſſis planè reſpondere compertum eſſet. Nullius autem ponderis, atque momenti eſt ex Sancto Auguſtino exemplum, quod ad declarandum Eccleſiæ interitum, graſſante Arianiſmo, Vincentius Rogatiſta in medium protulerat, Hilarii præcipuè teſtimonio fretus, qui Lib. de Synodis contra Arianos hæc poſteritati mandavit. *Abſque Epiſcopo Eleuſio, & paucis cum eo, ex majori parte Aſianæ decem provinciæ, intra quas conſiſto, verè Deum neſciunt.* Nihil enim infirmius, imbecillius nihil afferri poterat ad ſuadendum Eccleſiæ univerſæ defectum, temporibus Arianis. Etenim decem Aſianæ provinciæ, quas Hilarius commemorat, pars minima erant Aſiæ univerſæ, comparatæ vero cum toto orbe, ea ætate Chriſtiano, pro nihilo prorſus habendæ ſunt. Quid, quod auctore Hilario, non omnes illarum provinciarum Epiſcopi ad Arianos deflexerant, e quorum numero Eleuſium, alioſque paucos licet cum illo Epiſcopos Hilarius excipit? Ex illis autem Aſianis Epiſcopis, qui non obſcuram ſpeciem Arianæ labis præſeferebant, quidam imprudentes, & bona fide, ambiguis Arianorum verbis decepti, quos Catholicè ſecum ſentire arbitrabantur: alii autem, Ariani furoris atque crudelitatis metu fracti & abiecti, ſimulatâ dumtaxat ſpecie ſe ſe Arianis adjunxerant. *Tale tunc erat tempus*, inquit Auguſtinus Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9.

num. 31.

Digitized by Google

num. 31. tom. 2., *de quo ſcripſit Hilarius, unde putaſti inſidiandum contra teſtimonia tot divina, tamquam perierit Eccleſia de orbe terrarum ..... Sic enim calumniaris docto viro* Hilario, *qui tardicordes, & timidos graviter increpabat, quos iterum parturiebat, donec Chriſtus formaretur in eis. Quis enim neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parvi ſensûs fuiſſe deluſos, ut putarent, hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant: Alios autem timore ceſſiſſe, & ſimulatè conſenſiſſe.*

Præter recenſitos Epiſcopos, quos mente & animo defeciſſe a fide non niſi injuriâ ac temerè quis affirmaverit, non deerant ex Sancto Auguſtino toto orbe diſperſi fortiſſimi, ſapientiſſimique Epiſcopi, qui tum animi excelſi, & invicti magnitudine & robore, tum ſingulari divinarum rerum intelligentiâ, perſpicientiâ veri acutiſſimâ, ſummâque mentis ſagacitate præditi, & nefariis Arianorum conatibus fortiter obſiſtebant, & a fallacibus veteratorum fraudibus per quamprudenter ſibi cavebant, quibus nec fucum facere verbis ambiguis, & ad decipiendum compoſitis, nec timorem incutere denuntiatis pœnis graviſſimis, acerbiſſimiſque Ariani Epiſcopi valuerunt. Horum operâ, induſtriâ, ac labore, graſſante Arianiſmo, in frumentis Dominicis, ideſt, in orthodoxis tum gregibus, tùm Paſtoribus, toto orbe diffuſis, qui bonum illud ſunt ſemen, quod ſeminavit Filius hominis in toto mundo, agro ſuo, & uſque ad meſſem, quæ finis eſt ſæculi, inter zizania creſcere prænuntiavit, ſalvam, incolumem, incorruptam ab Ariana peſte ſervatam fuiſſe Chriſti Domini Eccleſiam Auguſtinus docet, & refert loco ſupra commemorato, cujus hæc verba ſunt. *Quamquam & illi, qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum, ſed etiam ipſi quidam, pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac ſic Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis dominicis conſervata eſt, & uſque in finem, donec omninò gentes omnes etiam barbaras teneat, conſervabitur. Ipſa eſt enim Eccleſia in bono ſemine, quod ſeminavit Filius hominis, & uſque ad meſſem cre-*

creſcere inter zizania prænuntiavit. Ager autem mundus eſt: Meſſis finis eſt ſæculi.

Præterea eadem Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 32 tom. 2. ad obiectam Hilarii auctoritatem, qua Vincentius Rogatiſta oſtendere ſe contendebat generalem apoſtaſiam a fide, graſſante Arianiſmo, reſpondet Auguſtinus, Hilarium zizania, in malis Epiſcopis; non autem triticum, in bonis decem provinciarum Epiſcopis, reprehendere: aut ipſum triticum, in bonis Epiſcopis Aſianis arguere, quos, cum in fidei diſcrimine Arianis fraudibus verſarentur, cautos, experrectoſque acriori ea reprehenſione Hilarius faciebat. Quod autem, exceptis admodum paucis, eadem animadverſione, univerſos fermè provinciarum illarum Epiſcopos Hilarius perſtrinxerit, ſcripturarum morem ſecutum fuiſſe eum docet Auguſtinus, quæ univerſos & bonos, & malos ſolent reprehendere, ut ſolos malos monita ſalutis excutiant, atque deterreant. Ecce verba Sancti Doctoris, *Hilarius ergò decem provinciarum Aſianarum, aut zizania, non triticum arguebat; aut ipſum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum putabat. Habent enim etiam ſcripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quoſdam verbum perveniat.*

Poſtremò cap. 10. num. 35. ſuperioris epiſtolæ Sanctus Doctor hac ſuper re concludit, tam multa eſſe, tam clara, tamque indubitata de Catholicæ Eccleſiæ perpetuitate apud ſcriptores canonicos teſtimonia, ut, ſiqui ex numero Patrum in oppoſita verſarentur ſententiâ, quod ceteroquin non aliter quàm per ſummam calumniam affirmaretur, pro nihilo unius, vel alterius Patris auctoritas, in conſpectu canonicæ auctoritatis habenda eſſet. Hìc autem auream conſtituit regulam Auguſtinus de Eccleſiaſticæ auctoritatis diſcrimine, atque præſtantia, quæ penes canonicos, præ non canonicis ſcriptoribus, reſidet: docetque neque fidentius, neque plus quam par eſt, auctoritati cujuslibet Patris, ſive Agryppini, ſive Cypriani, ſive Hilarii, ſive Auguſtini, præ canonicâ auctoritate, tribuen-

buendum, vel concedendum eſſe. Sed jam audiatur Sanctus Doctor memorato loco. *Noli ergò frater contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis, ſive noſtrorum, ſicut Hilarii, ſive, ante quam pars Donati ſepararetur, ipſius unitatis, ſicut Cypriani, & Agryppini: quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonica diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tamquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contra ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerunt, quàm veritas poſtulat. In eo quippe numero ſumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo recipere*, Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelabit. (Philip. 3. 15.) His autem bene perſpectis, & animo comprehenſis, ex Sancto Auguſtino demonſtratur, veram Chriſti Domini Eccleſiam in corpore ſuo nec defeciſſe unquam, nec fieri poſſe, ut tandem aliquando deficiat.

VII. Serm. 47. cap. 10. num. 17. tom. 5. *Invenit Deum dicentem, per omnes gentes Eccleſiam ſuam: invenit Deum etiam in iſta ſimilitudine zizaniorum dicentem, Ager eſt hic mundus. Non ager eſt Africa, ſed hic mundus. Per totum mundum frumentum, per totum mundum zizania.... Creſcere utrumque uſque ad meſſem; non creſcere zizania, & decreſcere frumenta; ſed utrumque creſcere ad meſſem: Quam meſſem? Ipſum audi, Meſſis eſt finis ſæculi.*

VIII. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 26. num. 61. tom. 9. *Abſit quidem ut Dominicum frumentum, quod per totum agrum, id eſt, hunc mundum uſque ad meſſem, id eſt, uſque in finem ſæculi, inter zizania creſcere juſſum eſt, veſtris maledictis interiiſſe credatur.*

IX. Ibid. cap. 78. num. 174. tom. 9 *Cum de frumentis, & zizaniis dixiſſet, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, tu laboras verbis tuis, ut frumenta jam per totum agrum defeciſſe, & ad exiguam particulam veſtram remanſiſſe credantur, dum vis, ut habeatur Chriſtus mendax, tu autem verax.* Ex Sancto Auguſtino, locis ſupra productis, Chriſtus Dominus ſub celebri eâ parabolâ frumenti & lolii, futurum prænuntiavit, ut Eccleſia ſua uſque ad finem ſæculi creſceret, & augeretur. Neque

Digitized by Google

que enim ex Sancto Doctore Chriſtus futurum declaravit, ut lolium creſceret, de frumento autem diminutio fieret; ſed neceſſe eſſe docuit, ut utrumque, lolium videlicet, & frumentum creſceret uſque ad meſſem. Meſſis autem ex Chriſti Domini oraculo finis eſt ſæculi. At Donatiani, qui ſublatam funditùs toto terrarum orbe Chriſti Domini Eccleſiam, & jamdiù extinctam vociferabantur, frumentum Dominicum in orthodoxis fidelibus de toto mundo periiſſe, ſuis maledictis, ſub falſa pietatis ſpecie, lamentabantur; & in ea particula Africæ, quam invaſerat grex Donati, contra certum atque exploratum Chriſti Domini vaticinium, totam Chriſti Domini Eccleſiam concluſam contineri affirmabant. Quamobrem ex Sancto Auguſtino, refragante calumniis Donatiſtarum Chriſti Domini oraculo, prænuntiantis futurum, ut Eccleſia ſua nunquam dilabatur, quæ ad extremum uſque mundi interitum amplificanda promittitur, fieri non poteſt, ut vera Chriſti Domini Eccleſia, in ſpectabili, atque conſpicuo corpore ſuo, quâ terræ ambitus latè patet, diffuſo, aliquando deficiat.

X. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 12. num. 82. tom. 9. *Quomodo cæptum ſit ab Jeruſalem, & deinde proceſſum in Judæam, & Samariam, & inde in totam terram, ubi adhuc creſcit Eccleſia, donec uſque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non eſt, obtineat, ſcripturis ſanctis teſtibus conſequenter oſtenditur: Quiſquis aliud evangelizaverit, anathema ſit. Aliud autem evangelizat, qui periiſſe dicit de cætero mundo Eccleſiam, & in parte Donati in ſola Africa remanſiſſe dicit. Ergò anathema ſit, aut legat mihi hoc in ſcripturis ſanctis, ut non ſit anathema.*

XI. In Pſal. 47. num. 7. tom. 4. *Non inſultent hæretici per partes conſciſſi, non ſe extollant qui dicunt, Ecce hìc eſt Chriſtus, ecce illìc. Qui dicit, Ecce hìc, ecce illìc, ad partes inducit. Unitatem promiſit Deus: Reges in unum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſſipati ſunt. Sed fortè iſta civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur. Abſit: Deus fundavit eam in æternum. Si ergò eam Deus fundavit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?*

XII. In Pſal. 77. num. 42. tom. 4. *Quis verò fidelium dubi-*

tet

tet Eccleſiam, etiamſi aliis abeuntibus, aliis venientibus, ex hac vita mortaliter tranſit, tamen in æternum eſſe fundatam? Itaque ex Sancto Auguſtino, ubique gentium atque locorum Eccleſiam perpetuò creſcere ſecundùm vaticinia divina videmus, donec uſque in finem reliquas omnes gentes, barbaras licet, obtineat. Quare diris omnibus eſt execrandus, qui dixerit cum Donatianis, malorum contagionibus, quæ a diſſolutis Chriſti cultoribus profectæ latius manaverint, univerſamque Eccleſiam invaſerint, atque corruperint, de univerſo mundo Eccleſiam periiſſe, & in una vel altera terræ regione tantùm ſuperſtitem apparere. Eccleſia enim ex Sancto Doctore civitas illa eſt, quæ mundum tenuit, nec evertetur unquam. Siquidem ex Davidico vaticinio, Deus fundavit eam in æternum: tantùmque ab omni prorſus periculo atque diſcrimine excidii abeſt Eccleſia, quantùm ab omni vel ſuſpicione leviſſima diſtat, ne ſtabile cælum corruat, & dilabatur. Quamobrem ex Sancto Auguſtino fieri omnino non poteſt, ut Chriſti Domini Eccleſia, in corpore ſuo clariſſima, ac diffuſiſſima aliquandò pereat, atque deficiat.

XIII. In Pſal. 103. Serm. 2. num. 5. tom. 4. *Nutabit Eccleſia, ſi nutaverit fundamentum; ſed unde nutabit Chriſtus, qui, antequam veniret ad nos, & carnem ſuſciperet, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, qui omnia continet majeſtate, & nos bonitate? Non nutante Chriſto, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ubi ſunt qui dicunt, periiſſe de mundo Eccleſiam, quando nec inclinari poteſt?* Jam verò Sanctus Auguſtinus, explicans verſiculum quintum Pſalmi 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, Eccleſiæ Catholicæ ſtabilitatem eo loco prænuntiatam affirmat; docetque tantum abeſſe, ut ex Donatianis calumniis perierit de mundo Eccleſia, ut neque fieri poſſit, ut nutet unquam, aut inclinetur. Nutare enim ædificium non poteſt, cujus fundamentum perſtat immotum. At primarium Eccleſiæ fundamentum Chriſtus eſt Dominus, qui ſtabilitate immutabili firmus, fixus, immobiliſque manet, nec non æternùm manebit; ac proinde Catholica Eccleſia, ſupra hoc fundamen-

damen-

damentum ædificata, labefactari, vel proclivior ad ruinam fieri omnino non poteſt. Neque ullius adiumenti hæreticis eſt illud Chriſti Domini oraculum Lucæ 18. 8., *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Quod Donatiani explicabant de prænuntiata apoſtaſia orbis terrarum, ac proinde de delenda tandem aliquando Catholica Eccleſia editum prædicabant. At verò Sanctus Auguſtinus ſuperiorem ſententiam interpretatur vel de fide ſingulari ac præſtantiſſimâ, quæ in hominibus etiam ſanctiſſimis, ut in ipſomet Moyſe, quandoque deſideratur; vel de fide conjuncta cum caritate perfecta, cum ſanctitate morum, & vitæ innocentis integritate, quæ paucorum, non multitudinis virtutes, atque præſidia ſunt. Hujuſmodi autem ſingularium virtutum penuriâ & inopiâ, non extinguitur fides Chriſtiana; adeoque neque perit Eccleſia. Sed audiatur Sanctus Doctor Lib. de Unitate Eccl cap. 15. num. 38. tom. 9. contra calumnias Donatiſtarum, *Item dicunt de apoſtaſia orbis terrarum dictum eſſe, quod ait Dominus*, Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terrâ? (Lucæ 18. v. 8.) *quod nos intelligimus dictum vel propter ipſam fidei perfectionem, quæ ita difficilis eſt in hominibus, ut in ipſis quoque admirabilibus ſanctis, ſicut in ipſo Moyſe, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua ſatis diximus.* Quamobrem ex Sancto Auguſtino fieri omnino non poteſt, ut vera Chriſti Domini Eccleſia, quæ in corpore ſuo ampliſſima eſt & ſplendidiſſima, tandem aliquando pereat, atque extinguatur.

XIV. In Pſal. 128. num. 3. tom. 4. *Jam modo Eccleſiæ ſenectus expugnatur, ſed non timeat. Dicat, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea; numquid ideo non pervenit ad ſenectutem, quia non ceſſarunt illi expugnando? Numquid delere potuerunt? Dicat verò Iſrael, & conſoletur ſe Iſrael, conſoletur ſe ipſa Eccleſia de præteritis exemplis, & dicat, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* In ſuperiori ſententiâ Sanctus Auguſtinus verba illa Pſalmi 128. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Iſrael: Sæpe expugnaverunt me a juventute mea;*

etenim

Digitized by Google

etenim non potuerunt mihi, lætos clamores eſſe docet grandævæ jam, & ſeneſcentis Eccleſiæ, quam infenſiſſimi hoſtes tum externi tum inteſtini, hæretici & pagani, ab ipſis incunabulis inſectantes, neque vi, neque aſtu efficere potuerunt, quo minus ad maturam atque florentem ſenectutem, quamvis inſidiis, apertiſque odiis undique appetita, ſalva & incolumis perveniret. Conſtantem hanc inter tot vitæ diſcrimina incolumitatem exploratiſſimam eſſe veræ Chriſti Domini Eccleſiæ notam ex litteris ſacris accepimus. Hinc ſcitè & prudenter Gamaliel legis doctor, Act. 5., Judæos a meditatâ conjuratione, contra tunc recentem Eccleſiam, hac ratione revocare tentabat, *Quoniam*, ſic illos alloquebatur, *ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur: Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere*. At è contrario ceteræ hæreticorum ſectæ, conſtanti perpetuitate, quæ inſignis veritatis eſt nota, deſtitutæ, diuturnæ eſſe minimè potuerunt. Profecto ex octo ſupra octaginta ſectis, quas Sanctus Auguſtinus Libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum tomo 8. recenſet, nulla ſuperſtes eſt, nulla manet: perierunt omnes, extinctæ ſunt, atque in nihilum abierunt. Eundem exitum noſtræ ætatis hæreticos Socinianos, Lutheranos, Calvinianos, Janſenianos, qui veterum hæreticorum jamdiu conſepultos errores effodere, atque in lucem reſtituere auſi ſunt, quos proinde priſcorum hæreticorum ſobolem eſſe non injuriâ affirmaveris, non improbabili conjectura, ex veterum exemplo repetitâ, ſubituros eſſe auguramur: Quorum quotidianæ diminutiones, & deceſſiones non obſcura argumenta ſunt futuræ diſſolutionis. Quemadmodum enim patres, ita filii diuturni eſſe non poſſunt. Atque utinam felici eventu deſinant eſſe diuturni;& nunquam interituræ veræ Chriſti Domini Eccleſiæ, abjectis tandem repudiatiſque erroribus, ſe applicent, adjungantque, atque in antiquæ matris laxiſſimum ſinum, a novercarum amplexibus expediti, convolent, recipianturque. Sed quòcumque tandem res eorum ſint evaſuræ, ex Sancto Auguſtino certum atque exploratum eſt, veram Chriſti Domini Eccleſiam, quæ in maxima celebritate, & in oculis

Digitized by Google

omnium gentium ubique locorum verſatur, in corpore ſuo deficere, ac interire minimè poſſe.

XV. In Pſal. 78. num. 17. tom. 4.: *Nos ergo populus tuus, & oves gregis tui, quas perſequendo illi crediderunt ſe poſſè conſumere, confitebimur tibi in ſæculum, permanente utique Eccleſiâ tua uſque in finem, quam illi delere conati ſunt.*

XVI. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 9. num. 27. tom. 2.: *Nemo delet de cælo conſtitutionem Dei: nemo delet de terrâ Eccleſiam Dei. Ille totum orbem promiſit, iſta totum orbem replevit: Et malos habet, & bonos; ſed nec in terris amittit niſi malos, nec in Cælum admittit niſi bonos.* Itaque Sanctus Auguſtinus explicans Pſalmum 78. cujus eſt hoc initium, *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam*, illum interpretatur de immaniſſimâ perſecutione, quam ab Idolorum cultoribus paſſa eſt Eccleſia. Perveniens autem ad ejuſdem Pſalmi verſiculum 13., *Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſæculum*, docet Gentiles, quamvis omni ſævitia adhibita, evertere funditùs Chriſti Eccleſiam contenderint, atque conati fuerint, adhuc tamen eam delere, Deo protegente, minimè valuerunt; neque efficere, quominus ſalva & incolumis perpetuò ſtaret, Servatorem ſuum ad finem uſque labentis temporis laudatura. Perpetuam hanc Eccleſiæ diuturnitatem, quamvis a potentiſſimis hoſtibus fuerit undique circumſepta, atque ad excidium ultimum appetita, Sanctus Auguſtinus refert in Dei omnia potentis ſancitam legem, atque decretum de ſervandâ ſemper incolumi Eccleſiâ ſuâ, quod decretum omnibus ſimul collectis naturæ viribus reſcindi, violarive omninò non poteſt. Quæ cum ita ſint, ex Sancto Auguſtino vera Chriſti Domini Eccleſia, quæ in corpore ſuo ubique conſpicua eſt, atque notiſſima, deleri & deficere labentibus annis omninò non poteſt.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt,*

eſt, periit. Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, qui tu in illa non es? (b) *Quid eſt quod dicis, jam periiſſe Eccleſiam de omnibus gentibus, quandò ad hoc prædicatur Evangelium, ut poſſit eſſe in omnibus gentibus? Ergò uſque in finem ſæculi Eccleſia in omnibus gentibus. Et ipſa eſt exiguitas dierum, quia exiguum eſt omne quod finitur, ut jam in æternitate ab iſta exiguitate tranſeatur. Pereant hæretici, pereant quod ſunt, & inveniantur ut ſint, quod non ſunt.* (c) *Prope omnis pagina nihil aliud ſonat, quàm Chriſtum, & Eccleſiam toto orbe diffuſam. Exeat mihi una vox pro parte Donati. Quid magnum eſt quod quæro? Eccleſiam toto orbe diffuſam perituram fuiſſe dicunt. Peritura prædicta eſt, tot teſtimoniis manſura?* (d) *Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſervata eſt, & uſque in finem, donec omnes gentes etiam barbaras teneat, conſervabitur.* (e) *Dignare ergò reſcribere nobis, ut ſciamus, quomodò fieri poſſit, ut Eccleſiam ſuam Chriſtus de toto orbe perdiderit, & in vobis ſolis habere cœperit. Veſtrum enim eſt hæc oſtendere. Nam nobis ſufficit ad cauſſam noſtram, quod compleri prophetiam, & ſcripturas ſanctas per orbem terrarum videmus.* (f) *Abſit* enim *ut Dominicum frumentum, quod per totum agrum, id eſt, hunc mundum, uſque ad meſſem, id eſt, uſque in finem ſæculi inter zizania creſcere juſſum eſt, veſtris maledictis interiiſſe credatur.* (g) *Cum* enim Chriſtus Dominus, *de frumentis & zizaniis dixiſſet, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, tu laboras verbis tuis, ut frumenta jam per totum agrum defeciſſe, & ad exiguam particulam veſtram remanſiſſe credantur, dum vis ut habeatur Chriſtus mendax, tu autem verax.* (h) *Invenies Deum in iſta ſimilitudine zizaniorum dicentem, Ager eſt hic mundus: Non ager eſt Africa, ſed hic mundus. Per totum mundum frumentum, per totum mundum zizania. Creſcere utrumque uſque ad meſſem, non creſcere zizania, & decreſcere frumenta, ſed utrumque creſcere uſque ad meſſem: Quam meſſem? Ipſum audi: Meſſis eſt finis ſæculi.* (i) *Quomodo* autem *cœptum ſit ab Jeruſalem, & deinde proceſſum in Judæam, & Samariam, & inde in totam terram,*

ubi adhuc creſcit Eccleſia, donec uſque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non eſt, obtineat, ſcripturis ſanctis teſtibus conſequenter oſtenditur. Quiſquis aliud evangelizaverit, anathema ſit. Aliud autem evangelizat, qui periiſſe dicit de cetero mundo Eccleſiam, & in parte Donati in ſola Africa remanſiſſe dicit. Ergò anathema ſit, aut legat mihi hoc in ſcripturis ſanctis, ut non ſit anathema. (k) *Non inſultent* ergò *hæretici per partes conſciſſi, non ſe extollant, qui dicunt, Ecce hìc eſt Chriſtus, Ecce illìc. Qui dicit, Ecce hìc eſt, Ecce illìc, ad partes inducit: Unitatem promiſit Deus: Reges in unum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſſipati ſunt. Sed forte iſta civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur, Abſit: Deus fundavit eam in æternum, quid times ne cadat fundamentum?* (l) *Quis* enim *fidelium dubitet Eccleſiam, etiamſi aliis abeuntibus, aliis venientibus, ex hac vitá mortaliter tranſit, tamen in æternum eſſe fundatam?* (m) *Nutabit* ergò *Eccleſia, ſi nutaverit fundamentum. Sed undè nutabit Chriſtus, qui antequam veniret ad nos, & carnem ſuſciperet, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, qui omnia continet majeſtate, & nos bonitate? Non nutante Chriſto, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ubi ſunt, qui dicunt, periiſſe de mundo Eccleſiam, quando nec inclinari poteſt?* (n) *Eccleſiæ* quidem *ſenectus expugnatur, ſed non timeat. Dicat, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea; numquid ideò non pervenit ad ſenectutem, quia non ceſſarunt illi expugnando? Numquid delere potuerunt? Dicat verò Iſrael, & conſoletur ſe Iſrael, conſoletur ſe ipſa Eccleſia de præteritis exemplis, & dicat, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* (o) *Nos ergò populus tuus, & oves gregis tui, quas perſequendo illi crediderunt ſe poſſe conſumere, confitebimur tibi in ſæculum, permanente utique Eccleſiá tuá uſque in finem, quam illi delere conati ſunt.* (p) Sed *nemo delet de cælo conſtitutionem Dei, nemo delet de terrá Eccleſiam Dei. Ille totum orbem promiſit, iſta totum orbem replevit: Et malos habet & bonos, ſed nec in terris amittit niſi malos, nec in cælum admittit niſi bonos.* (q) Non *putent* igitur *religionem nominis Chriſtiani, uſque ad certum tem-*

pus

pus in hoc ſæculo victuram, & poſtea non futuram. *Permanebit enim cum ſole, quamdiu ſol oritur, & occidit, hoc eſt, quamdiu tempora iſta volvuntur, non deerit Eccleſia Dei, id eſt, Chriſti corpus in terris.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) In Pſal. 101. Serm. 2. num. 8. tom. 4. (*b*) Ibidem num. 9. tom. 4. (*c*) Serm. 46. cap. 14. num. 33. tom. 5. (*d*) Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. num. 31. tom. 2. (*e*) Epiſt. 49. ad Honoratum Epiſcopum Donatiſtam num. 3. tom. 2. (*f*) Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 26. nom. 61. tom. 9. (*g*) Ibidem cap. 78. num. 174. tom. 9. (*h*) Serm. 47. cap. 10. num. 17. tom. 5. (*i*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 12. num. 82. tom. 9. (*k*) In Pſal. 47. num. 7. tom. 4. (*l*) In Pſal. 77. num. 42. tom. 4. (*m*) In Pſal. 103. Serm. 2. num. 5. tom. 4. (*n*) In Pſal. 128. num. 3. tom. 4. (*o*) In Pſal. 78. num. 17. tom. 4. (*p*) Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 9. num. 27. tom. 2. (*q*) In Pſal. 71. num. 8. tom. 4.

ARTICULUS VIII.

Utrum ex Sancto Auguſtino præſentis Eccleſiæ corpus ſit ſenio confectum, atque deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum?

Dicendum ex Sancto Auguſtino, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum. Neque enim ex Sancto Doctore deterioribus a juvenili ætate moribus futura Eccleſiæ ſenecta a Deo longè ante prædicta eſt, quamvis mala hæc Eccleſiæ deplorarent hæretici, Sancto Auguſtino æquales, ut honeſtam aliquam cauſſam ſeceſſionis ſuæ ab Eccleſia afferrent, objicerentque. Quod ſi mores præſentis Eccleſiæ, moreſque Eccleſiæ præteritæ, Auguſtino ſuperſtite, comparentur, non ab illa pejoribus præſens Eccleſia moribus infecta deprehenditur. Hæc autem omnia auxiliaribus ſententiarum copiis ex Sancto Auguſtino delectis ſic propugnantur.

I. IN Pſal. 36. Serm. 3. num. 4. tom 4.: *Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, tamquam unus quidam homo, primò junior fuit,*

fuit, & ecce jam in fine ſæculi eſt in ſenecta pingui: quoniam de illà dictum eſt, Adhuc multiplicabitur in ſenectà pingui.

II. In Pſal. 91. num. 11. tom. 4.: *Quomodo in ætatibus noſtris noviſſima ſenectus eſt; ſic totum hoc, quod modo patitur corpus Chriſti, in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in ſiti, in ſcandalis, in iniquitatibus, in preſſuris, juventus ipſius eſt. Senectus ipſius, ideſt, noviſſima ipſius, in lætitia erunt. Et intendat caritas veſtra, quia dixit, ſenectutem, ne putetis & mortem: homo enim in carne ideo ſeneſcit, ut moriatur: Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis, morte autem non corrumpetur.* Jam verò Sanctus Auguſtinus expendit in duplici ſuperiori ſententiâ verſiculum 11. Pſalmi 91., *Senectus mea in miſericordia uberi.* Et rurſus verſiculum 15. *Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi*: Utrumque autem verſiculum de extrema ingraveſcentis Eccleſiæ ætate interpretatur: docetque duobus illis editis oraculis pinguem, atque fæcundam lætiſſimarum virtutum ubertate ſenectutem Eccleſiæ, inſtar pomiferi autumni, qui extrema anni ætas eſt, præſagiri: Juventutem ſuam in pravis exemplis, in mediis iniquitatibus, in oppreſſionibus injuſtis, non modo externorum, verum etiam domeſticorum ſuorum tranſegiſſe Eccleſiam affirmat. Extrema verò ſeneſcentis Eccleſiæ ætas, candida ac veneranda rectè factorum canitie decorabitur, quæ maturis ornata virtutibus ei ſuperveniet, quam importuna mors, extremumque fatum minimè conſequetur. Hæc autem maxime pugnant cum obſoletis jamdiu, & ad nauſeam uſque repetitis, ſeditioſiſque querelis hæreticorum, quibus ſeneſcentis, quam habemus, Eccleſiæ corruptos, ut ajunt, mores, debilitatam & languidam diſciplinam, degenerem vitiatamque doctrinam voce lugubri lamentantur: paſſimque in turbulentas illas, atque tumultuoſas erumpunt exclamationes, O *Priſca fides*! O *Vetus diſciplina*! O *Tempora*! O *Mores*! Quocirca ex Sancto Auguſtino aſſecuti ſumus, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum.

III. Epiſt. 78. ad Clerum, & ſeniores Eccleſiæ Hippon. num. 8.

Digitized by Google

num. 8. tom. 2.: *Nec objiciatis hæreticis, niſi quia non ſunt Catholici, ne ſimiles eis ſitis, qui non habendo quod in cauſſa ſuæ diviſionis defendant, nonniſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè jactant, ut quia ipſam divinæ ſcripturæ veritatem, qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducunt in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, poſſunt.*

IV. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 14. num. 35. tom. 9. *Unde jam non permittuntur iſti ſuſpicari, aut aſſerere quod dicunt, Omnes bonos defeciſſe de mundo, ut in ſola parte Donati remanerent. Conantur enim contra apertiſſimam ſententiam Domini dicentis, Ager eſt hic mundus: Et, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem: Et, Meſſis eſt finis ſæculi.*

V. Lib. de Agone Chriſtiano cap. 29. num. 31. tom. 6. *Cum Dominus dicat in Evangelio, cum per omnes gentes Evangelium fuerit prædicatum, tunc finem eſſe futurum, quomodo iſti dicunt, quod jam ceteræ omnes gentes ceciderunt a Fide, & in ſola parte Donati remanſit Eccleſia, cum manifeſtum ſit, ex quo iſta pars ab unitate præciſa eſt, nonnullas gentes poſtea crediſſe, & adhuc eſſe aliquas, quæ nondum crediderunt, quibus quotidiè non ceſſatur prædicari Evangelium?*

VI. In Pſalm. 31. Enar. 2. num. 11. tom. 4.: *Cum enim Chriſtus dixiſſet, Putas veniens Filius hominis, inveniet fidem in terra? Et ne exiſterent quidam hæretici, qui attendentes, & putantes quaſi lapſum totum mundum; omnes enim hæretici in paucis, & in parte ſunt, jactarent ſe, quod in ipſis remanſit, quod de toto mundo perierit.* Habemus igitur ex Sancto Auguſtino ipsâ antiquitate tritam, & obſoletam eſſe hæreticorum conſuetudinem, qui, ut probabilem aliquam defectionis ſuæ ab Eccleſia Catholica æquitatem aliquâ ratione tueri ac ſuſtinere videantur, adverſus ætate ſuâ depravatos Eccleſiæ mores declamare: vera, falſaque Catholicorum crimina in vulgus ſpargere: præſentis Eccleſiæ cultores in invidiam corruptæ morum integritatis adducere: & quidquid in mentem venerit, contra pios atque probos effingere: rituque canino obla-

Digitized by Google

oblatrare non deſinunt. Sic Donatiani, contra apertiſſimum Chriſti Domini oraculum de futura bonorum, malorumque in ampliſſimo Eccleſiæ ſuæ ſinu permixtione jampridem editum, bonos omnes ab Eccleſia Catholica defeciſſe, eoſdemque in ſola parvula Eccleſiola ſua concluſos contineri vulgò dictitabant. Cum autem ex Chriſti Domini vaticinio fides, pietas, probitas, ad extremam uſque labentis temporis ſenectutem cum Catholicâ Eccleſiâ corroboranda, amplificandaque prænuntientur: illi è contra, ceteras gentes omnes a recta fide, ab honeſtis moribus deſciviſſe, & in ſola ſua ſocietate verum Dei cultum, morumque probitatem manere ſuperſtitem contendebant: abſurdè atque abſonè illam Chriſti Domini objurgationem Lucæ 18. v. 8. *Putas veniens filius hominis, inveniet fidem in terra?* de futuro ſeneſcentis Eccleſiæ lapſu, perindè ac ſi Eccleſia in extremâ ſuâ ſenectute ab orthodoxa fide, & hinc ab honeſtis moribus lapſura eſſet, interpretantes. Hæc ſunt veterum, atque novorum hæreticorum maledicta, quibus Eccleſiæ Catholicæ ſenectutem proſcindere, & ſua conventicula, veluti tutiſſimum portum, quò Chriſtianæ virtutes, è fatiſcentis atque decrepitæ Eccleſiæ ſinu dilapſæ, ſe ſe receperint, venditare arrogantius, ac temerè & impudenter jactare conſueverunt. Ex his autem efficitur id, quod contendimus, ex Sancto Auguſtino erui atque deduci, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum.

VII. Serm. 88. cap. 19. num. 22. tom. 5. *Hìc illi dicunt, Creverat quidem utrumque per mundum; ſed jam frumenta diminuta ſunt, & ad iſtam noſtram regionem, paucitatemque revocata. Non te permittit Dominus interpretari quod vis..... Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.... Si ergò uſque ad meſſem creſcunt, poſt meſſem reconduntur, improbe, impie, quandò minuuntur?*

VIII. In Pſal. 147. num. 16. tom. 4. *Hæreſis quid monet? Damnat incognitos, damnat totum mundum: Periit totus mundus, Nullus eſt Chriſtianus, Africa remanſit.*

IX. In Pſal. 99. num. 12. tom. 4. *Odioſi, maledici irruunt in*

Digitized by Google

in vituperationem : Quales Chriſtiani! Qui Chriſtiani! avari, fæneratores. Nonne ipſi ſunt, qui theatra, & amphitheatra implent per ludos, & per alia ſpectacula, qui implent Eccleſias per dies feſtos? Ebrioſi, voraces, invidi, inſectatores alterutrum. Sunt tales, ſed non ſoli tales: Et iſte vituperator cæco animo tacet bonos.

X. Lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34. num. 76. tom. 1. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tamquam malos filios corrigere ſtudet; ſed quicumque illorum bona voluntate, Deique auxilio corriguntur, quod amiſerant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate malâ in priſtinis vitiis perſeverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini ſinuntur eſſe, & cum bonis ſeminibus creſcere, ſed veniet tempus quando zizania ſeparentur.* Itaque non deerant Sancti Auguſtini ætate, ſicut nunc temporis, maledici obtrectatores Eccleſiæ, tum ex gentilibus idolorum cultoribus, tum ex hæreticis ab Eccleſiâ transfugis, qui objectâ falsâ & fallaci ſpecie caritatis ſinceræ, atque ingenuæ benevolentiæ, quâ virtutem, probitatemque colere ſe, atque proſequi gloriabantur, a recenſendis non paucis, neque levioribus Chriſtianorum flagitiis, atque ſceleribus nunquam ceſſabant, quæ per Chriſti Eccleſiam graſſari impudentius ea ætate compertum erat. Commemorabant Chriſtianos tunc temporis ebrioſos, voraces, invidos, malevolos, avaros, fæneratores, irreligioſos, qui miſcentes ſacra profanis ex ſacris parietibus, rebuſque divinis dilapſi, ad impia, obſcæna, atque cruenta gentilium theatra, & amphitheatra, teterrimorum facinorum ſpectatores acclamatoreſque, perquam frequentiſſimi confluebant. Flagitia hujuſmodi, aliaque plura, hiſque graviora, ætatis ſuæ Eccleſiam invaſiſſe Auguſtinus minimè inficiabatur; at verò in eo perſtabat immotus, præter improbos & flagitioſos, pios non paucos proboſque Chriſtianos in ſua, quæ tunc temporis florebat, Eccleſia contineri atque verſari, quos iniqui obtrectatores Eccleſiæ, præter æquitatem tacebant, malevoloque ſilen-

ſilentio præteribant: addebatque, eam a Chriſto Domino Eccleſiam fuiſſe promiſſam, quæ ſub lolii ſimilitudine, malos plures; ſub tritici verò figurâ, bonos non paucos, ad extremam uſque ſuam ſenectutem unâ commixtos ac complicatos, ampliſſimo ſinu ſuo complexura prænuntiabatur. Quare ex Sancto Auguſtino concludendum eſt, præſentis Eccleſiæ corpus, factâ comparatione cum antiquiori, non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum.

XI. In Pſal. 69. num. 2. tom. 4. de Martyribus: *Illi enim jam coronati ſunt, nos adhuc periclitamur, non quia tales nos perſecutiones urgent, quales ipſos urſerunt; ſed fortaſſe pejores in omnimodis generibus tantorum ſcandalorum; noſtra enim tempora magis abundant illo væh, quod clamavit Dominus, Væh mundo a ſcandalis: Et, Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum.*

XII. In Pſal. 30. Enar. 3. num. 6. tom. 4. *Pejus, inquit, vivunt mali in ſacramentis meis, quàm qui ad illa nunquam acceſſerunt.... Iſtis itaque talibus cum ſint plenæ Eccleſiæ, nonne veraciter illic dicunt pauci, immò ex paucorum voce ipſa Eccleſia, Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, & vicinis meis nimium, & timor notis meis? Vicinis meis nimium opprobrium factus ſum, ideſt, qui mihi jam appropinquabant, ut crederent, hoc eſt, vicini mei nimium deterriti ſunt malâ vitâ malorum, & falſorum Chriſtianorum. Quàm multos enim putatis, fratres mei, velle eſſe Chriſtianos, ſed offendi malis moribus Chriſtianorum?*

XIII. In Pſal. 47. num. 9. tom. 4. *Non poſſumus enim negare plures eſſe malos, & tam plures, ut inter eos prorſus boni non appareant; quomodò non apparent grana in area, nam quiſquis aream videt, poteſt putare, quod palea ſola ſit.*

XIV. Serm. 252. cap. 4. num. 4 tom. 5. *Videamus ſi non tanta multitudo collecta eſt in Eccleſiâ, ut vix ibi appareant grana frumenti, in tam multo numero palearum. Quàm multi raptores! quàm multi ebrioſi! quàm multi maledici! quàm multi ſpectatores theatrorum!* Habemus igitur ex ſuperioribus, Auguſtiniana tempora, quibus quartum & quintum ſæculum age-

Digitized by Google

agebat Eccleſia, peſſimis malorum Chriſtianorum exemplis, corruptiſſimiſque moribus inquinatiſſima defluxiſſe, quibus Chriſti Domini oraculum de futura caritatis diminutione, iniquitatiſque futurâ augumentatione impletum eſſe S. D. arbitrabatur. Etenim ea tempeſtate veri Dei cultores ipſiſmet idolorum cultoribus nequiores ſe, teſte Auguſtino, exhibebant; adeout peſſimè Chriſtianum nomen inter gentiles audiret, ſummoque contemptui eſſet, atque in abjectiſſima deſpicientiâ apud idolorum cultores res Chriſtiana verſaretur, qui fidelium flagitiis ſceleribuſque abalienati a ſuſcipienda Chriſtiana religione, per ſummum dedecus noſtri nominis revocabantur. Tanta autem peccandi libido, atque licentia Chriſti Domini Eccleſiam ea ætate, referente Auguſtino, pervaſerat, ut rari boni in tanta improborum multitudine vix apparerent; quemadmodum ex Sancto Doctore coacervatum in area triticum, ob multo majorem palearum copiam, qua obruitur, vix ſe manifeſtat. Quamobrem ſi noſtrum octavum ſupra decimum cum quinto Auguſtini ſæculo comparetur, ſi mores moribus ponderentur, ſi peccata peccatis opponantur (quidquid Janſeniſtarum præficæ, ſordidâ mercede conductæ, neniis lugubribus nobis ejulent) ex Sancto Auguſtino concluditur, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum.

XV. Tract. 3. in Epiſt. Jo. num. 9. tom. 3. *Jam ergò, fratres, ſi facta interroganda ſunt, non ſolùm multos invenimus Antichriſtos foras exiiſſe; ſed multos nondum manifeſtos, qui minimè foras exierunt. Quotquot enim habet Eccleſia perjuros, fraudatores, maleficos, ſortilegorum inquiſitores, adulteros, ebrioſos, fœneratores, mangones, & omnia quæ numerare non poſſumus, contraria ſunt doctrinæ Chriſti, contraria ſunt Verbo Dei: Verbum autem Dei Chriſtus eſt: Quidquid contrarium eſt Verbo Dei, in Antichriſto eſt.*

XVI. In Pſal. 127. num. 11. tom. 4. *Ergò uxor ejus, Eccleſia ejus: Eccleſia ejus, uxor ejus, nos ipſi; ſicut vinea fertilis: Sed in quibus vinea fertilis? Videmus enim parietes iſtos intrantes multos ſteriles: Videmus quia iſtos parietes intrant multi*

ebrioſi, fœneratores, mangones, quærentes ſortilegos, euntes ad præcantatores & præcantatrices, quando illis caput dolet.

XVII. Lib. de Cathechiz. rudibus cap. 7. num. 11. tom. 6. *Cum verò adverſus eos inſtruitur, quorum perverſæ turbæ corporaliter implent Eccleſias, ſimul etiam præcepta breviter, & decenter commemorentur Chriſtianæ, atque honeſtæ converſationis, ne ab ebrioſis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, ſpectaculorum amatoribus, remediorum ſacrilegorum alligatoribus, præcantatoribus, mathematicis, vel quarumlibet artium variarum, & malarum divinatoribus, atque hujuſmodi ceteris ita facilè ſeducatur, & impunitum ſibi fore arbitretur, quia videt multos, qui Chriſtiani appellantur, hæc amare, & agere, & defendere, & ſuadere, & perſuadere.*

XVIII. Ibidem cap. 25. num. 48. tom. 6. *Multos ergò viſurus es ebrioſos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia ſacrilega ſibi alligantes, præcantatoribus, & mathematicis, vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadverſurus etiam, quod illæ turbæ implent Eccleſias per dies feſtos Chriſtianorum, quæ implent theatra per dies ſolemnes paganorum; & hæc videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam videbis, quod etiam nunc jam utique noſti: non enim neſcis multos, qui appellantur Chriſtiani, hæc omnia mala operari, quæ breviter commemoravi, & aliquando fortaſſe graviora facere homines non ignoras, quos noſti appellari Chriſtianos.* Jam verò ſuperioribus locis Auguſtinus locuples, expertuſque teſtis apertè, & ingenuè refert, atque fatetur flagitia fœdiſſima, teterrimaque facinora Chriſtianorum, quibus ætate ſua redundabat Eccleſia. Longam ſeriem, atque indicem copioſiſſimum hominum Chriſtianorum contexit, qui ſceleribus, criminibuſque turpiſſimis obſtricti, atque contaminati non ſe Chriſti cultores, ſed Antichriſtos eſſe declarabant. Ex horum numero commemorat Sanctus Doctor Chriſtianos perjuros, fœneratores, fornicatores, adulteros, mangones, qui meritorios, pueros fuco illitos apud ſe venales habebant. Præterea adeuntes, & conſulentes ariolos, augures, divinatores,

Digitized by Google

tores, incantatores, veneficos, qui in medio Chriſtiano populo, quamquam Chriſti Cruce inſigniti, quæſtum ſacrilegum, artes impiiſſimas venditando, facere non exhorrebant. Poſtremò Chriſtianos plurimos ethnicis ritibus, moribuſque deditos Sanctus Doctor recenſet, qui ad gentilium theatra, in quibus obſcænitas, truculentia, & ſuperſtitio impudentiſſimè ſe jactabant, frequentiſſimi aderant, confluebantque, ſpectatores auditoreſque ludorum & fabularum, quæ inhoneſtiſſimè feſtis, quin potius nefaſtis falſorum numinum diebus, a profanis idolorum cultoribus exhibebantur. Atqui ſi calamitoſiſſima hæc junioris Eccleſiæ tempora, in quæ incidit Auguſtinus, cum ſenioris Eccleſiæ noſtræ temporibus conferantur, profectò ſenioris noſtræ Eccleſiæ callidi vituperatores, laudatoreſque verſipelles atque captioſi Eccleſiæ quondam junioris, adverſus præſentem, quam nacti ſumus, Eccleſiam hiſcere omninò, atque mutire non audebunt. Maneat igitur ex Sancto Auguſtino, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum.

XIX. Lib. de Opere Monachorum cap. 28. num. 36. tom. 6. *Tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit diabolus, circumeuntes provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant; alii fimbrias, & phylacteria ſua magnificant; alii parentes, vel conſanguineos ſuos in illâ, vel illâ regione ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur: Et omnes petunt, omnes exigunt aut ſumptûs lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.*

XX. In Pſal. 99. num. 13. tom. 4. *Nemo vos fallat, fratres, ſi non vultis falli, & vultis amare fratres. Scitote omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos: Non dixi omnem eſſe fictum; ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas. Sunt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni.... Invenis ſanctimoniales indiſciplinatas: numquid ideò ſanctimonium reprehendendum eſt?*

XXI. In Pſal. 132. num. 4. tom. 4. *Verumtamen, cariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt, & nos novimus tales. Sed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non ſunt.*

Digitized by Google

ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi, quàm & Clerici falſi, & fideles falſi. Omnia genera, fratres mei, tria quæ aliquando vobis commendavimus ..... habent bonos ſuos, habent malos ſuos.

XXII. Epiſt. 78. Ad Clerum, & Seniores Eccl. Hipponen. num. 6. tom. 2. *Ad quid enim ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, jactent, contendant; ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.*

XXIII. In Pſal. 99. num. 12. tom. 4. *Quales illi Monachi, invidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, avari! Ille ibi illud fecit; & ille ibi illud fecit. O male, quare taces bonos?* Docet in ſuperioribus Auguſtinus, quod ex omni Chriſtianæ Reipublicæ ordine, atque cœtu intra Eccleſiam ſui temporis, continebantur homines mali, atque improbi: plurimi ex profano populi ordine, multi ex ſacro ordine Clericorum, atque Epiſcoporum, non pauci ex ſelectiori, ſeveriorique ordine Monachorum, & Monacharum. Non inficiatur Auguſtinus quoſdam ætatis ſuæ Epiſcopos, Clericos, Monachos, ſacraſque Virgines Deo dicatas, e ſublimiori caſtitatis gradu in profundiorem libidinis voraginem corruiſſe. Non reticet ſingulares Monachorum ſui temporis improbitates. Recenſet Monachos hypocritas, mendaces, avaros, invidos, litigatores, iracundos, ſuperbos, vagos, hàc & illàc, nulli domicilio affixos, diſcurrentes, qui veras falſas Martyrum reliquias, ſimulatamque ſanctitatem ſimplicioribus venditantes, ſacrilegum turpiſſimumque quæſtum de rebus ſanctiſſimis faciebant. Auguſtinianis iſtis temporibus deteriora profectò non ſunt tempora noſtra, quæ præteritorum omnium contaminatiſſima, & corruptiſſima, vafri acerbique præſentis Eccleſiæ vituperatores prædicare non dubitant. Quamobrem ex Sancto Auguſtino di-

dicendum eſt, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, neque deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum.

XXIV. Epiſt. 208. ad Feliciam virginem num. 2. tom. 2. *Alii ſunt ergò, qui propterea tenent paſtorales cathedras, ut Chriſti gregibus conſulant: Alii verò, qui propterea in eis ſedent, ut ſuis honoribus temporalibus, & commodis ſæcularibus gaudeant. Iſta duo genera Paſtorum, aliis morientibus, aliis naſcentibus, in ipſa Catholicâ neceſſe eſt uſque ad finem ſæculi, & uſque ad Domini judicium perſeverent. Si enim temporibus Apoſtolorum fuerunt tales, inter quos falſos fratres Apoſtolus gemeret, & diceret, Periculum in falſis fratribus, nec eos per ſuperbiam ſepararet, ſed per tolerantiam ſuſtineret, quanto magis temporibus noſtris neceſſe eſt ut ſint.*

XXV. Ibidem num. 3. tom. 2. *Sicut autem ſunt Paſtores boni, & mali; ſic etiam in ipſis gregibus ſunt boni, & mali: Boni, ovium nomine ſignificantur; mali verò, hædi appellantur; ſed commixti pariter paſcunt, donec veniat Princeps Paſtorum, qui dictus eſt unus Paſtor; & quemadmodum ipſe promiſit, ſeparet ſicut Paſtor oves ab hædis. Nobis enim imperavit congregationem, ſibi autem ſervavit ſeparationem, quia ille debet ſeparare, qui neſcit errare.*

XXVI. Lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. num. 8. tom. 9. *Dicant ergò ſi poſſunt, meliorem ſe, atque purgatiorem habere Eccleſiam, quàm erat ipſa Unitas beatiſſimi Cypriani temporibus, qui collegas ſuos, à quibus tamen nulla corporali disjunctione ſeparatus eſt, nullum eorum nominatim appellans, ſed prudenter ac ſobriè ſaluberrimæ mordacitatis inferens medicinam, his verbis graviter arguit, Quia, eſurientibus in Eccleſia fratribus, habere argentum largiter vellent, fundos inſidioſis fraudibus raperent, uſuris multiplicantibus fænus augerent.* Veram expreſſamque imaginem præſtantioris Eccleſiæ, quæ ex Epiſcoporum cœtu, atque ordine conſtituitur, ſuperioribus locis nobis exhibet Auguſtinus. Narrat ætate ſuâ duo extitiſſe genera Epiſcoporum, qui Chriſti Eccleſiam adminiſtrabant; quorum alii paſtorales tenebant Cathedras, ut gre-

Digitized by Google

gregis ſui commodis, utilitatique conſulerent; alii e contrario, ut bona ſuarum ovium ad ſe converterent, raperentque; communique ovium incommodo privatum paſtoris augerent commodum; qui emolumenti ſui gratiâ gregum ſuorum exuviis rem ſuam familiarem, copias, atque opes amplificarent. Superiore verò Cypriani ætate, cujus teſtimonium producit, non defuiſſe Epiſcopos, qui inſidioſis fraudibus fundos alienos raperent, qui ex datis mutuò pecuniis quæſtum iniquiſſimum facerent, exaggeratiſque uſuris calamitoſos pauperes jugularent, ſuumque cenſum augerent ampliſſimè. Tales Epiſcopos non ſolum ſua, & Cypriani ætate, quin & Apoſtolicis ipſis temporibus a Paulo voce illa ſignificatos, *Periculis in falſis fratribus*, Eccleſiam ſemper habuiſſe, & habituram eſſe auctor eſt Auguſtinus. Cum autem ætate noſtrâ profectò non deteriora, quin imò multo mitiora Eccleſiaſticæ depravationis exempla proferantur, ex Sancto Auguſtino deducimus præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, nec deterioribus à juvenili ætate moribus depravatum.

XXVII. Serm. 73. cap. 4. num. 4. tom. 5. *Putatis enim, fratres mei, quia ipſa zizania non aſcendunt apſidas? Putatis quia deorſum ſunt, & ſurſum non ſunt? Utinam hoc non ſimus ..... Dico ſanè caritati veſtræ, & in apſidis ſunt frumenta, ſunt zizania; & in populis ſunt frumenta, ſunt zizania.*

XXVIII. In Enchiridio cap. 80. num. 21. tom. 6. *Noſtris temporibus .... ita multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare.*

XXIX. In Pſal. 99. num. 12. tom. 4. *Qui reprehendunt avaritiam Clericorum, improbitatem Clericorum, lites Clericorum, appetentes res alienas, ebrioſos, voraces jactant .... Tu qui vituperas, vide ibi & bonos.* Fatetur ſupra Auguſtinus, ætate ſuâ vitia tam multa Eccleſiam ſuam pervaſiſſe, atque in communem apertamque conſuetudinem per utrumque ordinem, & cleri & populi, abjiſſe, ut gravioribus, canoniciſque criminibus tam obſtrictum de populo privatum hominem excommunicare, quàm contaminatum de Clero miniſtrum publicum degradare

gradare amplius non auderet. Non ſolum ex ordine populari inferioris ſubſellii; ſed etiam ex ordine clericali ſedis eminentioris, qui apſidas (curvatum in cameram caput templi ſacellum) per gradus ad ſacra peragenda a populo ſegregati aſcendebant, non defuiſſe homines nequam & improbos, *zizaniis* ſignificatos, qui pravo exemplo, corruptiſque moribus peccandi licentiam iis, quibus pietate, ac ſanctitate præire eos oportebat, ſuppeditabant. Minores, majoreſque Clericos improbos, avaros, alienas res appetentes, ebrioſos, voraces, juſtè reprehenſos a Clericorum vituperatoribus Sanctus Doctor non negat, quibuſcum, quòd carpendo malos, probos alios pioſque Clericos ſilentio præterirent, de injuſtâ & malevolâ reticentiâ ſolùm expoſtulat. Nunc verò maledici Eccleſiæ noſtræ vituperatores, virus acerbitatis ſuæ quâ voce, quâ ſcriptis evomentes, & populum utriuſque ſexus, & Clerum utriuſque ordinis, quin etiam univerſam prorſus, quam nunc habemus, Eccleſiam criminantur, atque in invidiam apud Eccleſiæ adverſarios adducunt, perinde ac ſi a veteri religione, a doctrinâ, a diſciplinâ, a priſcis moribus deſciverit, atque diſceſſerit, turpemque notam, homini catholico non ferendam, & erroris, & laxitatis, præſenti quam habemus Eccleſiæ, per ſummam audaciam, impudentiam, temeritatemque inurere non verentur. At ſi comparatio noſtræ ſenioris Eccleſiæ cum juniori Auguſtiniana Eccleſia, qualem teſtimoniis huc uſque productis Sanctus Doctor nobis exhibet conſpiciendam, inſtituatur, ex Sancto Auguſtino jure meritoque concludimus, præſentis Eccleſiæ corpus non eſſe ſenio confectum, nec deterioribus a juvenili ætate moribus depravatum.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, tamquam unus quidam homo primò junior fuit, & ecce jam in fine ſæculi eſt in ſenecta pingui: quoniam de illa dictum eſt, Adhuc multiplicabitur in ſenecta pingui.* (b) *Quomodo in ætatibus noſtris noviſſima ſenectus eſt; ſic totum hoc, quod modo patitur Corpus*

Digitized by Google

Chriſti in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in ſiti, in ſcandalis, in iniquitatibus, in preſſuris, juventus ipſius eſt: Senectus ipſius, ideſt, noviſſima ipſius in lætitia erunt. Et intendat caritas veſtra, quia dixit ſenectutem, ne putetis & mortem: Homo enim in carne ideo ſeneſcit, ut moriatur: Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis, morte autem non corrumpetur. (c) *Unde jam non permittuntur* Donatiſtæ *ſuſpicari, aut aſſerere quod dicunt: omnes bonos defeciſſe de mundo, ut in ſola parte Donati remanerent. Conantur enim contra apertiſſimam ſententiam Domini dicentis, Ager eſt hic mundus: Et, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem: Et, Meſſis eſt finis ſæculi.* (d) *Cum* enim *Dominus dicat in Evangelio, cum per omnes gentes Evangelium fuerit prædicatum, tunc finem eſſe futurum, quomodo iſti dicunt, quod jam ceteræ omnes gentes ceciderunt a fide, & in ſola parte Donati remanſit Eccleſia, cum maifeſtum ſit, ex quo iſta pars ab unitate præciſa eſt, nonnullas gentes poſtea credidiſſe, & adhuc eſſe aliquas, quæ nondum crediderunt, quibus quotidiè non ceſſatur prædicari Evangelium?* (e) *Cum enim Chriſtus dixiſſet, Putas veniens Filius hominis inveniet fidem in terrâ? Et ne exiſterent quidam hæretici, qui attendentes, & putantes quaſi lapſum totum mundum; omnes enim hæretici in paucis, & in parte ſunt, jactarent ſe, quod in ipſis remanſit, quod de toto mundo perierit.* (f) Siquidem *illi dicunt, Creverat quidem utrumque per mundum; ſed jam frumenta diminuta ſunt, & ad iſtam noſtram regionem, paucitatemque revocata. Non te permittit Dominus interpretari quod vis. Si ergò uſque ad meſſem creſcunt, poſt meſſem reconduntur, improbe, impie, quando minuuntur?* (g) Hæreſis hæc *monet, damnat incognitos, damnat totum mundum, periit totus mundus, nullus eſt Chriſtianus, Africa remanſit.* (h) Alii *odioſi, maledici irruunt in vituperationem: Quales Chriſtiani! Qui Chriſtiani! avari, fœneratores. Nonne ipſi ſunt, qui theatra & amphitheatra implent per ludos, & per alia ſpectacula, qui implent Eccleſias per dies feſtos? Ebrioſi, voraces, invidi, inſectatores alterutrum. Sunt tales, ſed non ſoli tales: Et iſtæ vituperator*

cæco

tacco animo tacet bonos. (i) *Vos* autem *illud admoneo*, *ut aliquandò Catholicæ Eccleſiæ maledicere deſinatis*, *vituperando mores hominum*, *quos & ipſa condemnat*, *& quos quotidiè tamquam malos filios corrigere ſtudet*; *ſed quicumque illorum bona voluntate*, *Deique auxilio corriguntur*, *quod amiſerunt peccando*, *pœnitendo recuperant*. *Qui autem voluntate malâ in priſtinis vitiis perſeverant*, *aut etiam addunt graviora prioribus*, *in agro quidem Domini ſinuntur eſſe*, *& cum bonis ſeminibus creſcere*; *ſed veniet tempus quando zizania ſeparentur*. (k) *Non poſſumus enim negare plures eſſe malos*, *& tam plures*, *ut inter eos prorſus boni non appareant*, *quomodo non apparent grana in area*; *nam quiſquis aream videt*, *poteſt putare*, *quod palea ſola ſit*. (l) Vos autem fratres *ne objiciatis hæreticis*, *niſi quia Catholici non ſunt*, *ne ſimiles eis ſitis*, *qui non habendo quod in cauſsâ ſuæ diviſionis defendant*, *nonniſi hominum crimina colligere affectant*, *& ea ipſa plura falſiſſimè jactant*, *ut quia ipſam divinæ ſcripturæ veritatem*, *qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur*, *criminare & obſcurare non poſſunt*, *homines*, *per quos prædicatur*, *adducunt in odium*, *de quibus & fingere quidquid in mentem venerit*, *poſſunt*. (m) Adhuc tamen *uxor* Chriſti *Eccleſia ejus*: *Eccleſia ejus*, *uxor ejus*, *nos ipſi*; *ſicut vinea fertilis*; *ſed in quibus vinea fertilis*? *Videmus enim parietes iſtos intrantes multos ſteriles*: *Videmus quia iſtos parietes intrant multi ebrioſi*, *feneratores*, *mangones*, *quærentes ſortilegos*, *euntes ad præcantatores*, *& præcantatrices*, *quando illis caput dolet*. (n) *Tanta multitudo collecta eſt in Eccleſia*, *ut vix ibi appareant grana frumenti in tam multo numero palearum*. *Quàm multi raptores*! *quàm multi ebrioſi*! *quàm multi maledici*! *quàm multi ſpectatores theatrorum*! (o) Si horum *facta interroganda ſunt*, *non ſolum multos invenimus Antichriſtos foras exiiſſe*; *ſed multos nondum manifeſtos*, *qui minimè foras exierunt*. *Quot enim habet Eccleſia perjuros*, *fraudatores*, *maleficos*, *ſortilegorum inquiſitores*, *adulteros*, *ebrioſos*, *feneratores*, *mangones*, *& omnia quæ numerare non poſſumus*? (p) *Cum* ergò Cathecumenus *adverſus iſtos inſtruitur*, *quorum perverſæ turbæ corporaliter implent*

Eccleſias, ſimul etiam præcepta breviter, & decenter commemorentur Chriſtianæ atque honeſtæ converſationis, ne ab ebrioſis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, ſpectaculorum amatoribus, remediorum ſacrilegorum alligatoribus, præcantatoribus, mathematicis, vel quarumlibet artium variarum, & malarum divinatoribus, atque hujuſmodi ceteris ita facile ſeducatur, & impunitum ſibi fore arbitretur, quia videt multos, qui Chriſtiani appellantur, hæc amare, & agere, & defendere, & ſuadere, & perſuadere. (q) Dicatur ergò illi, *Multos viſurus es ebrioſos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia ſacrilega ſibi alligantes, præcantatoribus, & mathematicis, vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadverſurus etiam, quod illæ turbæ implent Eccleſias per dies feſtos Chriſtianorum, quæ implent theatra per dies ſolemnes paganorum, & hæc videndo ad imitandum tentaberis: Et quid dicam videbis, quod etiam nunc jam utique noſti: non enim neſcis multos, qui appellantur Chriſtiani, hæc omnia mala operari, quæ breviter commemoravi, & aliquando fortaſſe graviora facere homines non ignoras, quos noſti appellari Chriſtianos.* (r) *Pejus* enim *vivunt mali in ſacramentis Eccleſiæ, quàm qui ad illa nunquam acceſſerunt. Iſtis itaque talibus cum ſint plenæ Eccleſiæ, nonne veraciter illìc dicunt pauci, immò ex paucorum voce ipſa Eccleſia, Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, & vicinis meis nimium. Vicinis meis nimium opprobrium factus ſum, id eſt, qui mihi jam appropinquabant, ut crederent, hoc eſt, vicini mei nimium deterriti ſunt malâ vitâ malorum, & falſorum Chriſtianorum. Quàm multos enim putatis, fratres mei, velle eſſe Chriſtianos, ſed offendi malis moribus Chriſtianorum?* (ſ) Hac de cauſsâ *nos* adeo *periclitamur, non quia tales nos perſecutiones urgent, quales Martyres urſerunt, ſed fortaſſè pejores in omnimodis generibus tantorum ſcandalorum. Noſtra enim tempora magis abundant illo væh, quod clamavit Dominus, Væh mundo a ſcandalis: Et, Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum.* (t) *Nemo* igitur *vos fallat fratres, ſi*

non

Digitized by Google

non vultis falli, & vultis amare fratres. Scitote omnem profeſſionem habere fictas perſonas. Sunt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni. Invenis ſanctimoniales indiſciplinatas; numquid ideò ſanctimonium reprehendendum eſt? (u) Præterea, *tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit diabolus, circumeuntes Provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant: Alii fimbrias, & phylacteria ſua magnificant: Alii parentes vel conſanguineos ſuos, in illa, vel in illa regione ſe audiiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.* (x) Quare, *cariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt, & nos novimus tales, ſed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi, quàm & Clerici falſi, & fideles falſi. Omnia genera, fratres mei, tria quæ aliquando vobis commendavimus, habent bonos ſuos, habent malos ſuos.* (y) Ne dicas igitur, *Quales illi Monachi, invidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, avari! Ille ibi illud fecit; & ille ibi illud fecit. O male, quare taces bonos?* (z) Similiter ſunt, *qui reprehendunt avaritiam Clericorum, lites Clericorum, appetentes res alienas, ebrioſos, voraces jactant. Tu, qui vituperas, vide ibi & bonos.* (aa) *Ad quid enim ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi ut, quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, jactent, contendant; ſed non omnes poſſe manifeſtari. Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* (bb) *Sicut autem ſunt Paſtores boni, & mali; ſic etiam in ipſis gregibus ſunt boni, & mali. Boni ovium nomine ſignificantur; mali verò hædi appellantur; ſed commixti pariter paſcunt, donec veniat Princeps Paſtorum, qui dictus eſt unus Paſtor, & quemadmodum ipſe promiſit, ſeparet*

ſicut

Digitized by Google

ſicut Paſtor oves ob hædis. Nobis enim imperavit congregationem; quia ille debet ſeparare, qui neſcit errare. (cc) Ex his *alii ſunt, qui propterea tenent Paſtorales cathedras, ut Chriſti gregibus conſulant: Alii verò, qui propterea in eis ſedent, ut ſuis honoribus temporalibus, & commodis ſæcularibus gaudeant. Iſta duo genera Paſtorum, aliis morientibus, aliis naſcentibus, in ipſa Catholica neceſſè eſt uſque ad finem ſæculi, & uſque ad Domini judicium perſeverent. Si enim temporibus Apoſtolorum fuerunt tales, inter quos falſos fratres Apoſtolus gemeret, & diceret, Periculum in falſis fratribus, nec eos per ſuperbiam ſepararet, ſed per tolerantiam ſuſtineret, quanto magis temporibus noſtris neceſſè eſt ut ſint.* (dd) Præterea *dicant* Donatiſtæ *ſi poſſunt, meliorem ſe, atque purgatiorem habere Eccleſiam, quàm erat ipſa Unitas beatiſſimi Cypriani temporibus: qui collegas ſuos, a quibus tamen nulla corporali disjunctione ſeparatus eſt; nullum eorum nominatim appellans, ſed prudenter ac ſobriè ſaluberrimæ mordacitatis inferens medicinam, his verbis graviter arguit, Quia eſurientibus in Eccleſiâ fratribus habere argentum largiter vellent, fundos inſidioſis fraudibus raperent, uſuris multiplicantibus fœnus augerent.* (ee) *Putatis enim, fratres mei, quia ipſa zizania non aſcendunt apſidas? Putatis quia deorſum ſunt, & ſurſum non ſunt? Utinam hoc non ſimus: dico ſanè caritati veſtræ, & in apſidis ſunt frumenta, ſunt zizania.* (ff) Profectò *noſtris temporibus ita multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) In Pſal. 36. Serm. 3. num. 4. tom. 4. (*b*) In Pſam. 91. num. 11. tom. 4. (*c*) Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 14. num. 35. tom. 9. (*d*) Lib. de Agone Chriſtiano cap. 29. num. 31. tom. 6. (*e*) In Pſal. 31. Enar. 2. num. 11. tom. 4. (*f*) Serm. 88. cap. 19. num. 22. tom. 5. (*g*) In Pſal. 147. num. 16. tom. 4. (*h*) In Pſal 99. num. 12. tom. 4. (*i*) Lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34. num. 76. tom. 1. (*k*) In Pſal. 47. num. 9. tom. 4. (*l*) Epiſt. 78. ad Clerum, & Seniores Eccleſiæ Hipponen. num. 8.

Digitized by Google

num. 8. tom. 2. (*m*) In Pſal. 127. num. 11. tom. 4. (*n*) Serm. 252. cap. 4. num. 4. tom. 5. (*o*) Tract. 3. in Epiſt. Jo. num. 9. tom. 3. (*p*) Lib. de Cathechiz. rudibus cap. 7. num. 11. tom. 6. (*q*) Ibidem cap. 25. num. 48. tom. 6. (*r*) In Pſal. 30. Enar. 3. num. 6. tom. 4. (*ſ*) In Pſal. 69. num. 2. tom. 4. (*t*) In Pſal. 99. num. 13. tom. 4. (*u*) Lib. de opere Monachorum cap. 28. num. 36. tom. 6. (*x*) In Pſal. 172. num. 4. tom. 4. (*y*) In Pſal. 99. num. 12. tom. 4. (*z*) Ibidem. (*aa*) Epiſt. 78. ad Clerum, & Seniores Eccleſiæ Hipponen. num. 6. tom. 2. (*bb*) Epiſt. 208. ad Feliciam Virginem num. 3. tom. 2. (*cc*) Ibidem num. 2. tom. 2. (*dd*) Lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani cap. 2. num 8. tom. 9. (*ee*) Serm. 72. cap. 4. num. 4. tom. 5. (*ff*) In Enchiridio cap. 80. num. 21. tom. 6.

QUÆSTIO SECUNDA

DE CONSPICUO ECCLESIÆ CAPITE.

A corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ad conſpicuum Eccleſiæ caput progredimur. Quemadmodum enim ii, qui minus Eccleſiæ favent, longè aberrant a veritate circa conſpicuum Eccleſiæ corpus, ita abſurdas & abſonas opiniones tuentur contrà conſpicuum hujuſce corporis caput. Alii enim affirmant Eccleſiæ corpus conſpicuo capite diminutum, neque aliud habere caput, quam inconſpicuum, videlicet, Chriſtum Dominum: alii caput multiplex adjungunt corpori Eccleſiæ, illamque veluti Janum, aut Cerberum, aliudve ſimile poetarum portentum effingunt: alii conſpicuum Eccleſiæ caput Romanum Pontificem negant: alii nihil, vel propè nihil ceteris membris caput hujuſmodi antecellere prædicant. Quamobrem, Sancto Auguſtino auſpice ac duce, falſas haſce opiniones impugnandas aggredimur, & hanc ſecundam quæſtionem, de Conſpicuo Eccleſiæ Capite, in ſex articulos diſtributam, veluti auxiliariam legionem, in ſex partitam cohortes, validiſſimis multis ab ſcriptoribus ſtrenuiſſimis optimè inſtructis, adverſus impios & perduelles Eccleſiæ hoſtes ſuppetias damus, in aciemque producimus.

I. eſt,

I. eſt, Utrum ex Sancto Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen ſit monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice? II. Utrum ex Sancto Auguſtino Petrus fuerit primus omnium Apoſtolorum, atque fundamentum Eccleſiæ univerſæ? III. Utrum ex S. Auguſtino Petrus Romæ Cathedram Epiſcopalem inſederit, Simonem magum ſuperaverit, ibidemque fuerit martyrio coronatus, atque ſepultus; & a Petro omnium primo conſtans perpetuaque Romanorum Pontificum ſeries ſucceſſioque manaverit? IV. Utrum ex Sancto Auguſtino Petrus, & Paulus duo fuerint Eccleſiæ capita, in unum veluti commune caput coaleſcentia? V. Utrum ex Sancto Auguſtino Romanus Pontifex Primatum habeat poteſtatis, & juriſdictionis ſuprà ceteros Eccleſiæ Paſtores? VI. Utrum ex S. Auguſtino Romanus Pontifex errare poſſit in ſolemni judicio fidei definitivo?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex Sancto Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen ſit monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice?

Videtur, quod ex S. Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen non ſit monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice; ſed ariſtocraticum ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos pertinens. Quæ enim S. D. de Petro, a quo Romanorum Pontificum ſeries manavit, ac de Apoſtolis ceteris, quibus poſteriores omnes ſucceſſerunt Epiſcopi, definit atque decernit, ea demonſtrare videntur conſpicuum Eccleſiæ regimen non eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice, ſed ariſtocraticum, univerſos Epiſcopos Catholicæ Eccleſiæ complectens.

I. TRact. 118. in Jo. num. 4. tom. 3. *Sicut in Apoſtolis, cum eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, ideſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus re-*

reſpondit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: & ei dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, tanquam ligandi, & ſolvendis ſolus acceperit poteſtatem, cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tamquam perſonam gerens ipſius unitatis, acceperit; ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.

II. Serm. 295. cap. 2. num. 2. tom. 5. *Dominus Jeſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis, elegit, quos Apoſtolos appellavit. Inter hos penè ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit, Tibi dabo claves regni Cælorum. Has enim claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ: hinc ergò Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis, & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt, Tibi dabo, quod omnibus traditum eſt.*

III. Serm. 270. num. 2. tom. 5. *Et ego dico tibi, Tu es Petrus; quia ego Petra, tu Petrus; neque enim a Petro Petra; ſed a Petra Petrus: quia non a Chriſtiano Chriſtus, ſed a Chriſto Chriſtianus; & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, non ſupra Petrum, quod tu es, ſed ſupra Petram, quam confeſſus es: ædificabo autem Eccleſiam meam; ædificabo te, qui in hac reſponſione figuram geſtas Eccleſiæ.*

IV. Serm. 295. cap. 4. num. 4. tom. 5. *Meritò etiam poſt reſurrectionem Dominus ipſi Petro oves ſuas commendavit paſcendas. Non enim inter diſcipulos ſolus meruit paſcere Dominicas oves; ſed quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitùs, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex Sancto Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice. Si enim ea, quæ S. D. de Petro, ac de ſucceſſoribus Petri, Romanis Pontificibus copiosè diſputat, affirmat, & approbat, diligentius diſcutiantur, palam fit ex S. D. con-

ſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice. Hæc enim habet

I. Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. *In uno illo Apoſtolo, ideſt, Petro, in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, utrumque genus ſignificandum fuit, ideſt, firmi & infirmi, quia ſine utroque non eſt Eccleſia.*

II. Lib. 22. contrà Fauſtum cap. 70. tom. 8. *Quid ergò incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ; ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ?*

III. Lib. 2. contrà Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit, illum Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed ſi diſtat cathedrarum gratia, una eſt tamen martyrum gloria.* Superioribus locis ex Sancto Auguſtino habemus, Petrum fuiſſe primum, atque præcipuum in univerſo ordine Apoſtolico: Petrum ex inſtitutione divinâ factum eſſe Paſtorem univerſæ Eccleſiæ, quemadmodum ex divina inſtitutione Moyſes factus eſt rector Synagogæ univerſæ: Apoſtolicum principatum Petri cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe. Hinc autem Auguſtinus infert, Romanam Cathedram, quam conſtituit Petrus, ſingulari præſtantia cathedris ceteris, adeoque & Carthaginenſi Cathedræ, quam Cyprianus tenuit, antecellere. Jam vero finge tibi, conſpicuum Eccleſiæ regimen democraticum eſſe, ac reſidere penes univerſam Chriſtianam plebem, adeoque ſingulos Chriſtianæ multitudinis homines auctoritate, ac juriſdictione eſſe pares: vel ariſtocraticum, ad omnes ſimul Epiſcopos pertinens, quorum ſinguli pares ſint inter ſe auctoritate, & juriſdictione; hoc ſemel admiſſo, illud conſequatur neceſſe eſt, Petri, Romanorumque Pontificum ſucceſſorum Petri Primatum non eſſe niſi merum honoris, ac dignitatis Primatum, qualem obtinet Dux reipublicæ, quæ vel ariſtocratico, vel democratico, vel mixto ex utroque regimine adminiſtretur. At hæc cum eo pugnant præcipuè, quod ex S. Auguſtino Petrus factus eſt Paſtor univerſæ Eccleſiæ, quemadmodum Moyſes inſtitutus eſt rector

Sy-

Digitized by Google

Synagogæ univerſæ. Regimen enim Paſtoris reſpectu univerſi gregis eſt ſanè monarchicum. Neque verò Paſtor diviſum habet imperium, cum ſubjectis ſibi ovibus, atque agnis, cui oves omnes, omneſque agni ſubſunt, parent, obtemperant. Præterea non ariſtocraticum, non democraticum, ſed monarchicum ſupra univerſum populum ſibi ſubjectum Moyſes exercuit imperium. Solus enim leges omnibus, & jura dabat: uni parere tenebantur omnes: ab uno ad omnes per plures proficiſcebatur, ad unum ab omnibus per plures ſumma rerum referebatur. Concludendum eſt igitur ex Sancto Auguſtino, conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice.

IV. In Pſalmo contra partem Donati tom. 9. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

V. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom. 2. de Cæciliano, Epiſcopo Cathaginenſi Catholico, a Donatiſtis accuſato. *Cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.*

VI. Ibidem cap. 5. num. 16. tom. 2. *Qualis ipſius Beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida, atque pacifica!.... O virum optimum! O filium chriſtianæ pacis, & patrem chriſtianæ plebis!* Itaque ex Sancto Auguſtino aſſecuti ſumus, quod ſucceſſio Romanorum Pontificum in Sede Romana Petri Petra illa eſt, quam ex Chriſti Domini oraculo non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Porrò hujuſmodi Petra unum & ſingulare eſt fundamentum illud, cui innititur, & ex quo attollitur univerſum Eccleſiæ totius ædificium. Rurſus, quod in Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus: Atqui ad unum pertinet principatus, qui primum & principem locum

tenet, rerumque ſummâ potitur, cujus imperio, & regimine adminiſtrantur omnia. Poſtremò, quod ex duodeviginti ſententiis Epiſcoporum totidem, quibus præerat Melchiades Romanus Pontifex, ad quem Donatiſtarum accuſationes Conſtantinus Magnus cognoſcendas, dijudicandaſque rejecerat, quorum tres Galli, quindecim Itali affuerunt, atque in Cæciliani cauſsâ pronuntiaverunt, ſola ultima, qua res tota confecta & abſoluta eſt, Melchiadis ſententia celebratur, quem proinde S. D. chriſtianæ plebis Patrem appellat. At vero regimen Patris ſupra ſubjectam ſibi familiam, neque ariſtocraticum, neque democraticum, neque ex utroque mixtum, ſed monarchicum regimen profectò eſt. Quæ cum ita ſint, ex Sancto Auguſtino, tanquam ex Eccleſiaſticæ Monarchiæ vindice atque patrono, licet inferre, conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice.

VII. Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanis reſpondere conciliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia? Et tamen ejus ſucceſſorem Zoſimum crimine prævaricationis accuſas, quia doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui deceſſoris ſententiæ noluit refragari ..... Sancto Innocentio vide quid reſpondeas, qui nihil aliud de hac re ſapit, quàm quod iſti, in quorum te conventum, ſi tamen prodeſt aliquid, introduxi. Cum his etiam ipſe conſidet Innocentius, & ſi poſterior tempore, Prior loco.*

VIII. Lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 1. num. 2. tom. 10. de Pelagianis ad Bonifacium Papam. *Cum verò non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus undecunque rimari, communiſque ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatûs officio (quamvis ipſe in ea præemineas celſiore faſtigio) ſpecula paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particula muneris.*

IX. Au-

Digitized by Google

IX. Aurelius, aliique tres cum Auguſtino Epiſcopi Epiſt. 177. ad Innocentium Papam num. 15. tom. 2. de Pelagianis, atque Pelagii Libro. *Si enim cognoverint eundem librum, quem illius vel putant eſſe, vel norunt, Epiſcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè ſanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipſo anathematum, atque damnatum, non eos ulterius exiſtimamus auſuros, loquendo contra gratiam Dei, quæ revelata eſt per paſſionem, & reſurrectionem Chriſti, pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare*. Docet igitur Auguſtinus in conſeſſu præteritorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, quorum ſententias, Pelagianorum erroribus repugnantes, loco producto recitat S. D., Romanum Pontificem Innocentium, quamvis poſteriorem tempore, tamen loco priorem ſupra Epiſcopos reliquos, humiliorem auctoritatis gradum tenentes, conſidere. In paſtorali enim Epiſcoporum ſpeculâ, celſiore faſtigio, ſi fides Auguſtino, præeminet Romanus Pontifex: cujus auctoritas, comparata cum ceterorum Epiſcoporum auctoritate, multo ſublimior atque præſtantior eſt in Eccleſia, plurimique præ quavis aliâ auctoritate facienda eſt. Hinc ex S. Auguſtino ſola auctoritas Innocentii Romani ſatis ſuperque eſſe oportebat Juliano hæretico Pelagiano ad repudiandos Pelagianorum errores, quos jamdiu abjeciſſet, ſi Romani Pontificis Innocentii ſententiæ acquieſcere, uti facto opus erat, non detrectaſſet. Ex his autem fit ſatis perſpectum, atque exploratum, penes unum Romanum Pontificem ſummam poteſtatem, ſummam auctoritatem, jurisdictionemque ſummam locatam divinitûs reſidere. Ex hoc autem ſponte ſua proficiſcitur, locupletiſſimo teſte Auguſtino, conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice.

X. Innocentius Papa ad PP. Concilii Carthaginenſis epiſtola inter Auguſtinianas 181. num. 1. tom. 2. *In requirendo de his rebus, quas omni cum ſollicitudine decet a Sacerdotibus, maximèque a vero, juſtoque, & catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores*

Digitized by Google

res diſciplinæ, noſtræ religionis vigorem, non minus nunc in conſulendo, quàm antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit. Quem ſequentes, tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda. Vel id verò, quod Patrum inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis in disjunctis, remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ (veluti de natali ſuo fonte aquæ cunctæ precederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid præciperent, quos abluerent, quos, velut cœno inemundabili ſordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret.

XI. Innocentius Papa ad PP. Concilii Milevitani epiſtola inter Auguſtinianas 182. num. 2. tom. 2. *Diligenter ergò, & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum) ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Verum hæc miſſa facio; neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Qui id enim actione firmaſtis, niſi ſcientes, quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent? Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Epiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum, ad duplicis relationem Synodi, ſententiæ noſtræ ſtatutis, viderint ab Eccleſiaſticâ communione ſejunctos.*

XII. Alypius, & Auguſtinus epiſt. 186. ad Paulinum cap. 1. num. 2.

Digitized by Google

num. 2. tom. 2. *Poſteaquam ad nos litteræ de Oriente venerunt, eandem cauſſam Pelagianam apertiſſimè ventilantes, nullo modo jam qualicunque Epiſcopali auctoritate deeſſe Eccleſiæ debueramus. Miſſæ ſunt itaque de hac re ex duobus Conciliis, Carthaginenſi & Milevitano, relationes ad Apoſtolicam Sedem, ante quam geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos Provinciæ Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsâ cauſsâ aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Jam verò ex Innocentii ſententiâ, ad ſtabilitum jampridem, inveteratumque regimen Eccleſiæ pertinet, ut Epiſcopi in catholico legitimoque concilio congregati, in rebus dubiis Romanum Pontificem conſulant; in rebus integris Romanum Pontificem certiorem faciant; in rebus autem a ſe definitis Romani Pontificis confirmationem expectent. Etenim ut conciliares Canones in Eccleſia Catholica regula certa fidei, vel diſciplinæ evadant, ultimo Romani Pontificis judicio corroborari neceſſe eſt. Romanum enim Pontificem non ſolius Eccleſiæ, quam Romæ præſens adminiſtrat, ſed Eccleſiarum omnium manet ſollicitudo. In hanc Innocentii ſententiam præter Auguſtinum, Alypiumque, ceteri Eccleſiæ Africanæ Patres frequentiſſimi uno ore ſummoque conſenſu diſceſſerunt; quod demonſtratum a nobis eſt ſupra quæſt. 1. artic. 5. num. 26. Profectò Auguſtinus, & Alypius ſuperiori Epiſtola 186. cap. 1. num. 1. tom. 2., qua Paulinum de rebus in Africâ, & Romæ geſtis contra Pelagianos certiorem faciunt, duplicem decretalem Innocentii epiſtolam, alteram ad Carthaginenſe, alteram ad Milevitanum Concilium datam ponderantes, *Ad omnia*, inquiunt, *nobis ille* Innocentius *reſcripſit eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem*. Contra vero Auctor Præfationis ad tomum x. operum S. Auguſtini ſub num. 13., hac animadverſione utramque Epiſtolam S. Innocentii caſtigat, *Utrumque Concilium eo præſertim nomine honorificentiſſimè præ-*

prædicat Innocentius, *quòd Apoſtolicam Sedem conſuluiſſent*; *cujus non parum extollit dignitatem, auctoritatemque*. Jam vero ex Auguſtino & Alypio, Innocentius eo modo reſcripſit, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem; Atqui neque fas erat, neque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem non parum extollere ſedis ſuæ dignitatem, auctoritatemque; Ergò non parum diſcrepat a veritate, Innocentium Sedis ſuæ dignitatem, auctoritatemque extuliſſe non parum. Præterea idem Auctor ibidem expendens ſub num. 17. epiſtolam 5. Zoſimi, qui S. Innocentio ſucceſſerat, inſcriptam Patribus Africanis, ſic Zoſimum notat, & vellicat: *In ea* epiſtola Zoſimus *magnificis verbis extollit dignitatem ſuam*: *& quod de Cæleſtii cauſâ cum Africanis per litteras communicare placuit, hoc gratiæ apponi ſibi ab ipſis poſtulat*. Verum enim verò in commemoratis Epiſtolis & Innocentius, & Zoſimus nihil aliud, quàm jura ſacri depoſiti, in collato ſibi divinitùs monarchico Eccleſiæ regimine, ut fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, teſte Auguſtino, ſarta tecta tuentur. Non autem magnificis verbis ſuam dignitatem, ut cenſor notat, extollunt. Quamobrem ex hactenus diſputatis, contexendo extrema cum primis, legitimâ conſecutione deducitur, ex Sancto Auguſtino conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice.

XIII. Epiſtola 190. ad Optatum cap. 6. num. 22. tom. 2. de Pelagianis: *Cujus hæreſis, vel auctores, vel certè acerrimi, notiſſimique ſuaſores, cum Pelagius, & Cæleſtius extitiſſent, Conciliorum Epiſcopalium vigilantiâ, in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt*. De quibus exempla recentium litterarum, *ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata ſede manarunt, ne fortè ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti*.

XIV. Epiſt. 215. ad Valentinum num. 2. tom. 2. *Portant autem ſecum & alia, quæ vobis dirigenda eſſe credidimus*, *qui-*

Digitized by Google

quibus cognoſcatis, quemadmodum Catholica Eccleſia in Dei miſericordia Pelagianæ hæreſis venena repulerit. Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium, Romanæ Urbis Epiſcopum, de Concilio Provinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ, & aliquantò diligentius a quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit: item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod poſteriore Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus, hæc omnia per eos miſimus vobis. Ex hactenus recitatis habemus, Concilium Carthaginenſe, Concilium Milevitanum, quinque præcipuos Eccleſiæ Africanæ Epiſcopos, Aurelium, Alypium, Auguſtinum, Ævodium, Poſſidium: præterea Concilium Africanum ex Proſp. Lib. contra Collat. cap. 5. num. 15. Epiſcoporum CCXXIV. an. 418. Kalendis Maiis celebratum, priora ad Innocentium, poſtremum hoc ad Zoſimum Romanos Pontifices, tanquam ad primos atque ſupremos controverſiarum fidei judices, totam Pelagianam cauſſam diſcutiendam detuliſſe, atque ultimò conficiendam in eos rejeciſſe. Habemus Pelagium, atque Cæleſtium a duobus Romanis Pontificibus toto Chriſtiano orbe damnatos. Habemus e Sede Romanâ, quam tunc temporis tenebat Zoſimus, ad omnes Eccleſiæ univerſæ Epiſcopos epiſtolas emanaſſe, quibus Zoſimus Romanus Pontifex, poſt duodecim Synodos in cauſſa Pelagiana locis diverſis celebratas, Pelagium atque Cæleſtium, cum abſurdis illorum erroribus, ultimâ ſententiâ fregit, ac profligavit. Hæc eſt celebris illa *Tractoria*, quæ a Zoſimo, tanquam formula Fidei, ab univerſis Epiſcopis ſubſcribenda emanavit: quod ab omnibus præſtitum eſt, exceptis octodecim cum Juliano Eclanenſi Epiſcopis Pelagianis, qui ſubſcribere recuſarunt, & ab ultimo Romani Pontificis judicio definitivo, ſicut nunc Queſneliani, ad futurum Concilium Oecumenicum appellarunt. De hac Tractoria loquitur Proſper contra Collatorem cap. 41. ſub finem, cujus hæc in rem noſtram præclariſſima verba ſunt, *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur annexuit: & ad impiorum detrun-*

Digitized by Google

cationem GLADIO PETRI dexteras omnium armavit Antiſtitum. Jam verò ex hujuſmodi monumentis, a S. Auguſtino indicatis, luculentiſſimè apparet, Romanum Pontificem caput eſſe univerſi regiminis eccleſiaſtici, quod ab uno Romano Pontifice eſt repetendum. Tales eſſe ſe declararunt in cauſſa Pelagiana Innocentius, & Zoſimus: talem ſe præbuit Innocentius: talem ſe præſtitit Zoſimus: tales habiti ſunt ambo Romani Pontifices non ſolum verbis & ſcriptis, ſed rebus ipſis, conſpicuiſquè factis, & a Patribus Africanis, & ab univerſis Chriſtiani orbis Epiſcopis. Concludendum eſt igitur ex S. Auguſtino, conſpicuum Eccleſiæ regimen eſſe monarchicum, ſub uno conſpicuo capite Romano Pontifice.

Ad primum ergò dicendum, Sanctum Auguſtinum diſputantem adverſus Donatiſtas, qui ab Catholica Eccleſia ſe ſe alienaverant, & peculiarem Eccleſiam in Africa ſibi condiderant, quam ſolam veram eſſe Chriſti Eccleſiam prædicabant, frequentiſſimè in ſuis operibus Donatiſtas refellere, ac confutare demonſtrando, veram Chriſti Eccleſiam unam eſſe, atque Catholicam. Hinc factum eſt, ut non infrequenter de univerſa Chriſti Eccleſia verba illa Chriſti Domini in ſenſu allegorico fuerit interpretatus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, cum iis quæ ſequuntur. At verba eadem in litterali etiam ſenſu explicat S. D. de Petro, ejuſdemque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus. Sic in Pſalmo contra partem Donati tom. 9. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsâ Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*.

Ad ſecundum pariter dicendum eſt, Sanctum Auguſtinum, qui ſatis frequentèr in ſuis ad populum concionibus ad refellendos Donatiſtas dilabitur, ſibi propriam ac ſingularem poteſtatem Eccleſiaſticam vindicantes, totamque Eccleſiam intra anguſtiſſimum factionis ſuæ ſpatium contrahentes, ſolitum fuiſſe verba illa Chriſti Domini ad Petrum in ſenſu allegorico interpretari de univerſâ Eccleſia, cujus perſonam ſuſtinuiſſe Petrum, atque expreſſiſſe affirmat. Ceterùm ſatis perſpectam, at-

Digitized by Google

atque exploratam ſibi fuiſſe in Petro ſingularem quamdam poteſtatis præſtantiam, quam in Apoſtolis ceteris non agnovit, eruitur luculentiſſimè tum ex eo, quod Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. affirmat, unum illum Apoſtolum Petrum in ordine Apoſtolorum fuiſſe primum atque præcipuum, tum ex eo, quod Lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. tom. 8. docet, Petrum factum fuiſſe Paſtorem univerſæ Eccleſiæ, quemadmodum Moyſes factus fuit rector Synagogæ univerſæ, tum ex eo, quod Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. contendit, principatum Apoſtolatûs, Apoſtolicamque Cathedram Romanam Petri, cuilibet Epiſcopatui, cuilibet Cathedræ, ac proinde Alexandrinæ, Antiochenæ, Jeroſolymitanæ, Apoſtolicis ceteroquin Cathedris, anteponendam eſſe, ac præferendam. Singularis autem poteſtatis præſtantia præ Apoſtolis ceteris, quâ fultus munituſque fuit Petrus, in eo poſita & collocata eſt, quòd poteſtas hujuſmodi fuerit in Petro ordinaria, morte Petri non extinguenda, ſed in Romanos Pontifices ſucceſſores Petri transfundenda, ac ſalva atque integra conſervanda. Contra vero poteſtas ſimilis in Apoſtolis ceteris fuit extraordinaria, quæ cum Apoſtolis reliquis expiravit, neque in ſingulos alios Epiſcopos, ſucceſſores Apoſtolorum, ab his emanando, defluxit. Utrumque fieri opus erat, ut res maximè conſentanea, tum ad primò condendam inſtituendamque novam Eccleſiam, tum ad jam conditam atque inſtitutam ſatis opportuno atque congruo monarchico deinceps regimine gubernandam.

Ad tertium dicendum ex Sancto Auguſtino & Petram eſſe Chriſtum, & Petram eſſe Petrum: ſed inter utramque Petram hoc ad rem noſtram diſcriminis intercedit, quod Chriſtus Dominus eſt prima Petra primumque fundamentum Eccleſiæ: Petrus autem eſt ſecunda Petra atque alterum fundamentum ejuſdem Eccleſiæ, ſuperaddita primæ Petræ, quæ eſt Chriſtus Dominus, a quâ Simon Petri nomen ſortitus eſt. Quod autem ex S. Doctore Petrus, ejuſdemque ſucceſſores Romani Pontifices ſint ſecundaria Petra & alterum fundamentum Eccleſiæ, cui tota moles Eccleſiæ univerſalis innititur, patet ex

Digitized by Google

verbis ſupra recitatis S. Doctoris ex Pſalmo contra partem Donati tom. 9. ubi *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsâ Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Ceterum non dixit Dominus Petro Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* At verò dixit, *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Siquidem antiquiſſima verſio Syriaca, ad Apoſtolica tempora proximè accedens, Arabica, Æthiopica, Perſica non habent, *Tu es Petrus*; ſed habent è contra, *Tu es Petra.* In Græca autem verſione legitur, σὺ εἶ Πέτρος, ideſt, *Tu es Petrus*, vel *Petra*. Græca enim vox Πέτρος, & Petrum, & Petram ipſam ſignificat. Accedit Chriſtum Dominum, ipſoſque Apoſtolos vernaculâ populi Hebræi linguâ eſſe locutos: At vernacula tunc temporis Hebræorum lingua non erat amplius Hebraica, ſed quæ dicitur Hieroſolymitana, ideſt, Syro-Chaldaica. Lingua enim vulgò Chaldaica, & lingua vulgò Syriaca eſt una eademque lingua, a veteri Chaldaica derivata, nec aliter differunt inter ſe, quàm pronuntiatione diverſa, diverſaque vocalium litterarum uſurpatione. Jam verò poſt ſatis diuturnam, ſpatio annorum ſeptuaginta, Babilonicam captivitatem, Hebræi in Paleſtinam ex Chaldæorum regione reduces, patriæ linguæ fermè omnes obliti, peregrinam Chaldæorum linguam, Hebraiſmo non levitèr adſperſam, ſecùm aſportaverunt, novamque civem in patriam antiquam deduxerunt, quam ad tempora uſque Chriſti Domini pro vernaculâ, & populari linguâ deinceps uſos fuiſſe compertum eſt. Itaque Chriſtus Dominus verba faciens ad Petrum Matth. 16. 18. voce Chaldaica כיפא *Kepha*, quæ eadem eſt cum voce Syriaca ܟܐܦܐ *Kipho*, Simonem Bar-Jona appellavit, novoque indito illi nomine, ei benè precatus eſt. At vox utraque Syro-Chaldaica, dialecto Hieroſolymitana tunc *Kepha*, dialecto autem Antiochena nunc *Kipho*, quæ reſpondent Hebraicæ voci בלע *ſelahh Petra*, idem ſignificàt, idemque ſonat, quod Latina vox noſtra *Petra*, quam vocem uſitatiori maſculini generis inflexione, Latina noſtra vulgata convertit in vocem *Petrus*, quâ dein-

Digitized by Google

deinceps Simon Bar-Joña, uſitato ac ſingulari nomine ipſi indito, *Petrus* eſt appellatus. Locupletiſſimum teſtem accerſo S. Hieronymum, in orientalibus linguis diu multùmque verſatum, apprimèque eruditum, qui in caput 2. Epiſt. ad Galat. tom.VII. edit. Veron. anno 1737. pag. 409. vocem Hebraicè ſive Syriacè, *Cephas*, Græcè & Latinè vertit in vocem *Petra*: *Non quo aliud*, inquit, *ſignificet Petrus, aliud Cephas. Sed quòd, quam nos Latinè & Græcè Petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri, propter linguæ inter ſe viciniam, Cepham nuncupent*. Quamobrem apud Orientalium linguarum peritos nullum poteſt habere locum ea ratio, quæ ab etymologia nominis eſt deſumpta. Neque enim Simon a Chriſto Petra, *Petrus*: neque Chriſtus a Simone Petro, *Petra*; ſed Simon a Chriſto Domino, qui Petra eſt, *Petra* ſimilitèr eſt appellatus, quando ſic eum præ Apoſtolis ceteris honorificentiſſimè eſt allocutus, *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*.

Ad quartum dicendum S. Auguſtinum, qui more ſuo allegoriis indulget, iterum loco producto a litterali ad ſenſum allegoricum deflectere, ac declinare. Etenim eo ſermone Donatiſtas exagitat, quòd ſolos ſe Chriſtiani gregis Paſtores, intrâ ſuum privatum ovile concluſos, venditarent, oſtentarentque. Ceterum quamvis Sanctus Doctor loco producto verba illa Chriſti Domini ad Petrum, *Paſce oves meas*, ad ceteros etiam diſcipulos referat, nihilominus primatui Petri minimè derogat, quinimò primatum hujuſmodi apertè declarat docens, quod Dominus poſt reſurrectionem oves ſuas commendavit paſcendas *Petro primitùs, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus*. Et ſub finem objecti loci *Dominus*, inquit, *ſemel, & iterùm, & tertio oves ſuas commendavit Petro*.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) Non eſt *inconguum ſi Petrus poſt peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ*. (b) *In illo* ergò *uno* Apoſtolo, *id eſt, Petro in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo figurabatur*

Digitized by Google

tur Eccleſia. (c) *Quis enim neſcit illum Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed ſi diſtat cathedrarum gratia, una eſt tamen Martyrum gloria*. (d) *Numerate* ergò *Sacerdotes ab ipsâ Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. (e) Nam *in Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus*. (f) Hinc *qualis* B. *Melchiadis* contra Donatiſtas *eſt ultima prolata ſententia, quàm innocens! quàm integra! quàm provida! quàm pacifica!* O *virum optimum! O filium Chriſtianæ pacis, & Patrem Chriſtianæ plebis!* (g) Hinc *tibi* etiam o Juliane *puto eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Sancto Innocentio vide quid reſpondeas, qui nihil aliud de hac re ſapit, quàm quod Irenæus, Cyprianus, Ambroſius, Hilarius, Reticius, Olympius, in quorum te conventum, ſi tamen prodeſt aliquid, introduxi. Cum his etiam ipſe conſidet Innocentius, etſi poſterior tempore, Prior loco*. (h) Hunc ergò audi: *In requirendo de his rebus, quas omni cum ſollicitudine decet a Sacerdotibus, maximèque a vero juſtoque catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quàm anteà cum pronuntiaretis, verâ ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit, quem ſequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod Patrum inſtituta Sacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis in disjunctis remotiſque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur; indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ (velut*

lut

Digitized by Google

lut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid præciperent, quos abluerent, quos, velut cœno inemundabili ſordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret. (i) *Diligenter ergò, & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana, honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecùs, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſequuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam, ſcientes, quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent: præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, atque coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis, & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum Pelagium, atque Cæleſtium, ad duplicis relationem Synodi, ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab eccleſiaſtica communione ſejunctos.* (k) *Miſſæ ſunt* quippè *de hac re ex duobus conciliis Carthaginenſi, & Milevitano relationes ad Apoſtolicam Sedem. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipſa cauſsá aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* (l) Cum enim hujuſcemodi hæreſis, *vel auctores, vel certè acerrimi, notiſſimique ſuaſores Pelagius, & Cæleſtius extitiſſent, conciliorum Epiſcopalium vigilantiá in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt, de quibus exempla recentium litterarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memoratà Sede manarunt, ne fortè ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti.* (m) *Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium, Romanæ urbis Epiſcopum, de Concilio provinciæ Carthaginenſis, & de Concilio*

Nu

Numidiæ, & aliquantò diligentius a quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit: item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus, hæc omnia per eos miſimus vobis. (n) Hæc autem ſunt, quæ ad Papam Innocentium ſcripſimus, *Si cognoverint* Pelagiani *eundem Pelagii librum, quem illius vel putant eſſe, vel norunt, Epiſcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè ſanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipſo anathematum, atque damnatum, non eos ulteriùs exiſtimamus auſuros, loquendo contrâ gratiam Dei, quæ revelata eſt per paſſionem, & reſurrectionem Chriſti, pectora fidelia & ſimpliciter chriſtiana turbare.* (o) Item ad Bonifacium Papam, *Cum non deſinant Pelagiani fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus undecunque rimari, communiſque ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatûs officio, quamvis ipſe in ea præemineas celſiore faſtigio, ſpecula paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particulâ muneris.* Hactenus ex S. Auguſtino, & ex S. Innocentio Papa.

(*a*) Lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. tom. 8. (*b*) Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. (*c*) Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. (*d*) In Pſalmo contra partem Donati tom. 9. (*e*) Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom. 2. (*f*) Ibidem cap. 5. num. 16. tom. 2. (*g*) Lib. 1. contra Jul. cap. 4. num. 13. tom. 10. (*h*) Innoc. Papa ad PP. Conc. Carthag. Epiſt. 181. num. 1. tom. 2. (*i*) Idem ad PP. Conc. Milevit. Epiſt. 182. num. 2. tom. 2. (*k*) Epiſt. 186. ad Paulinum. cap. 1. num. 2. tom. 2. (*l*) Epiſt. 190. cap. 6. num. 22. tom. 2. (*m*) Epiſt. 205. ad Valent. num. 2. tom. 2. (*n*) Epiſt. 177. ad Innoc. Papam num. 15. tom. 2. (*o*) Lib. 1. contrâ duas Epiſt. Pelag. cap. 1. num. 2. tom. 10.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino Petrus fuerit primus omnium Apoſtolorum, atque fundamentum Eccleſiæ univerſæ?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Petrus non fuerit Eccleſiæ univerſæ fundamentum. Siquidem præter ea, quæ ex S. Doctore producta ſunt articulo ſuperiore, ſubjectæ hìc ſententiæ propoſitam definitionem ſatis probabilem ſic manifeſtare videntur.

I. LIb. 1. Retract. cap. 21. num. 1. tom. 1. in recenſione Libri contra Epiſtolam Donati, *In quo dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus cantatur etiam ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe quod a Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ut ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; ac ſic Petrus ab hac petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cælorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es Petra; ſed, Tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector.*

II. Tract. 124. in Jo. num. 5. tom. 3. *Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatûs ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Chriſtianus, abundantiore gratiâ unus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris ſuper ter-*

terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ fundata eſt ſuper petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, ſed Petrus a petra; ſicut non Chriſtus a Chriſtiano, ſed Chriſtianus a Chriſto vocatur. Ideo quippè ait Dominus, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Super hanc ergò, inquit, petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergò, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni Cælorum accepit in Petro, ideſt, poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata. Quod eſt enim per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, qua ſignificatione intelligitur Chriſtus Petra, Petrus Eccleſia.

III. Serm. 76. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Quia enim Chriſtus Petra, Petrus populus Chriſtianus, Petra enim principale nomen eſt; ideo Petrus a Petra, non Petra a Petro; quomodò non a Chriſtiano Chriſtus; ſed a Chriſto Chriſtianus vocatur: Tu es ergò, inquit, Petrus, & ſuper hanc Petram, quam confeſſus es, ſuper hanc Petram, quam cognoviſti, dicens, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam: ideſt: Super meipſum Filium Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te.*

IV. In Pſalmo 60. num. 30. tom. 4. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Ergò illa clamat a finibus terræ, quam voluit ædificare ſuper Petram. Ut autem ædificaretur Eccleſia ſuper Petram, quis factus eſt Petra? Paulum audi dicentem, Petra autem erat Chriſtus. In illo ergò ædificati ſumus.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex Sancto Auguſtino, Petrum fuiſſe primum omnium Apoſtolorum, atque Eccleſiæ univerſæ fundamentum. Id enim ſuadent ſelectæ quædam S. Auguſtini ſententiæ, quas hìc ordine ponimus.

I. Serm.

Digitized by Google

I. Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. *In illo ergò uno Apoſtolo, ideſt, Petro in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, utrumque genus ſignificandum fuit, ideſt, firmi, & infirmi; quia ſine utroque non eſt Eccleſia.*

II. Serm. 147. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Apoſtolum Petrum, primum omnium Apoſtolorum, meminiſtis in Domini paſſione fuiſſe turbatum: a ſe turbatum, ſed a Chriſto renovatum.*

III. Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare.*

IV. Tract. 124. in Jo. num. 7. tom. 3. *Omnibus igitur Sanctis, ad Chriſti corpus inſeparabiliter pertinentibus, propter hujus vitæ procelloſiſſimæ gubernaculum, ad liganda, & ſolvenda peccata, claves regni cælorum primus Apoſtolorum Petrus accepit*. Expreſſiſſimis verbis docet Auguſtinus, locis ſupra productis, Petrum fuiſſe primum, atque præcipuum omnium Apoſtolorum, qui vi & ratione Apoſtolici ſui primatûs, a Chriſto Domino ſibi collati, perſonam ſuſtinebat, atque figuram præſeferebat Eccleſiæ univerſæ. Hinc autem eruitur non modo dignitate, & honore; verum etiam auctoritate, & poteſtate primum Apoſtolorum omnium fuiſſe Petrum. Hac de cauſſa Evangeliſtæ dum numerum Apoſtolorum recenſent, eorumque nomina recitant, ſemper exordiuntur a Petro, atque inter omnes primum fuiſſe declarant. Sic Matth. 10. 2. *Duodecim*, inquit, *Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus*. Luc. 6. 13. *Vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit: Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus*: & ſic deinceps. Et Act. 1. 13. *Cum introiiſſent in cænaculum, aſcenderunt ubi manebat Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas*, & ſic de ſingulis uſque ad poſtremum Judam Jacobi. Præterea Act. 1. 15. Petrus ſe caput, ducem, & principem Apoſtolorum omnium declaravit, cum, ex conſeſſu Apoſtolico primus aſſurgens, duodecimi Apoſtoli creationem verbis graviſſimis, ſupremamque ſuam poteſtatem, auctoritatemque ſignificantibus ſic indixit, ac denuntiavit: *Exurgens*

Digitized by Google

Petrus in medio fratrum dixit .... Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus-Sanctus per os David de Juda .... Oportet ergò ex his viris .... teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. In Apoſtolico autem Jeroſolymitano Concilio, ubi Jacobus aderat Jeroſolymitanus Epiſcopus, ubi aderant Paulus, & Barnabas, omnium primus ſurrexit Petrus, omnium primus verba fecit Petrus, quo loquente, atque ſententiam dicente, *Tacuit omnis multitudo*: Act. 15. 12. omneſque aſſenſi ſunt Petro, atque in Petri ſententiam diſceſſerunt omnes, cum Jacobo Apoſtolo, qui poſt Petrum proximus, utpotè loci Epiſcopus, pronuntiavit ſententiam.

Primus ergò Apoſtolorum omnium fuit Petrus, ſingulari auctoritate, & poteſtate a Chriſto Domino ornatus, & auctus. Omnes profectò Apoſtoli inter ſe pares erant, & Apoſtolico munere, & auctoritate Canonica, & Epiſcopatu Oecumenico, quamvis ſinguli provincias ſingulas, uti facto opus erat ad novam Eccleſiam primò conſtituendam, ſortiti fuerint. At hæc auctoritas, atque poteſtas fuit in Petro ordinaria; in ceteris autem Apoſtolis, extraordinaria. Apoſtolicam autem, Canonicam, atque Oecumenicam poteſtatem, auctoritatemque in Apoſtolis ceteris extraordinariam fuiſſe, in eo poſitum & conſtitutum eſt, quod hujuſmodi auctoritas, atque poteſtas, qualis neceſſaria erat ad novam Eccleſiam primò condendam, cum Apoſtolis ceteris extincta ſit, eo quòd ex Apoſtolis ceteris in Epiſcopos ſingulos ſucceſſores Apoſtolorum minimè defluxerit, neque pervenerit. Contra vero Apoſtolica, Canonica, atque Oecumenica poteſtas, & auctoritas Petri in ſingulos Romanos Pontifices, ſucceſſores Petri, jure quodam hereditario, & vi ſucceſſionis transfertur, atque traducitur. Neque enim extincto Petro ſublata eſt, ſed permanet adhuc ſuperſtes in Romanis Pontificibus, ſucceſſoribus Petri: quod ſanè fieri oportebat ad conſervandam deinceps, amplificandamque Eccleſiam, poteſtate extraordinaria ab Apoſtolis ceteris jam conſtitutam, atque corroboratam. Sic gratia exempli Apoſtolica, Canonica, atque Oecumenica poteſtas, auctoritaſque Petri in

Li-

Digitized by Google

Linum Romanum, Petri ſucceſſorem, defluxit: contra vero Apoſtolica, Canonica, atque Oecumenica poteſtas, auctoritaſque Jacobi in Simeonem Jeroſolymitanum, Jacobi ſucceſſorem, nequaquam manavit. Quamobrem ex hactenus diſputatis, Auguſtino teſte atque auctore, dicendum eſt, Petrum fuiſſe primum omnium Apoſtolorum, non modo dignitate, & honore; verum etiam auctoritate, ac poteſtate.

V. Tract. 56. in Jo. num. 1. tom. 3. *Facilius ſic accipiuntur iſta verba Evangelii, quia cum dictum eſſet, Cæpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus; deinde ſubjunctum eſt, Venit ergo ad Simonem Petrum, quaſi aliquibus jam laviſſet, & poſt eos veniſſet ad primum. Quis enim neſciat primum Apoſtolorum eſſe Beatiſſimum Petrum?*

VI. Ad Seleucianam Epiſt. 265. num. 2. tom. 2. *Quod autem Petrus dicitur egiſſe pœnitentiam, cavendum eſt, ne ita putetur egiſſe, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè pœnitentes vocantur: Et quis hoc ferat, ut primum Apoſtolorum inter tales pœnitentes numerandum putemus?*

VII. Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. *Puto quod ſine ullá ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum*. Accepimus ex S. Auguſtino, rem eſſe notiſſimam, maximèque illuſtrem, atque teſtatam, primum Apoſtolorum omnium fuiſſe Petrum beatiſſimum. Hinc autem, inſtitutâ comparatione Petrum inter & Cyprianum, S. Doctor affirmat, quantum ad coronam martyrii pertinet, pares inter ſe fuiſſe Petrum, & Cyprianum. Quod verò ſpectat ad Epiſcopatûs præſtantiam, Apoſtolicum Petri principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe; ac proindè Antiocheno, Alexandrino, Jeroſolymitano, quamvis Apoſtolici fuerint Epiſcopatus, Romanum Epiſcopatum Petri anteponendum jure, meritoque cenſeri. Hinc factum eſt, ut S. Auguſtinus Romanam Petri Sedem, tanquam firmiſſimam petram, ac fundamentum Eccleſiæ, Donatianis objecerit, quos alloquens: *Numerate*, inquit in Pſalmo contra

tra partem Donati pag. 5. L. A. tom. 9. *Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede; & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Neque enim S. Doctor dixit, Numerate Sacerdotes ab Jeroſolymitana Jacobi, vel ab Alexandrina Marci, vel a priſtina Sede Antiochena Petri; ſed ab ipſa recentiore Sede Petri, quæ eſt Romana; & hanc eam Petram eſſe docet, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Libro autem contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. num. 5. tom. 8. conventiculis Manichæorum Catholicam Eccleſiam S. Doctor opponens, Epiſcoporum ſucceſſione perpetuâ, qui non ab alia, quàm a Sede Romana Petri ſuam originem repetunt, tanquam arctiſſimo veritatis vinculo obſtrictum teneri ſe juſtiſſimè in Eccleſia Catholica profitetur, *Tenet me in Catholica Eccleſia*, inquit loco commemorato, *ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas, poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Accedit eòdem auctoritas S. Cypriani, Patris, atque ſcriptoris Afri, & III. ſæculi primi luminis, *Viri*, de quo ſic S. D. Lib. 2. contra Creſconium cap. 32. num. 40. tom. 9., *cujus laudem aſſequi non valeo, cujus multis litteris mea ſcripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus caritatem miror, cujus martyrium veneror*. Hic igitur in eo libro, qui de Unitate Eccleſiæ inſcribitur, pag. 397. edit. Baluz. Venet. anno 1728. quem librum S. Auguſtinus cap. 33. num. 42. loco commemorato contra Donatianos uſurpat, mirificeque commendat, Sanctus, inquam, Cyprianus ex unâ parte ibi docet, Apoſtolis omnibus parem poteſtatem a Chriſto Domino fuiſſe tributam, omneſque pari conſortio honoris, & poteſtatis præditos fuiſſe divinitùs; ac proinde parem fuiſſe in Apoſtolis ſingulis Apoſtolicam, Canonicam, & Oecumenicam poteſtatem, auctoritatemque. Ex alterâ verò parte Cyprianus ibidem affirmat, Supra unum Petrum Eccleſiam ſuam Chriſtum Dominum ædificaſſe: Uni Petro oves ſuas paſcendas mandaviſſe: Ut unitatem Eccleſiæ ſuæ manifeſtaret, & palam faceret, unitatis ejuſdem originem, ab uno Petro incipientem, ſuâ Chriſtum auctori-

Digitized by Google

ctoritate diſpoſuiſſe: Apoſtolici honoris, & poteſtatis exordium ab unitate, ſcilicet, ab uno Petro profectam eſſe: Datum Petro primatum, ut una in uno Petro Cathedra demonſtretur. Ecce verba S. Cypriani loco laudato: *Supra illum unum* Petrum *ædificat Eccleſiam ſuam* Chriſtus; *& illi paſcendas mandat oves ſuas: & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat..... tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur: & Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*. Hæc autem, quæ primo aſpectu ſecum pugnantia videntur, inter ſe optimè conciliantur dicendo, peculiarem eam poteſtatem, auctoritatemque, quæ tum ratione Apoſtolatûs, tum ratione novæ Eccleſiæ condendæ, in Apoſtolis ceteris fuerat extraordinaria, in Apoſtolo Petro, tum ratione Romanæ Cathedræ, tum ratione confirmandæ, amplificandæque Eccleſiæ jam conditæ, ordinariam fuiſſe; ac proinde in Romanos Pontifices ſucceſſores Petri derivandam, ac tranſmittendam. Itaque ex S. Auguſtino, præeunte S. Cypriano, Petrus fuit primus omnium Apoſtolorum non modo dignitate, & honore; verum etiam auctoritate, ac poteſtate.

VIII. In Pſal. 108. num. 1. tom. 4. *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur; nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit; ſicuti eſt: Tibi dabo claves regni Cælorum. Et ſiqua hujuſmodi*.

IX. Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. *Nos in Scripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum, a poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum*.

X. Tract. 124. in Jo. num. 5. tom. 3. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatûs ſui primatum, gerebat figurata gene-*

Digitized by Google

generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Chriſtianus, abundantiore gratiâ unus idemque primus Apoſtolus. Docet in ſuperioribus Auguſtinus abundantiori, atque mirificè præſtantiori munere Divinæ gratiæ, Petrum fuiſſe primum Apoſtolorum, ſummumque primatûs apicem atque faſtigium inter Diſcipulos, & Apoſtolos ceteros divinitûs obtinuiſſe. Munere autem, vi, & ratione Apoſtolici ſui primatûs, a Chriſto Domino ſibi delati, univerſæ Eccleſiæ perſonam geſſiſſe Petrum, atque præſetuliſſe. Jam verò primatus Petri, qui in tanta erat apud Auguſtinum admiratione, primò quidem non eſt dicendus primatus ætatis, in eo poſitus, quod Petrus fuerit Apoſtolis ceteris major natu, atque ætate provectior; neque enim maturior ætas ad copioſius, præſtantius, & ſingulare munus pertinet Divinæ gratiæ, cum inter communia naturæ munera ſenilis ætas recenſeatur: rurſus non eſt affirmandus vocationis primatus, quaſi prior Apoſtolis ceteris Petrus fuerit a Chriſto vocatus; etenim Petrus una cum Andrea fratre ſuo, Matth. 4. 19., & Marc. 1. 17. eadem voce, *Venite poſt me, & faciam vos fieri Piſcatores hominum*, fuit a Chriſto vocatus. Dato autem, primum Apoſtolorum omnium Petrum fuiſſe vocatum, ex hoc nulla ratione conſequitur omnium primæ vocationis primatum munus illud fuiſſe uberioris, ac præſtantioris Divinæ gratiæ. Tertio nec ſtatuendus eſt univerſæ, quam præſeferebat, Eccleſiæ ſymbolicus perſonæ primatus: neque enim ex ſymbolica Eccleſiæ univerſæ perſona Petri primatum; ſed ex Petri primatu ſymbolicam in Petro univerſæ Eccleſiæ perſonam Auguſtinus infert, atque deducit. Quid, quod purum putumque ſymbolum Eccleſiæ univerſæ, mirificum illud præſtantiſſimumque munus abundantioris excellentiorìſque gratiæ, ſatis abſurdè, ineptèque prædicaretur? Poſtremò primatus Petri minimè conſtituendus eſt in mero, ac ſolo honoris, & dignitatis primatu, eo quòd Petrus Apoſtolis ceteris honoratior fuerit, atque omnes inter Apoſtolos locum tenuerit honorificentiſſimum, cui ſingularem cultum, obſequium, reverentiam, obſervantiamque ceteri omnes Apoſtoli exhibuerint.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis enim Apoſtoli ceteri, debitis hujuſmodi reverentiæ officiis, erga Apoſtolum Petrum ſemper perſuncti fuerint, adhuc tamen major honorificentia, & adeo magna, quàm quæ maxima, inter præcipua abundantioris, admirabilioris, excellentioriſque gratiæ munera non continetur. Reſtat igitur ex S. Auguſtino, Apoſtolicum Petri primatum, quo Apoſtolis ceteris antecellebat Petrus, in eo poſitum, ac conſtitutum eſſe, quòd ſingulari auctoritate, ac poteſtate ordinaria præ Apoſtolis ceteris a Chriſto Domino fuerit cumulatus, inſtructus, atque munitus, quæ per Petri obitum delenda non erat; ſe a morte Petri in Romanos Pontifices, ſucceſſores Petri, utpotè ad tuendam, conſervandamque conditam jam Eccleſiam prorſus opportuna, & idonea, derivanda erat, ac traducenda. Quamobrem ex S. Auguſtino concludendum eſt, Petrum fuiſſe primum omnium Apoſtolorum, non modò dignitate, & honore; verum etiam auctoritate, ac poteſtate.

XI. In Pſal. 39. num. 25. tom. 4. de Petro. *Præcedere volebat Dominum, & conſilium dare Magiſtro. Dominus autem, ut non eum faceret præcedentem, ſed ſequentem, Redi, inquit, retrò Satanas. Ideo, inquit, Satanas, quia vis antecedere eum, quem debes ſequi: ſi autem retrò fueris, & ſecutus fueris, jam non Satanas. Quid ergò? Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

XII. In Pſal. 55. num. 15. tom. 4. *Dominus illi, cui paulò ante dixerat, Beatus es: & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Redi, inquit, retrò Satanas, ſcandalum mihi es. Quare ergo Satanas, qui paulò ante Beatus, & Petra? Non enim ſapis, quæ Dei ſunt, ait, ſed quæ ſunt hominis: paulò ante, quæ Dei, quia non revelavit tibi caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.*

XIII. In Pſal. 69. num. 4. tom. 4. *Petrus, qui paulò ante eum confeſſus erat Filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat Petra, ſupra quam fabricaretur Eccleſia.*

XIV. In Pſal. 138. num. 22. tom. 4. *Jamdudum quia dixerat, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, audivit: Non tibi revelavit caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui in cælis eſt; ideo*

Petra, *ideo Beatus*. Jam verò ad ſingularem hominem illum, qui eſt Petrus, Auguſtinus refert illa Chriſti Domini verba, Matth. 16. 18., *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: non ſecus atque ex S. Doctore, ad illum eundem ſingularem hominem Petrum certum eſt pertinere poſteriora Chriſti Domini verba, quæ eodem loco, Matthæi videlicet 16. 23., recitantur, *Redi retrò Satanas*. Illi enim eidem Petro ex Sancto Auguſtino Chriſtus Dominus dixit, *Redi retrò Satanas*, *ſcandalum mihi es*, cui paulò ante dixerat, *Beatus es*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; quem appellatum a Chriſto *Petram*, ſupra quam fabricaretur Eccleſia, & ideo Petram, ideoque Beatum, quia dixerat, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, Sanctus Doctor diſertiſſimè affirmat, atque demonſtrat luculentiſſimè. Conſtat igitur ex S. Auguſtino, Apoſtolum Petrum eam eſſe Petram, ſupra quam Chriſtus ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam promiſerat, fidemque ſuam, divinâ humanâque qua pollebat auctoritate interpoſitâ, obligaverat, atque obſtrinxerat. Præivit Auguſtino Hipponenſi Cyprianus Carthaginenſis, Afer Afro, qui Epiſt. 55. edit. Baluz. Venet. anno 1728. pag. 178. F. ad Cornelium Romanum Pontificem tranſmiſsâ, *Petrus*, inquit, *ſupra quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia*. Et Epiſt. 71. ad Quintum pag. 273. B. *Petrus*, *quem primum Dominus elegit*, *& ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam*. Et Epiſt. 73. ad Jubajanum pag. 280. C. *Petro primùm Dominus*, *ſuper quem ædificavit Eccleſiam*, *& unde unitatis originem inſtituit*, *& oſtendit*, *poteſtatem iſtam dedit*, *ut id ſolveretur in cælis*, *quod ille ſolviſſet in terris*. Et Lib. de unitate Eccl. pag. 397. A. *Super illum unum* Petrum *ædificat* Chriſtus *Eccleſiam ſuam*, *& illi paſcendas mandat oves ſuas*. Et ſuperiori Epiſt. 73. ad Jubajanum pag. 281. D. *Ad Eccleſiam quæ una eſt*, *& ſuper unum*, *qui & claves ejus accepit*, *Domini voce fundata eſt*. Quamobrem ex S. Auguſtino, qui ducis, majoris, atque indigenæ ſui Cypriani veſtigia relegit & conſectatur, dicendum eſt, Apoſtolum Petrum univerſæ Eccleſiæ fundamentum fuiſſe.

Ad primum ergo dicendum, S. Auguſtinum objecto loco fa-

Digitized by Google

fateri ſe, illa Chriſti Domini verba Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, tanquam de ipſomet Petro pronuntiata quandoque accepiſſe, docuiſſeque in Petro, tanquam in Petra, Chriſti Eccleſiam eſſe fundatam. Hujuſmodi interpretationem de Petro ſecutus eſt Auguſtinus, præ locis aliis, in Pſal. 39. num. 25., in Pſal. 55. num. 15., in Pſal. 69. num. 4., in Pſal. 138. num. 22. tom. 4. Simili interpretationi faviſſe S. Ambroſium affirmat, cujus verſiculum illum de Petro, quod ipſe ſit Eccleſiæ Petra, ibi recitat Auguſtinus: *Hoc, ipſa Petra Eccleſiæ, canente* (gallo videlicet gallinaceo) *culpam diluit*. Nihilo tamen minus multò frequentius de ipſomet Chriſto Domino ſuperiora illa verba Matth. 16. S. Doctor interpretatur. Hanc verò interpretationem animo adeo facili, æquo, ac temperato S. Auguſtinus tuetur, ut ultrò permittat lectori ſuo, ut ex duplici interpretatione, alterâ de Petro, de Chriſto alterâ, eam, quæ probabilior ſibi videatur, pro libito eligat. *Harum autem duarum ſententiarum*, inquit S. Doctor objecto loco, *quæ ſit probabilior, eligat lector*. Ratio autem, quæ impulit Auguſtinum ad accipienda paſſim de Chriſto illa Matthæi verba, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ea fuit, quòd non dictum fuerit Petro, *Tu es Petra*, ſed illi, *Tu es Petrus*, fuerit dictum. *Non enim dictum eſt illi*, inquit eodem loco Auguſtinus, *Tu es Petra; ſed, Tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, dictus eſt Petrus*. At verò Matthæi 16. 18., qui Syro-Chaldaicè ſuum Evangelium conſcripſit, non dixit Chriſtus Dominus Simoni Petro, *Tu es Petrus*; ſed revera illi dixit, *Tu es Petra*: quod demonſtratum a nobis eſt articulo ſuperiori ad tertium. Ceterum hac ratione, ſecum ipſe conciliandus eſt Auguſtinus, dicendo, utrumque perſuaſum fuiſſe S. Doctori, videlicet, tum Chriſtum eſſe Petram, & fundamentum Eccleſiæ, de quo ſcriptum eſt, *Petra autem erat Chriſtus*. 1. Cor. 10. 4. Et rurſus, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: tum etiam ipſummet Petrum Petram eſſe, & fundamentum Eccleſiæ, de quo ſcriptum eſt Evangelio Matthæi

Digitized by Google

Syro-Chaldaico, ceteriſque verſionibus orientalibus, *Tu es Petra*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Cum hoc tamen diſcrimine, quod Chriſtus eſt prima Petra, primumque fundamentum Eccleſiæ: Petrus autem altera eſt a Chriſto Petra, atque alterum a Chriſto fundamentum; adeoque Chriſtus, primaria Petra, & fundamentum primarium; Petrus vero ſecundaria Petra eſt, fundamentumque ſecundarium, Chriſto Domino, qui primaria Eccleſiæ Petra eſt, & fundamentum primarium, ſuperadditus, innixus, ac ſuſtentatus.

Ad ſecundum pariter eſt dicendum, S. Auguſtinum objecto loco hæc duo a ſe invicem mutuò ſejungere, ac ſegregare, videlicet, primariam, & ſecundariam Eccleſiæ Petram: primarium, & ſecundarium Eccleſiæ fundamentum; atque ſtatuere, & definire, Chriſtum Dominum, ſecundariam Petram, fundamentumque Eccleſiæ ſecundarium procul dubio non eſſe, at verò primarium: contra verò Petrum, factâ comparatione cum Chriſto, non eſſe primariam petram, fundamentumque primarium Eccleſiæ, ſed planè ſecundarium. Diſcrimen hujuſmodi indicat S. Doctor objecto loco, ubi, *Non enim*, inquit, *a Petro Petra*; *ſed Petrus a Petra vocatur*, & paulò infra: *Petra enim erat Chriſtus*, *ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus*. Si enim in Eccleſiæ ædificio Petrus, nullo medio lapide interjecto, ſupra Chriſtum, primariam Petram, fundamentumque Eccleſiæ primarium, impoſitus eſt, atque ædificatus, eo ipſo conſequitur, facta Petri cum Chriſto comparatione, Petram Eccleſiæ primariam, primariumque Eccleſiæ fundamentum eſſe Chriſtum Dominum: Petrum autem ipſimet Chriſto incumbentem proximè, ſecundariam Petram, ſecundariumque Eccleſiæ fundamentum eſſe. Quod autem per illa verba, non tam ex verſionis græcæ rivulo derivata, quam ex Syro-Chaldaico Matthæi fonte petita, ſcilicet, *Tu es Petra*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſingulare aliquod, præcipuum, præſtantiuſque munus præ Apoſtolis ceteris Petro fuerit a Chriſto Domino collatum, atque tributum; munus, videlicet, ſe-

ſecundariæ Petræ, ac ſecundarii poſt Chriſtum Dominum fundamenti Eccleſiæ univerſæ, ex verbis ipſis objectæ ſententiæ oſtenditur ac declaratur. Sic enim habet, *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatûs ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiòre gratia unus idemque primus Apoſtolus.*

Ad tertium dicendum, Sanctum Auguſtinum loco producto docere, inter Chriſtum, & Petrum hoc maximè intereſſe, quod Chriſtus eſt prima Petra, primumque fundamentum Eccleſiæ; Petrus autem, quoniam Chriſto Domino innititur, atque ſuper incumbit, altera a Chriſto Petra eſt, atque alterum fundamentum; ac proinde Chriſtus, primaria Petra, fundamentumque primarium: Petrus vero, ſecundaria Petra, fundamentumque ſecundarium. Mentem ſuam Sanctus Doctor objecto loco, ſatis perſpectam, atque perſpicuam facit. Explicans enim illud Chriſti Domini oraculum Matthæi 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Chriſti Domini verbis ita Petrum alloquitur, *Super me ædificabo te; non me ſuper te*. Et rurſus ſequenti cap. & num. *Ut Petrus*, inquit, *ædificaretur ſuper Petram*, hoc eſt, ſuper Chriſtum: *non Petra*, ideſt Chriſtus, *ſuper Petrum*. Quod perinde ſe habet, ac ſi diceretur, primaria Chriſtus, non ſecundaria: Secundaria Petrus, non primaria eſt Eccleſiæ univerſæ Petra. Præcipua autem ratio, quæ Auguſtinum impulit ad interpretanda ſatis frequenter de Chriſto, primario Eccleſiæ fundamento, toties commemorata verba, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, bellum fuit acerrimum, quod Auguſtinum inter, & Donatianos exarſerat, quod diu, multùmque S. Doctorem exercuit, atque ſollicitum habuit. Cum enim Donatiani virtutem efficacitatemque Baptiſmi, primi aditus ad Eccleſiam, a ſanctitate baptizantis miniſtri pendere, atque ex ea profluere, ac proficiſci contenderent, eo ipſo non Deum-Hominem, ſed hominem purum, id eſt, non Chriſtum Dominum, ſed Chriſti miniſtrum aliquo modo, tanquam primarium fundamentum Eccleſiæ, ſi ſibi conſtare vellent,

lent,

Digitized by Google

lent, conſtituebant. Quamobrem S. Doctor, ne partes Donatianorum adjuvare, iiſdemque favere arbitraretur, ſi ſupra Patrum Eccleſiam diceret ædificatam, maluit de Petra primaria Eccleſiæ, quæ eſt Chriſtus Dominus, quàm de ſecundaria ejuſdem Eccleſiæ Petra, quæ Petrus eſt, recitata ſuperiùs verba interpretari. Hinc ſequenti numero loci objecti, ex Serm. 76. decerpti, habens præ oculis Donatianos, ita proſequitur: *Volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipſe eſt Petrus. Et alii, qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper Petram, Ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus, ubi cognovit ſe eligi, & Chriſtum contemni, Diviſus eſt, inquit, Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quomodo nec in Pauli; ſic nec in Petri; ſed in nomine Chriſti: ut Petrus ædificaretur ſuper Petram; non Petra ſuper Petrum.* Quod autem ſuperioribus verbis Donatianos Auguſtinus appetat, atque inſectetur, ex eo eruitur, quòd eandem ſententiam Apoſtoli Petiliano Donatianorum Epiſcopo iterum objicit, qua temerarium hominem ſpem ſuam in homine collocantem, ita reprimit, atque enervat, Lib. 1. contra Litteras Petiliani cap. 3. & 4. num. 4. & 5. tom. 9. *Itaque quiſquis in homine ſpem poſuerit, etiam quem juſtum, & innocentem novit, maledictus eſt. Unde & Apoſtolus Paulus eos, qui dicebant, ſe Pauli eſſe, objurgat, & dicit, Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quapropter ſi errabant illi, & niſi corrigerentur, perirent, qui volebant eſſe Pauli, quæ tandem ſpes eorum eſt, qui quærunt eſſe Donati. Id enim agunt iſti, ut origo, radix, & caput baptizati, non niſi ille ſit, a quo baptizatur.*

Ad quartum eadem cum ſuperiori eſt adhibenda reſponſio, dicendo, S. Auguſtinum ibi agere de primaria Petra, ac de primario Eccleſiæ fundamento, quod procul dubio Chriſtus eſt Dominus; at non proinde a ratione ſecundarii fundamenti, atque a ratione ſecundariæ Petræ, quæ ex inſtitutione divina ſupra Chriſtum, primariam Eccleſiæ Petram, jacta, conſtructa,

ćta, atque conſtrata eſt, Petrum excludere. Petrus enim eſt ſecundaria Petra, quæ nullo alio intercepto lapide, proxima eſt Chriſto Domino, qua ſuſtentatur, cui innititur, & ex qua attollitur tota Eccleſiæ univerſæ moles, totumque ædificium. Hinc in Pſal. 69. num. 4. tom. 4. *Petrus*, inquit S. Doćtor, *confeſſus fuerat Filium Dei*: *& in illa confeſſione appellatus erat Petra*, *ſupra quam fabricaretur Eccleſia*. Et in Pſal. 138. num. 22. tom. 4. *Petrus*, *quia dixerat*, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, *audivit*, *Non tibi revelavit caro*, *& ſanguis*, *ſed Pater meus*, *qui in cælis eſt*: *ideo Petra*, *ideo Beatus*. Quamobrem neque Auguſtinus, neque ceteri Patres a ratione Petræ, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia, Petrum faciunt alienum; ſed è re natâ, atque ex oblata ſibi occaſione, rei argumento, quod habent præ manibus, inſervientes, modò de Chriſto Domino, modò de Petro, modò de Chriſtifidelibus, modò de confeſſione fidei, interpretatione quidem varia & diverſa, non autem diſcrepanti & contraria, celebre illud Chriſti Domini oraculum interpretantur. Et revera tum Chriſtus, tum Petrus, tum Chriſtifideles, tum fides ipſa Petra illa ſunt, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia: Chriſtus, primaria; Petrus, ſecundaria; Chriſtifideles, inſtar materiæ; Fides ipſa, inſtar formæ, quibus firmiſſimis molibus, & fundamentis conſtruitur, amplificatur, attollitur, firmumque perſtat Eccleſiæ univerſæ ædificium.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Quis neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?* (b) *In quo uno Apoſtolo*, *in ordine Apoſtolorum primo*, *& præcipuo figurabatur Eccleſia*. (c) *Cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter primatum*, *quem in diſcipulis habuit*: (d) *Cujus Eccleſiæ*, *propter Apoſtolatûs ſui primatum*, *gerebat figurata generalitate perſonam*. *Quod enim ad Petrum propriè pertinet*, *naturâ unus homo erat*, *gratiâ unus Chriſtianus*, *abundantiore gratiâ unus idemque primus Apoſtolus*. (e) *In quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratiâ præeminet*: (f) Quem tamen *primum omnium Apoſtolorum*

lorum meminiſtis in Domini paſſione fuiſſe turbatum, a ſe turbatum, ſed a Chriſto renovatum: (g) Et ita renovatum, *ut primum Apoſtolorum ſuorum voluerit Dominus in urbe Roma glorioſſimo martyrio coronare*. (h) Qui jam *ad liganda, & ſolvenda peccata claves regni cœlorum primus Apoſtolorum accepit*: (i) Cujus *Apoſtolatûs principatus cuilibet Epiſcopatui eſt præferendus*. (k) Etenim *Petrus, qui paulò ante Chriſtum confeſſus erat Filium Dei, in illa confeſſione appellatus eſt Petra, ſupra quam fabricaretur Eccleſia*. (l) *Quia* enim *dixerat, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: audivit. Non tibi revelavit caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: ideo Petra: Ideo Beatus*. (m) Sed *illi cui* Dominus *paulò ante dixerat: Beatus es, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Redi, inquit, retrò Satanas, ſcandalum mihi es. Quare ergò Satanas, qui paulo ante Beatus, & Petra?* (n) *Quia præcedere volebat Dominum, & conſilium dare magiſtro. Dominus autem, ut non eum facere præcedentem, ſed ſequentem: Redi, inquit, retrò Satanas, quia vis antecedere eum, quem debes ſequi: Si autem retro fueris, & ſecutus fueris, jam non Satanas. Quid ergo? Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Tract. 56. in Jo. num. 1. tom. 3. (*b*) Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. (*c*) In Pſalm. 108. num. 1. tom. 4. (*d*) Tract. 124. in Jo. num. 5. tom. 3. (*e*) Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. (*f*) Serm. 147. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*g*) Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. (*h*) Tract. 124. in Jo. num. 7. tom. 3. (*i*) Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. (*k*) In Pſalm. 69. num. 4. tom. 4. (*l*) In Pſal. 138. num. 22. tom. 4. (*m*) In Pſal. 55. num. 15. tom. 4. (*n*) In Pſal. 39. num. 25. tom. 4.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino Petrus Romæ Cathedram Epiſcopalem inſederit, Simonem magum ſuperaverit, atque Romæ fuerit martyrio coronatus, atque ſepultus: & a Petro omnium primo conſtans perpetuaque Romanorum Pontificum ſeries, ſucceſſioque manaverit?

Dicendum ex S. Auguſtino, Petrum Romæ Epiſcopalem Cathedram inſediſſe, Simonem magum ſuperaſſe, atque Romæ fuiſſe martyrio coronatum, atque ſepultum: & a Petro omnium primo conſtantem perpetuamque Romanorum Pontificum ſeriem, ſucceſſionemque manaſſe. Hæc autem ſingula accitis non paucis auxiliaribus S. D. ſententiis ſic propugnantur.

I. Lib.2. contra Litteras Petiliani cap.51. num.118. tom.9. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, in qua Jacobus ſedit, & in qua hodie Johannes ſedet, quibus nos in catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus Jeſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait, Dicunt enim, & non faciunt, Cathedræ, in qua ſedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moyſi commendavit; & illos, ſervato Cathedræ honore, redarguit?* Habemus igitur ex S. Auguſtino, Cathedram Eccleſiæ Romanæ Apoſtolicam eſſe Cathedram, in qua Petrus Apoſtolus primus ſedit, & in qua, dum hæc Auguſtinus ſcriberet, Romanus Epiſcopus Anaſtaſius, ſucceſſor Petri, ſedebat. Conſtat igitur ex S. Auguſtino Petrum in urbe Roma Epiſcopalem Cathedram tenuiſſe. Conſentiunt inter ſe in aſſerendo Romano Petri Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli Epiſcopatu antiquiores Patres tum natu majores, tum Auguſtino æquales. Paucos ex majoribus natu, ut in re ſatis notâ & perſpectâ liceat attingere. S. Cyprianus Afer, qui ſæculo III. floruit, ad Antonianum unum ex Numidiæ Epiſcopis, Epiſtolâ edit. Baluz. Venet. anno 1723. 52. pag. 150. F. qua Antonianum certiorem facit, tum de illegitima, atque ſchiſmatica Novatiani in Romanum Epiſcopum electione, tum de legitima, atque canonica electione Cornelii in locum Fabiani Romani Epiſcopi vitâ functi. *Factus eſt*, inquit, *Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, ideſt, cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*. Et rurſus Epiſtolâ 55. pag. 182. F. in fine, ad Cornelium Romanum Pontificem datâ, contra Fortunatum Pſeudo-Epiſcopum Carthaginenſem, & Schiſmaticum Feliciſſimum, qui Romam navigaverant, Cornelium adverſus Cyprianum incitaturi, in quâ Cornelium admonet, ne faciles aures præbeat calumniis ſchiſmaticorum contra ſe fabricatis, præclariſſimo teſtimonio Romanam Eccleſiam Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem appellat, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ad quam perfidia habere non poteſt acceſſum. Ecce tibi præclariſſima Cypriani verba, *Poſt iſta adhuc inſuper, Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, navigare audent; & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante* (Rom. 1.) *laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum*.

S. Optatus Milevitanus, & ipſe Afer, ſæculi IV. ſcriptor, Lib. 2. adverſus Parmenianum num. 2. docet, Petrum, Caput omnium Apoſtolorum, Cathedram Epiſcopalem in urbe Roma, Romanorum Epiſcoporum primum, tenuiſſe; id autem eſſe adeo perſpicuum, & exploratum, ut Parmenianus Donatianorum Epiſcopus id negare nulla ratione poſſit. *Negare non potes*, Optati verba ſunt, *ſcire te in urbe Roma Petro*

tro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus..... In qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur. Ergo Cathedram unam, quæ eſt prima de dotibus, ſedit Prior Petrus, cui ſucceſſit Linus. Sanctus Hieronymus, a quo ſæculum IV. nobilitatum eſt, Romanarum rerum in primis peritus, atque optimè conſcius, in ſuo virorum illuſtrium, ſeu Scriptorum Eccleſiaſticorum cathalogo, agens de Petro, *Simon Petrus*, inquit, *poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram ſacerdotalem tenuit, uſque ad ultimum Neronis, ideſt, decimum quartum.* Quamvis autem non omnes Eccleſiaſtici inter ſe ſcriptores conſentiant in definiendo certo temporis intervallo, quo Petrus Epiſcopalem Cathedram tenuit in urbe Româ, quod utrinque in controverſiam vocatur, aliis ad annos viginti quinque protrahentibus, qui Romanum adventum Petri in annum ſecundum Claudii rejiciunt, quos ſequitur Natalis Alexandri tom. 3. hiſt. Eccl. ſæc. 1. diſſert. 13. prop. 3. Aliis ad annos decem contrahentibus, qui acceſſum Petri ad urbem Romam, ad primum annum Neronis referunt, quibus aſſentitur Franciſcus Pagius tom. 1. de geſtis Pontif. Rom. ſæculo 1. num. 5.; nihilo tamen minus omnes Eccleſiaſticarum rerum probatiſſimi, ſpectatiſſimique ſcriptores ſummâ, communique inter ſe conſenſione conveniunt prorſus in eo, quod Petrus in urbe Româ Cathedram Epiſcopalem primus conſtituit, primuſque implevit, quamque Apoſtolica auctoritate, & poteſtate supremâ munivit, & cumulavit.

II. Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 1. tom. 8. de Simone mago. *Jovem ſe credi volebat; Minervam verò meretricem quandam Helenen, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat: imagineſque & ſuam, & ejuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas; quas & Romæ, tanquam Deorum ſimulacra, auctoritate publica conſtituerat. In qua urbe Apoſtolus Pe-*

Petrus eum vera virtute Dei Omnipotentis extinxit. Itaque Auguſtino teſte Petrus Apoſtolus in urbe Româ Simonem magum, ut ipſe loquitur, vera virtute Dei Omnipotentis extinxit. Singularis hujus certaminis, quo inter Petrum Apoſtolum, & Simonem magum Romæ pugnatum eſt, & præclariſſimæ illius victoriæ, quam de nequiſſimo præſtigiatore Petrus retulit in urbe Roma, meminerunt, præter Auguſtinum, antiquiſſimi rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores, Arnobius presbyter, natione Afer, qui floruit ſæculo III. Lib. 2. adverſus Gentiles: Philaſtrius Lib. de hæreſibus cap. 3., qui ſæculo IV. claruit: Hieronymus de viris illuſtribus in Petro, ſæculi IV. ſcriptor. Severus Sulpicius ejuſdem ſæculi lumen Hiſt. Lib. 2. Theodoretus ſæculi V. decus, & ornamentum Lib. I. Hæret. Fabul. cap. I., aliique quamplurimi. Hæc autem præclariſſima monumenta rei Romæ geſtæ minimè pugnant cum iis, quæ Auguſtinus Epiſt. 36. ad Caſulanum cap. 9. num. 21. tom. 2. litteris commendavit, ubi hæc habentur, *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem urbis Eccleſiâ jejunaverit, & conſecuto tam proſpero, glorioſoque ſucceſſu eundem morem tenuerit, eumque imitatæ ſint nonnullæ Occidentis Eccleſiæ*. Etenim ſuperiori ſententia non in dubium revocat Auguſtinus ſingulare certamen, quod Petrus Apoſtolus habuit in urbe Roma cum Simone mago, neque victoriam præclariſſimam, quam ibidem de præſtigiatore venefico reportavit; ſed ex Romanorum teſtimonio docet, non eſſe rem ſatis certam & exploratam, jejunandi conſuetudinem, quæ die Sabbati tum Romæ, tum in aliquibus Occidentis Eccleſiis ætate ſua invaluerat, ex celebri pugna Petri cùm Simone mago, quod inciderit in diem Dominicam, & ex jejunio die Sabbati a Petro indicto, ut rumor incertus ferebat, pridie quàm Petrus iniret prælium cum Simone mago, exortam atque profectam eſſe. Conſtat igitur ex ſuperioribus, tum ex Auguſtino, tum ex plurimis rerum Eccleſiaſti-

ſiaſticarum ſcriptoribus, erutis monumentis, rem eſſe vetuſtate tritam & confirmatam, Simonem magum a Petro Apoſtolo Romæ fuiſſe oppreſſum, ac ſuperatum.

III. Lib. I. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.*

IV. Serm. 296. in Natali Apoſtolorum cap. 5. num. 6. tom. 5. *Jacet Petri corpus Romæ, dicunt homines, jacet Pauli corpus Romæ, Laurentii corpus Romæ, aliorum Sanctorum Martyrum corpora jacent Romæ; & miſera eſt Roma, & vaſtatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur.* Affirmat locis ſuperioribus Auguſtinus, Petrum, primum Apoſtolorum ſuorum, voluiſſe Dominum glorioſiſſimo martyrio coronare, & quidem in urbe Româ, ubi utriuſque Apoſtoli, Petri & Pauli, quemadmodum Laurentii, aliorumque ſanctorum martyrum compoſita corpora conquieſcunt. Conſentiunt hac ſuper re veterum monumenta ſcriptorum, quæ perhibent, Petrum fuiſſe Romæ martyrio coronatum, atque ſepulcro conditum. In re ſatis perſpecta, & illuſtri antiquiora quædam, & illuſtriora teſtimonia delibare ſufficiat. Tertul. Afer II. ſæculi ſcriptor Lib. de Præſ. cap. 36. *Si autem Italiæ adjaces*, inquit, *habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt! Ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Et Libro Scorpiaci cap. 15. *Vitas Cæſarum legimus. Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adſtringitur.* Lactantius & ipſe Afer, Arnobii auditor, qui IV. ſæculo ineunte floruit, Libro de Mortibus perſecutorum cap. 2., Petri adventum ad urbem Romam ad initia Neroniani imperii rejiciens, hæc narrat, *Apoſtoli per annos viginti quinque uſque ad Principatum Neroniani imperii, per omnes provincias, & civitates, Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Ro-*

Digitized by Google

Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei data ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele, ac ſtabile poſuit. Quâ re ad Neronem delatâ, ... primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit.

Euſebius, qui ineunte IV. ſæculo floruit Lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 24. agens de primâ in Chriſtianos perſecutione, Romanum Imperium obtinente Nerone, in qua Petrus, & Paulus anno Chriſti 65., die 29. Junii, Romæ martyrio coronati ſunt, Nerva & Veſtino Conſulibus, hæc poſteritati mandavit, *Iſte igitur*, Nero, *qui hoc pacto infeſtiſſimus Dei hoſtis primus prædicatus fuit, ad Apoſtolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proinde Romæ, eo regnante, ſecuri percuſſum; & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Quin etiam inſignis, ac teſtata Petri, & Pauli inſcriptio, quæ in cæmeteriis Romæ ad hoc uſque tempus manet, hujus rei geſtæ fidem facit*. Poſtremò S. Hieronymus in catalogo de viris illuſtribus, ſeu de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ſcribens de Petro, hæc poſterorum memoriæ mandavit: *Simon Petrus.... ſecundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit; ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, uſque ad ultimum annum Neronis, ideſt, decimum quartum: a quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatis, aſſerens ſe indignum, quòd ſic crucifigeretur, ut Dominus ſuus..... Sepultus Romæ in Vaticano, juxta viam triumphalem, totius urbis celebratione veneratur*. Ex hujuſmodi fontibus S. Auguſtinus accepit, quod & tranſmiſit ad poſteros, videlicet, Petrum fuiſſe Romæ martyrio coronatum, atque ſepulcro conditum.

V. Epiſt. 53. ad Generoſum cap. 1. num. 2. tom. 2. *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & verè ſalubriter ab ipſo Petro enumeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſia meam; & portæ inferi non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacletus, Anacleto, Evariſtus; Evariſto, Alexander; Alexandro,*

Six-

Sixtus, Sixto, Theleſphorus; Theleſphoro, Iginus; Igino, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Soteri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zephirinus; Zephirino, Calixtus; Calixto, Urbanus; Urbano, Pontianus; Pontiano, Antherus; Anthero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Xyxtus; Xyſto, Dionyſius; Dionyſio, Felix; Felici, Eutychianus; Eutychiano, Gajus, Gajo, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Euſebius; Euſebio, Miltiades; Miltiadi, Silveſter; Silveſtro, Marcus; Marco, Julius; Julio, Liberius; Liberio, Damaſus; Damaſo, Siricius; Siricio, Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur. Sed ex tranſverſo ex Africá ordinatum miſerunt, qui, paucis præſidens Afris, in urbe Romá Montenſium, vel Cutzupitarum vocabulum propagavit. In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus providens ait de præpoſitis malis, Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Ut certa ſit ſpes fidelis, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur.

VI. Lib. contra Epiſt. Manichæi cap. 4. num. 5. tom. 8. *Multa ſunt alia, quæ in Catholicæ Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum catholicæ nomen, quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut, cum omnes hæretici ſe catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.*

VII. In Pſalmo contra partem Donati tom. 9. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsá Petri Sede; & in ordine illo Patrum, quis cui ſuc-*

ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Explicat, evolvitque locis ſuperioribus Auguſtinus totam Romanorum Pontificum ſeriem; totiuſque ſupremi ordinis Pontificalis primam originem, caput, ducemque aſſerit eſſe Petrum, a quo per medios Romanos Pontifices, quorum nomina recitat, ſibi invicem ſuccedentes, gradatim progrediens, in Anaſtaſium ſupremum Eccleſiæ regimen, dum ea ſcriberet, obtinentem ultimò definit. Hanc autem Romanorum Pontificum ſucceſſionem perpetuam, a Petro omnium primo proficiſcentem, eam eſſe Petram affirmat, de qua Chriſtus Dominus ſpopondit, in ſeque recepit, tanta ſtabilitate, ac firmitate manſuram, ut nunquam futurum ſit, ut ab infernis poteſtatibus evertatur, ac ſuperetur. Perpetua hac Romanorum Pontificum ſerie, cujus caput eſt Petrus; cui, præter agnos, paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, tanquam inſolubili, arctiſſimoque vinculo adſtrictus, teneri ſe juſtiſſimè in Catholicæ Eccleſiæ gremio tutus, atque ſecurus Hipponenſis Antiſtes, atque Eccleſiæ Doctor affirmat. Eadem Romanorum Pontificum a Petro Apoſtolo, ceterorum omnium primo, derivatio, ac ſucceſſio frequentiſſima commemoratione apud veteres Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores celebratur, qui ſumma, communique conſenſione docent, ſucceſſores Petri eſſe Romanos Epiſcopos, Romanamque Cathedram, Apoſtolicamque Eccleſiam Petri Cathedram paſſim appellant.

Ex iis autem qui Romanorum Pontificum ſeriem, certo diſpoſitam ordine, contexuerunt, adſunt, & præſto ſunt Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, Galliarum Apoſtolus, atque Magiſter, II. ſæculi ſcriptor, Polycarpo Joannis diſcipulo a puero, ut ipſe ſcribit, notus atque devinctus, qui Libro 3. adverſus hæreſes cap. 3. ſingularia, ampliſſimaque Romanæ Petri Cathedræ, ac ſucceſſionis jura his verbis recenſet. *Quoniam valde longum eſt .... omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, Petro & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habes ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam omnibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum*

porum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, vel malam ſententiam, præterquamquod oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt .... Succedit autem ei Anacletus: poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens: .... huic autem Clementi ſuccedit Evariſtus: & Evariſto Alexander: ac deinceps ſextus ab Apoſtolis Sixtus: & ab hoc Teleſphorus: ..... ac deinceps Hyginus: poſt Pius: poſt quem Anicetus. Cum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius.

Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus natione Afer, IV. ſæculi ſcriptor, Lib. 2. num. 2. adverſus Parmenianum ex Donatiana factione ſchiſmaticum Epiſcopum Carthaginenſem, ſeriem contexens Romanorum Pontificum, quam a Petro omnium primo repetit, atque ad ſua uſque tempora perpetua, conſtantique ſucceſſione deducit, inter multa, ad Romanam Cathedram pertinentia, quæ non ſunt negligenter prætereunda, docet Romanam Cathedram primam, unicam, & ſingularem Eccleſiæ univerſæ eſſe Cathedram, quæ ita conſtituta eſt centrum univerſæ Eccleſiæ, ut, ceteras omnes quamvis Apoſtolicas Cathedras cum ea communicare, ſemper neceſſe fuerit: cum neque Apoſtoli ceteri ſingulares, ac ſolitarias ſibi Cathedras vindicaverint, quæ cum Romana Cathedra minimè communicarent. Schiſmaticus enim eſt ex Optato quiſquis contra Romanam Cathedram alteram collocat, quæ cum ea non communicat. In hac Petrus, omnium Apoſtolorum caput, prior ſedit; deinde Linus, & ſic deinceps ad Siricium uſque ei ætate ſuperſtitem, quocum omnes univerſi catholici orbis Epiſcopi litterarum commercio, quas Formatas vocabant, in una catholicæ communionis ſocietate cohærebant; & ratione

ſocietatis, ac conjunctionis cum Romano Epiſcopo, non ſchiſmaticos ſe, ſed catholicos eſſe declarabant. Quod quarto ſæculo Eccleſiæ ita certum erat, atque exploratum, ut Donatiani ſuæ factionis Epiſcopum Romæ conſtituere neceſſarium exiſtimaverint, quocum communicarent; objectaque fallaci ſpecie attributæ ſibi communicationis cum Romano Epiſcopo, catholicos eſſe ſe venditabant. Sed jam audiatur S. Optatus, qui ſic congreditur cum Parmeniano: *Negare non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedrà unicà, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus, Evariſto Sixtus, Sixto Theleſphorus, Theleſphoro Higinus, Higino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionyſius, Dionyſio Felix, Felici Eutichianus, Eutichiano Cajus, Cajo Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Miltiades, Miltiadi Silveſter, Silveſtro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.*

Sanctus Epiphanius ejuſdem IV. ſæculi ſcriptor, adeoque æqualis Optato, Lib. I. contra hæreſes, hæreſi 27. pag. mihi 48. Lit. A. hoc ordine Pontifices Romanos recenſet, *Attamen Epiſcoporum in Roma ſucceſſio hanc conſequentiam habuit. Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evareſtus, Alexander, Xyſtus, Theleſphorus, Evareſtus*, Hyginus, *Pius, Anicetus, qui ſupra in cathalogo indicatus eſt*. S. Hieronymus, qui

qui eodem IV. ſæculo claruit, eandem a Petro ſucceſſionem Romanorum Pontificum partim attingit, & indicat in recenſione operum Sancti Clementis Lib. de viris illuſtribus, ſeu de ſcriptoribus eccleſiaſticis, cujus hæc verba ſunt, *Clemens, quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus. Siquidem ſecundus Linus fuit, & tertius Cletus; tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem*. Quamobrem ex S. Auguſtino, præeuntibus ſibi clariſſimis Patribus natu majoribus, concludendum eſt, perpetuam, atque conſtantem Romanorum Pontificum ſeriem, & ſucceſſionem a Petro Apoſtolo, ceterorum omnium origine prima, fonte, capite, & principe exortam eſſe, atque emanaſſe: quam ad præſentem, quem nunc habemus, Deo donante, Romanum Pontificem BENEDICTUM XIV. felici fauſtoque curſu perveniſſe perſpectum nobis, exploratumque eſt.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?* (b) *In qua urbe Apoſtolus Petrus* Simonem magum *vera virtute Dei Omnipotentis extinxit* (c) Et *in qua Petrum primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare*. (d) Unde *jacet Petri corpus Romæ*. (e) A quo *ordinem Epiſcoporum ſibi ſuccedentium enumeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus; Lino Clemens*, & ſic deinceps uſque ad Anaſtaſium. *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ*. (f) *Numerate* ergò *Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. (g) Quamobrem *in Catholicæ Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas*

Digitized by Google

poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum. Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(a) Lib. 2. contra Litt. Petil. cap. 51. num. 118. tom. 9. (b) Lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 1. tom. 8. (c) Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. (d) Serm. 296. cap. 5. num. 6. tom. 5. (e) Epiſt. 53. ad Generoſum cap. 1. num. 1., & 2. tom. 2. (f) In Pſalmo contra partem Donati tom. 9. (g) Lib. contra Epiſt. Manichæi cap. 4. num. 5. tom. 8.

ARTICULUS IV.

Utrum ex Sancto Auguſtino Petrus, & Paulus duo fuerint Eccleſiæ capita in unum veluti commune caput coaleſcentia?

Videtur quod ex S. Auguſtino Petrus, & Paulus duo fuerint Eccleſiæ capita in unum veluti commune caput coaleſcentia. In hanc enim ſententiam diſceſſiſſe S. Doctorem decerpta quædam ex eo teſtimonia ſic manifeſtare videntur.

I. SErm. 295. cap. 7. num. 7. tom. 5. *Unus dies paſſionis duobus Apoſtolis. Sed & illi duo unum erant; quanquam diverſis diebus paterentur, unum erant.*

II. Serm. 381. in fine tom. 5. *Habet ergo Roma, caput gentium, duo lumina gentium, ab illo accenſa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unum, in quo Deus abjectam exaltavit humilitatem; alterum, in quo damnandam ſanavit iniquitatem. In illo diſcamus non ſuperbire; in iſto non deſperare .... Nemo ergo ſe de hujus ſæculi celſitudine extollat; Petrus piſcator fuit. Nemo iniquitatem propriam cogitando, miſericordiam Dei defugiat; Paulus perſecutor fuit.*

III. Lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 13. num. 20. tom. 10. de Apoſtolo Paulo, *Nec ipſum Apoſtolum ejuſdem regulæ ſummitate arbitremur fuiſſe perfectum, non ſolum*

Digitized by Google

lùm in illa legis juſtitia;... verum etiam in ipſo quoque Evangelio, ubi, & tanti Apoſtolatûs meruit principatum.

IV. Lib. de geſtis Pelagii cap. 14. num. 32. tom. 10. *Neque enim, quamvis eſſet Apoſtolus Paulus multùm excellens membrum corporis Chriſti, nullas plures, & ampliores gratias accepit ipſum totius corporis Caput, ſive in carne, ſive in anima hominis, quam creaturam ſuam Verbum Dei in unitatem Perſonæ ſuæ, ut noſtrum Caput eſſet, & corpus ejus eſſemùs, aſſumpſit.*

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Auguſtino Petrum, & Paulum non fuiſſe duo capita Eccleſiæ, in unum veluti commune caput coaleſcentia. Quæ enim S. Doctor tum de Petro, tum de Paulo pluribus, diverſiſque locis copiosè diſputat, quod fuit propoſitum, non operoſo admodum labore, ita demonſtrant.

I. Lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. tom. 8. *Quid ergo incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ; ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ.*

II. Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. *In illo ergo uno Apoſtolo, ideſt Petro, in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, utrumque genus ſignificandum fuit, ideſt, firmi, & infirmi, quia ſine utroque non eſt Eccleſia.*

III. Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed ſi diſtat Cathedrarum gratia, una eſt tamen martyrum gloria.* Cognovimus igitur ex S. Auguſtino, ſingularem hominem, atque Apoſtolum Petrum primum fuiſſe, atque præcipuum totius ordinis Apoſtolici, cujus Apoſtolicus principatus cuilibet prorſus eſt præferendus Epiſcopatui, qui ex inſtitutione divina Paſtor Eccleſiæ univerſæ creatus eſt, non ſecus atque Moyſes conſtitutus rector a Deo fuit Synagogæ univerſæ. Jam verò ſolitarius, & ſingu-

Digitized by Google

laris primatus, ac principatus, qui penes unum ſingularem hominem reſidet, ratione cujus ceteris omnibus, qui ſub ejus regimine continentur, moderatur, & imperat, ſocietatem, atque communicationem imperii cum quolibet altero excludit, rejicit, & procul arcet. Quamobrem ſi Petrus tale caput Eccleſiæ eſt, ut ſolitarium, ſingularemque principatum, atque primatum in univerſo Apoſtolico, Epiſcopali, & Paſtorali ordine teneat, fieri omninò non poteſt, ut Paulus alterum, tanquam bicipitis Eccleſiæ, caput conſtituatur, in unum commune caput cum Petro aliquomodo coaleſcens. Itaque ex Sancto Auguſtino concluditur, Petrum, & Paulum duo Eccleſiæ capita non fuiſſe, in unum veluti commune caput coaleſcentia.

IV. Tract. 124. in Jo. num. 5. tom. 3. *Hoc agit Eccleſia, ſpe beata, in hac vita ærumnoſa; cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatûs ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Chriſtianus, abundantiore gratiâ unus idemque primus Apoſtolus.*

V. Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare.*

VI. Serm. 295. cap. 4. num. 4. tom. 5. *Meritò etiam poſt reſurrectionem Dominus ipſi Petro oves ſuas commendavit paſcendas. Non enim inter diſcipulos ſolus meruit paſcere Dominicas oves; ſed quando Chriſtus ad unum loquitur unitas commendatur, & Petro primitùs, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus.* Itaque ex S. Auguſtino accepimus, Petrum primum, & principem Apoſtolorum omnium fuiſſe; Petrum primatum geſſiſſe ordinis Apoſtolici; Petro in primis univerſam Eccleſiam commendatam, & præter natos agnos, paſcendas in Epiſcopis Chriſti Domini oves matres ſoli Petro fuiſſe demandatas. Hæc autem cum eo conciliari nequeunt, quòd Paulus Petri ſocius, atque collega fuerit, pari prorſus, nullaque ratione minori cum Petro primaria auctoritate, ac poteſtate præditus in Eccleſiæ univerſæ adminiſtratione. Negandum eſt igi-

igitur ex S. Auguſtino Petrum, & Paulum duo fuiſſe capita Eccleſiæ, quæ in unum veluti commune caput ſimul coaluerint.

VII. Serm. 147. cap. 1. num. 1. tom. 5. *Apoſtolum Petrum, primum omnium Apoſtolorum, meminiſtis in Domini Paſſione fuiſſe turbatum. A ſe turbatum; ſed a Chriſto innovatum.*

VIII. Tract. 66. in Jo. num. 2. tom. 3. *Neque nos, cum iſta dicimus, primum Apoſtolorum accuſare delectat, ſed hunc intuendo, admonere nos oportet, ne homo quiſquam de humanis viribus fidat. Nam quid aliud pertinuit ad Doctorem, Salvatoremque noſtrum, niſi ut nobis nequaquam de ſe quenquam præſumere debere in ipſo primo Apoſtolorum demonſtraret exemplo.*

IX. Tract. 46. in Jo. num. 1. tom. 3. *Quis enim neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?* Inita ergo comparatione Petri cum Apoſtolis ceteris, S. Auguſtinus non ſemel, aut bis, ſed fermè ſexcenties in ſuis operibus repetit, Petrum Apoſtolorum omnium primum fuiſſe, atque principem. At verò ſi primas inter Apoſtolos ceteros adeptus eſt Petrus; ſi locum principem in Apoſtolico ordine obtinet Petrus, quî fieri poteſt, ut pari prorſus poteſtate, & auctoritate cum Petro Paulus fretus fuerit, atque munitus? Concludendum eſt igitur ex S. Auguſtino Petrum, & Paulum duo Eccleſiæ capita non fuiſſe, neque ex duobus unum veluti tertium caput eſſe conflatum.

X. Epiſt. 82. ad Hieronymum cap. 2. num. 22. tom. 2. *Ipſe verò Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, ſanctæ, ac benignæ pietate humilitatis accepit; atque ita rarius, & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi, quàm Paulus: quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica auctoritate, ſalva fraterna caritate, reſiſtere.* Habemus ex S. Auguſtino loco producto, Petrum modeſtiæ, manſuetudinis, atque æquanimitatis exemplum poſteris præclariſſimum reliquiſſe, cum animo adeo miti, æquo, & pacato Pauli reprehenſionem tulit, quamvis Petrus comparatus cum Paulo, non

Digitized by Google

ſolum ætate, & vocatione prior, ſed etiam auctoritate, & poteſtate eſſet major: Paulus vero comparatus cum Petro, non ſolùm ætate, & vocatione poſterior, verum etiam auctoritate, & poteſtate eſſet minor. Quod autem S. Auguſtinus ſuperiori ſententia doceat, Petrum non modo vocatione, & ætate; ſed etiam auctoritate, & poteſtate Apoſtolici jure primatûs præſtare Paulo, atque antecellere, confirmatur ex iis, quæ contra Donatiſtas diſputat S. Doctor Lib. 2. de Baptiſmo cap. 1. num. 2. tom. 9. ubi Cypriani ſententiam de primatu Petri reſpectu Pauli amplectitur, atque illuſtrat, quam ex Epiſtola 71. S. Cypriani ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum conſignata decerpit, atque in medium producit. Ecce verba S. Auguſtini loco ſupra commemorato: *Non me terret auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum novimus Cypriani Epiſcopi, & Martyris; ſed numquid majus quàm Petri Apoſtoli, & Martyris? de quo idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum ita loquitur*, Nam nec Petrus, *inquit*, quem primum Dominus elegit, & ſupra quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret, ſe primatum tenere, & obtempari ſibi a novellis, & poſteris oportere.... *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat de circumciſione agere ſolitum, a poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum*. Fatetur igitur Cyprianus, & Auguſtinus, Petrum ſupra quem Dominus ædificavit Eccleſiam ſuam, ratione Apoſtolici ſui primatûs, quo inſignitus, gratia adeo excellenti Apoſtolis ceteris antecellebat, auctoritate, ac poteſtate Paulo, quem ſibi obtemperare oportebat, longè præſtantiorem fuiſſe. At ſingularia hæc jura, munera, ornamenta, atque præſidia, quibus auctus ornatuſque erat, ex animi ſui demiſſione, coram Paulo, modeſto ſilentio compreſſiſſe Petrum, atque reticuiſſe. Quæ cum ita ſint, ex S. Auguſtino deducitur, Petrum, & Paulum duo Eccleſiæ capita non fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, ex quibus unum commune veluti caput ſit conſtitutum.

XI. In Expoſitione Epiſt. ad Galatas num. 15. tom. 3. *Petrus autem, cum veniſſet Antiochiam, objurgatus eſt a Paulo, non quia ſervabat conſuetudinem Judæorum, in qua natus, atque educatus erat, quanquam apud gentes eam non ſervaret; ſed objurgatus eſt, quia gentibus eam volebat imponere: Cum vidiſſet quoſdam veniſſe ab Jacobo, ideſt, a Judæa; nam Eccleſiæ Jeroſolymitanæ Jacobus præfuit; timens ergò eos, qui adhuc putabant in illis obſervationibus ſalutem conſtitutam, ſegregabat ſe a gentibus, & ſimulatè illis conſentiebat, ad imponenda gentibus illa onera ſervitutis.... Quod autem hoc ei coram omnibus Paulus dixit, neceſſitas coegit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur; non autem utile erat errorem, qui palam noceret, in ſecreto emendare. Huc accedit, quod firmitas, & caritas Petri, cui ter a Domino dictum eſt, Amas me? Paſce oves meas, objurgationem talem poſterioris Paſtoris, pro ſalute gregis, libentiſſimè ſuſtinebat.* Utràque ſuperiori ſententiâ effert in cælum laudibus Auguſtinus Petri patientiam, manſuetudinem, atque modeſtiam, quòd reprehenſionem Pauli non modò non gravatè, verum etiam libentiſſimè tulerit. At ſimulatio illa Petri ex S. Doctore reprehenſione erat digna; & Paulus ita ſe geſſit reprehendendo Petrum, ut intra præſcriptos æquitatis, amicitiæ, atque modeſtiæ fines ſe continuerit. Jam vero ſi fingamus animo, Petrum, & Paulum duo fuiſſe capita Eccleſiæ; ſi apud nos ſtatuamus, ambos in univerſæ Eccleſiæ adminiſtratione æquo prorſus, parique jure conſtitutos fuiſſe ſocios, atque collegas, eàdem omnino dignitate, auctoritate, ac poteſtate præditos atque munitos, non habet amplius locum ſingulare illud, atque mirificum ſanctæ humilitatis exemplum, a Petro exhibitum, ſi par pari cedat, quod ſummis laudibus Auguſtinus illuſtrat. Ex hoc igitur fonte tota ratio petenda eſt ſingularis, atque mirificæ humilitatis a Petro exhibitæ, quòd Apoſtolus auctoritate, & poteſtate major, æquo ac lubenti animo tulerit juſtam, atque benevolam reprehenſionem alterius Apoſtoli auctoritate, & poteſtate minoris. Indicat id Auguſtinus loco ſupra citato, ex-

pendens Petrum a Paulo reprehenſum, eum eſſe Eccleſiæ Paſtorem, cui ter a Chriſto Domino dictum eſt, *Amas me*; deinde, *Paſce oves meas*; adeoque non qualemcunque, ſed Principem univerſi gregis Petrum a Chriſto Domino inſtitutum eſſe Paſtorem. Concludendum eſt igitur ex S. Auguſtino, Petrum, & Paulum duo Eccleſiæ capita non fuiſſe, ex quibus commune quoddam veluti Eccleſiæ caput conflatum ſit. Hinc cum duo libri Gallico ſermone conſcripti anno 1645. in lucem prodiiſſent, qui parem poteſtatem, auctoritatemque Petro, & Paulo deferebant, Innocentius X., edito in lucem decreto die 24. Januarii anno 1647., propoſitam opinionem tanquam hæreticam notandam cenſuit, atque id verbis iis declaravit. *Propoſitionem hanc, S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ principes, qui unum efficiunt; vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac ſupremi duces, ſumma inter ſe unitate conjuncti; vel ſunt geminus Eccleſiæ univerſalis vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt; vel ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, ſanctiſſimus Pontifex hæreticam cenſuit, & declaravit.*

Ad primum ergò dicendum, unum quid Petrum, & Paulum ex S. Auguſtino inter ſe fuiſſe. Ut enim a communi ea conjunctione diſcedatur, qua Apoſtoli omnes inter ſe ſe copulabantur, vi & ratione tum ejuſdem muneris Apoſtolici, tum ejuſdem auctoritatis canonicæ, tum ejuſdem juriſdictionis œcumenicæ, vi cujus quòcunque ſe ferrent Apoſtoli, ibi eſſent commorantis gregis Epiſcopi, arctior quædam colligatio ſocietatis, & conjunctionis Petrum inter, & Paulum intercedebat. Communi enim conſilio, voluntate, ſtudio, curâ, labore, operâ, ac diligentiâ conſenſerunt ambo in prima Romanæ Eccleſiæ inſtitutione, inſtructione, adminiſtratione, ambo Conditores, Legislatores, Doctores, Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ. Petrus quidem poteſtate, & juriſdictione ordi-

ordinaria, ratione Apoſtolici ſui primatûs, quem ipſe per ſe ſe Romæ firmavit, ſtabilivit, atque hereditarium ſucceſſoribus ſuis reliquit: Paulus autem poteſtate, & juriſdictione extraordinaria ratione muneris Apoſtolici, in quo Œcumenicus Epiſcopatus, ac proinde Epiſcopatus Romanus continebatur; cujus extraordinaria poteſtas, & juriſdictio, in conſpectu poſita ordinariæ poteſtatis, & juriſdictionis, quæ reſidebat in Petro, eatenus progrediebatur, quatenus ordinaria poteſtas, & juriſdictio Petri eam progredi, ac pervenire ſinebat. Hinc S. Epiphanii mens declaratur, qui hæreſi 27. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus, & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt*, ſed non æquo prorſus, parique jure. Paulus enim fuit Epiſcopus Romæ extraordinarius, propter Apoſtolicum munus, quod ubique terrarum Apoſtolis omnibus Epiſcopale jus conferebat: Epiſcopus verò ordinarius Romæ Paulus non fuit, ſed planè Petrus. Cum autem Petrus, non autem Paulus poteſtate, & juriſdictione ordinaria potiretur in urbe Roma, hac de cauſſa, impoſitis manibus a Sancto Petro, non autem a S. Paulo S. Clemens Epiſcopus Romæ fuit conſecratus, ut narrat loco citato Epiphanius. Simili interpretatione excipiendus eſt S. Leo qui Serm. 1. de Natali Apoſtolorum eos vocat, *Romanæ urbis Patres, ac Paſtores*, ubi primatui Petri nihil omnino detrahit, affirmans eodem loco, urbem Romam *Per Beati Petri ſedem caput orbis effectam*. Neque aliter interpretandus eſt Irenæus Lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. referens, *Eccleſiam Romanam a Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo inſtitutam fuiſſe, ac fundatam*.

Ceterum, ut ad Auguſtinum me referam, ex eo præcipuè quid unum fuiſſe inter ſe Petrum, & Paulum Auguſtinus affirmat, quod ſumma inter eos interceſſerit optimarum virtutum, morumque ſanctiſſimorum ſimilitudo, quòd unà ſimul excoluerint Romanam gentem, quòd illis conjuncta fuerit communis cura a falſa ſuperſtitione ad veram religionem traducendi cives Romanos, quòd pari fortitudine, atque conſtantia ambo Romæ vitam pro ovibus ſuis amantiſſimi Paſtores profuderint, quòd eadem ſtudia, eædemque utriuſque volun-

Digitized by Google

tates, quòd eadem inſtitutio, eadem ratio, idem curſus, idemque vitæ exitus, eodemque loco, ambos exceperit. Poſtremò Petrum inter, & Paulum omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia, & caritate ſumma fuit, atque mira conſenſio, in quo tota vis amicitiæ continetur, & ex quo efficitur id, quod de utroque Apoſtolo prædicat Auguſtinus, ut unus fiat ex pluribus. Audiatur S. Doctor cap. 8. num. 8. commemorati Sermonis, *Celebramus*, inquit, *diem feſtum, Apoſtolorum nobis ſanguine conſecratum. Amemus fidem, vitam, labores, paſſiones, confeſſiones, prædicationes.* Et Serm. 299. num. 2. tom. 5. inita, inſtitutaque comparatione Petrum inter, & Paulum, *Petrus*, inquit, *in Apoſtolis primus, Paulus in Apoſtolis noviſſimus. Deus & primus, & noviſſimus, ante quem nihil, & poſt quem nihil. Deus ergò, qui ſe primum, & noviſſimum æternitate commendavit, ipſe Apoſtolos, primum, & noviſſimum paſſione conjunxit. Utriuſque paſſio concordat ſolemnitate: utriuſque vita conſonat caritate.*

Ad ſecundum dicendum, Petrum, & Paulum ex S. Auguſtino duo ſanè fuiſſe lumina gentium. Hinc autem minimè efficitur ambos fuiſſe duo capita Eccleſiæ, in unum commune caput coaleſcentia, æquo prorſus jure, ac pari penitus poteſtate præditos, in ſuprema Eccleſiæ univerſæ adminiſtratione. Petrus, & Paulus fuerunt ſanè duo lumina gentium: Petrus, ſplendidiſſimum lumen Gentis Judaicæ: Paulus, lumen præclariſſimum reliquarum gentium. Petrus enim Chriſtianis præceptis, inſtitutiſque Gentem ſuam Judaicam potiſſimum illuſtrandam ſuſcepit; at non abjectâ prorſus curâ, atque inſtitutione Gentilium. Etenim Act. cap. 15. affirmat Petrus ſe a Deo electum ad imbuendos Chriſtianis inſtitutionibus, præceptiſque Gentiles, *Vos ſcitis*, inquit primus, & caput in Apoſtolico Concilio Jeroſolymitano ceteros omnes alloquens, *quoniam àb antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum Gentes audire verbum Evangelii, & credere*. Præterea Act. cap. 10. Legatus mittitur a Deo Angelus ad Cornelium Centurionem, hominem Gentilem, qui Petrum accerſat, a quo

cum

Digitized by Google

cum tota familia ſua Chriſti doctrinam fuit edoctus, atque luſtralibus Chriſtiani baptiſmi aquis expiatus. Paulus verò potiſſimam curam, operam, diligentiam, induſtriam contulit in illuſtrandis Chriſtianæ ſapientiæ luce Gentilibus, qui in obſcuriſſimis falſæ ſuperſtitionis tenebris verſabantur; at non proindè Genti Judaicæ ulla in re defuit, neque Judæorum inſtitutionem omninò neglexit, eamque totam in Petrum rejecit. Frequentiſſimè enim Paulus in ſynagogis Judæorum diſputavit, atque in Judaicis conventibus non raras de Chriſto Domino contentiones habuit, ac de ſuſcipienda Chriſtiana religione quàm ſæpiſſimè apud Judæos verba fecit, ut patet ex cap. 13. 14. 17. & 18. Actorum Apoſtolicorum. Et cap. 13. v. 46 Judæis dicebat, *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad Gentes*. Quia vero peculiaris, atque præcipua cura Petro in inſtituendis Judæis, Paulo in Gentilibus initiandis a Deo fuerat demandata, hinc Petrus Judæorum Apoſtolus; Paulus vero doctor Gentium eſt appellatus: qui hac de cauſſa Epiſtola ad Galatas cap. 2. v. 7. *Creditum eſt mihi*, inquit, *Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi & inter Gentes*. En qua ratione ex S. Auguſtino Petrus, & Paulus duo fuerunt lumina Gentium: quos tum propter Chriſti doctrinam, qua Romanam urbem ambo illuſtrarunt, tum propter eximiam ſanctitatem, & ſingularia merita, quibus ambo claruerunt, *Oculos Romæ, & ſanctorum Coryphæos* S. Chryſoſtomus Hom. 32. in Epiſt. ad Rom. ambos appellat. Ubi verò Petri primatum teſtatur, ut Homil. ult. in Jo. ſcitè, atque prudenter animadvertit, Paulum ideò adire, atque inviſere Petrum voluiſſe, atque ſingularem Petro deferre honorem conſtituiſſe, quia Petrus, Os, inquit, *erat Apoſtolorum, & Princeps, & vertex ipſius cœtûs*.

Ad tertium dicendum, Paulum ex S. Auguſtino Apoſtolatûs principatum meruiſſe; ac proindè Petrum, & Paulum ambos principes Apoſtolici ordinis extitiſſe. At neceſſe non eſt, ut ii, qui ſunt in eodem ordine principes, omni prorſus

ſus jure, ac ratione pares ſint inter ſe ſe; ſed fieri poteſt, ut alter ſit princeps major; alter autem ſit princeps minor. Et ſanè ita factum eſt cum utroque Apoſtolo, Petro & Paulo. In ordine enim Apoſtolico Petrus ratione regiminis, poteſtatis, atque juriſdictionis fuit Princeps major; Paulus autem ratione muneris Apoſtolici fuit Princeps minor. Siquidem nulla peculiaris Provincia, Chriſtianis ritibus initianda, ut Apoſtolis ceteris, Paulo ſorte obtigit, ſed ubique gentium, atque terrarum Apoſtolicum munus obivit; adeoque Eccleſiæ inſtitutio, atque informatio, ab Apoſtolo Paulo ſuſcepta, præ Apoſtolis ceteris latiſſimè patuit, ad plurimoſque pervenit. Doctor enim, atque Apoſtolus omnium gentium fuit Paulus a Deo deſignatus atque delectus, de quo ad Ananiam Actorum 9. v. 15., *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael*. Quod ſibi nomen proprium Paulus deinceps fecit, ſibique ex inſtitutione divina vindicavit, ac tribuit.

Hinc aliorum Patrum, qui ſimilia de utroque Apoſtolo prædicant, facilis atque expedita eſt interpretatio. S. Gregorius Magnus Lib. 1. Dialogorum cap. 12. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater*, ſcilicet Paulus Petro in Principatu Apoſtolico frater, ſed natu, atque regimine minor. Quod palam docet Gregorius Lib. 2. ſuper Ezechielem hom. 18. ubi de Petro per Paulum reprehenſo, *Ecce*, inquit, *a minori ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quòd claves regni Cælorum accepit .... Minori fratri ſe ad conſenſum dedit; atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, ut jam & in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolatûs culmine, eſſet & primus in humilitate*. S. Ambroſius Serm. 1. vel 28. Petrum & Paulum appellat, *Capita martyrum, & Principes ſacerdotum*. Capita martyrum Petrus & Paulus; at non ambo ſimul Capita Eccleſiæ. Quemadmodum Stephanus Protomartyr, caput quidem martyrum; at non proindè caput Eccleſiæ. Petrus & Paulus, Principes ſacerdotum; at non æquo prorſus, parique jure præditi. *Principes*

con-

Digitized by Google

conſtituti ſuper omnem terram, *Principes populorum*, *Eccleſiarum Principes*, omnes prorſus Apoſtoli ab Eccleſia appellantur. Num proindè totidem fuerunt Eccleſiæ univerſæ capita, in unum commune caput coaleſcentia? S. Maximus Taurinenſis Serm. 5. in Feſto Apoſtolorum, Petrum & Paulum nominat, *Principes Eccleſiarum*, *& Fidei Chriſtianæ*, videlicet, Petrus, Princeps Eccleſiarum, & Fidei Chriſtianæ, ratione ſupremi regiminis, & Poteſtatis: Paulus, Princeps Eccleſiarum, & Fidei Chriſtianæ, ratione diffuſiſſimæ prædicationis, nulliſque terminis circumſcriptæ. *Petro*, inquit Sanctus Maximus ſermone commemorato, *ſicut bono diſpenſatori, clavem regni cæleſtis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori, magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis injunxit; ut quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna Cælorum.... Ambo igitur claves a Domino perceperunt: Scientiæ, iſte; ille, potentiæ.*

Ad quartum dicendum ex S. Auguſtino, Paulum profectò multum excellens membrum fuiſſe corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Ex hoc autem minimè efficitur, Paulum ſimul cum Petro caput fuiſſe conſpicuum corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Caput ergo conſpicuum Eccleſiæ univerſæ, quæ corpus myſticum Chriſti eſt, non fuit ex Apoſtolis, niſi Petrus: de quo S. Auguſtinus, inita comparatione cum Paulo, Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. *Nos*, inquit, *in ſcripturis ſanctis didicimus*, *Apoſtolum Petrum*, *in quo primatus Apoſtolorum*, *tam excellenti gratia præeminet.... a poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum*. Itaque ſingularis præſtantia, qua Apoſtolis ceteris antecellere Paulus videtur, ex eo proficiſcitur, quòd Apoſtolus Paulus nullam peculiarem Provinciam, ut Apoſtoli ceteri, ſorte obtinuerit, ſed univerſum mundum Chriſtianæ ſapientiæ lumine illuſtrandum, Chriſtianæque diſciplinæ præceptis erudiendum ſuſceperit, atque complexus fuerit. Hinc factum eſt, ut Paulus plures præ ceteris epiſtolas ſcripſerit: plures præ ceteris Provincias peragraverit: plures præ ceteris labores ſuſceperit: plura

præ

Digitized by Google

præ ceteris pericula adiverit: plurium præ ceteris hominum nequiſſimorum odia, inimicitias, contumelias, vexationes, inſectationes ſubiverit: in majores præ ceteris calamitates inciderit, atque in acerbiores ærumnas, luctus, miſeriaſque ſe ſe conjecerit. Tantam autem omnis generis malorum molem, tantoſque acervos, nullis nec animi, nec corporis laboribus defatigatus, virtute incredibili, fortitudine ſingulari, ſumma conſtantia, atque animi magnitudine ſolus ſuſtinuit. His de cauſſis *Apoſtoli* nomen penè proprium factum eſt Paulo; quod animadvertit S. Auguſtinus Lib 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 3. num. 4. tom. 10. *Apoſtolus cum dicitur*, verba ſunt S. Doctoris, *ſi non exprimatur quis Apoſtolus, non intelligitur, niſi Paulus, quia pluribus eſt epiſtolis notior, & plus omnibus illis laboravit.*

Hinc pro ſummis, ſingularibus, ampliſſimiſque Pauli in univerſam, qua latè patet, Eccleſiam meritis, adeò copioſi, & eloquentes ſunt Sancti Patres in ornando, amplificandoque Paulo, quem ſummis laudibus proſequuntur, atque in cælum extollunt. Unum ſatis ſit adduxiſſe Beatum Petrum Damianum, qui opuſculo 35. cap.4., *Unum*, inquit, *in Sancto Paulo videtur egregium, quia cum omnes Apoſtoli, diſtributis terrarum regionibus, proprias obtineant Cathedras, iſte dum nullam ſpecialiter tenet*; (adeoque Paulus eodem regimine Cathedram Romanam ſimul cum Petro non tenuit,) *videtur aliquatenus communiter omnibus præſidere*; (adeoque ſtrictè, & rigide loquendo revera non præſidet omnibus;) *planè quia ipſe toto terrarum orbe univerſam fundavit Eccleſiam, dignus eſt, ut ſicut in omnibus fidei ſemen ſparſit, etiam in omnibus jus teneat præſidentis*; (adeoque jus univerſalis præſidentiæ penes Paulum non ex jure univerſalis primatûs, ſed ex jure univerſalis prædicationis aliquomodo proficiſcitur.) *Hæc igitur eſt cauſſa, cur Paulus nullam ſpecialiter Cathedrum teneat: quia, ſi audemus ſummis minora conferre, ad inſtar Chriſti, ſalvo cetrorum Apoſtolorum jure*; (adeoque ſalvo jure primatûs, ſupremique regiminis penes Petrum,) *videtur omnibus præſidere.* (Adeoque omnibus revera non præſidet). Ceterum Damianus,

co-

eodem opuſculo, nulla facta Pauli mentione, docet ex privilegio Petri, ſeu ex lege lata pro ſingulari Apoſtolo Petro, Romanam Eccleſiam locum primum inter ceteras Eccleſias tenere, ceteriſque omnibus Eccleſiis præeſſe. Ecce verba Damiani, *Quantum ad vulgarem pertinet ſenſum, quoniam Jeroſolymis paſſus eſt Dominus, univerſis Eccleſiis, non Romana, ſed Jeroſolymitana potius præeſſe deberet Eccleſia. Verumtamen cum ex auctoritate canonum Romana Eccleſia primum teneat locum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Conſtantinopolitana quartum, Jeroſolymitana quintum, conſtat Dominum Salvatorem non uni cuilibet cathedræ ſpeciali jure præeſſe, ſed cunctis unum Paſtorem univerſaliter præſidere...... Liquet ergo Eccleſiarum ordinem eſſe diſpoſitum juxta privilegium Petri.*

Ad pleniorem articuli cognitionem adjungo I. Cum Romani Pontifices ſe Petri & Pauli ſucceſſores appellant, hoc ſibi volunt, ſe Petro & Paulo locali ſucceſſione ſuccedere, quippe qui præſunt Romanæ Eccleſiæ, quam ambo Apoſtoli communi ſtudio, voluntate, atque opera condiderunt, ſacriſque inſtitutionibus erudierunt. Ceterum Romani Pontifices ſucceſſione perſonali, non Paulo, ſed Petro ſuccedunt. Neque enim Pauli, ſed Petri perſonam ſuſtinent, cujus poteſtatem primariam, ſupremumque Eccleſiæ univerſæ regimen jure ſuo ſibi vindicant, atque tribuunt. Hinc S. Bernardus Lib. 1. de Conſideratione ad Eugenium cap. 8. ſic Eugenium alloquitur, *Tu Princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu poteſtate Petrus*. II. Quando Romani Pontifices, ut Paulus III. in Concilii Tridentini convocatione, hac ſcribendi formula utuntur, *Auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque ſubnixi*, ſignificant, fungi ſe in terris Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, tum vi ſucceſſionis localis, eo quòd ſunt Epiſcopi urbis Romæ, ubi Petrus fuit Epiſcopus ordinarius, cum juriſdictione ordinaria; Paulus autem, Epiſcopus extraordinarius, cum juriſdictione extraordinaria: tum vi ſucceſſionis realis, eo quòd ea ſibi jura vindicant, quæ inerant in utroque Apoſtolo Petro &

Paulo. At non vi ſucceſſionis perſonalis. Non enim induunt perſonam Pauli, Epiſcopi extraordinarii, cum juriſdictione extraordinaria, qui erat Petro ſubjectus in regimine Eccleſiæ; ſed impoſitam ſibi a Deo Petri perſonam exhibent, Epiſcopi ordinarii, cum juriſdictione ordinaria, qui, cum ceteris omnibus moderaretur, nulli prorſus ſubjectus erat in regimine Eccleſiæ. III. Mos uſitatus quinque ferè ab hinc ſæculis, quo Pontificia diplomata utriuſque Apoſtoli, Petri & Pauli, plumbea imagine obſignantur, declarat Romanos Pontifices peculiari patrocinio, atque præſidio utriuſque Apoſtoli, Petri & Pauli, muniri, atque corroborari. In Apoſtolicis enim conſtitutionibus, maximi momenti res continentibus, utriuſque Apoſtoli, Petri & Pauli, quorum effigies exhibent, opem auxiliumque ſibi præſto adeſſe ſignificant, atque denuntiant. IV. Quod ſimul coloratis, vel ſimul impreſſis, vel ſimul ſculptis utriuſque Apoſtoli imaginibus interdum Petrus, interdum autem Paulus locum dexterum teneat, neque paritatem, neque diſparitatem juris, vel dignitatis demonſtrat ex Beato Petro Damiano Opuſculo 35. cap. 1. Præſtantia vero loci modò dextri, modò ſiniſtri varia eſt pro varietate temporum, atque morum. Poſtremò quod aliquando invaluerit conſuetudo pingendi Chriſtum Dominum medium Petrum inter & Paulum, ex eo res ortum habuit, teſte Auguſtino, quòd uno eodemque die, uterque Apoſtolus Romæ fuerit martyrio coronatus, qui Romæ quotannis omnium maximè ſolemni celebratione recolitur, *Occurrit eis Petrus & Paulus*, inquit Auguſtinus Lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. num. 16. tom. 3., *credo quod pluribus locis ſimul eos cum illo*, ideſt Chriſto, *pictos viderent; quia merita Petri & Pauli, etiam propter ejuſdem paſſionis diem, celebrius ſolemniter Roma commendat.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Petrus poſt peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ.* (b) Cujus *Apoſtolatûs principatus cuilibet Epiſcopatui eſt*

Digitized by Google

eſt præferendus. (c) Hac de cauſſa *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatûs ſui primatum gerebat Eccleſiæ figurata generalitate perſonam*. (d) Siquidem *in Apoſtolo Petro, in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, figurabatur Eccleſia*. (e) *Apoſtolus* enim *Petrus primus erat omnium Apoſtolorum*. (f) *Cui Dominus oves ſuas primitus commendavit paſcendas; quia in Apoſtolis Petrus eſt Primus*. (g) Qui poſtea correctus *utiliter a Paulo libertate caritatis, ſanctæ, ac benignæ pietate humilitatis accepit, atque ita rarius, & ſanctius* præ Paulo *exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur priores, atque majores etiam a poſterioribus, atque minoribus corrigi*. (h) Cujus *firmitas, & caritas, cui ter a Domino dictum eſt, Amas me? Paſce oves meas, objurgationem talem Pauli poſterioris Paſtoris, pro ſalute gregis, libentiſſimè ſuſtinuit*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. tom. 8. (*b*) Lib. 2. contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9. (*c*) Tract. 124. in Jo. num. 5. tom. 3. (*d*) Serm. 76. cap. 3. num. 4. tom. 5. (*e*) Serm. 147. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*f*) Serm. 295. cap. 4. num. 4. tom. 5. (*g*) Epiſt. 82. ad Hieronymum cap. 2. num. 22. tom. 2. (*h*) In expoſitione Epiſt. ad Galatas num. 15. tom. 3.

ARTICULUS V.

Utrum ex S. Auguſtino Romanus Pontifex poteſtatis, juriſdictioniſque Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores obtineat?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Romanus Pontifex poteſtatis, juriſdictioniſque Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores minimè obtineat: Quod eruta quædam Auguſtiniana monumenta, quæ hìc in lucem proferimus, ſic ſuadere quis fortè arbitrabitur.

I. EPiſt. 34. ad Euſebium num. 5. tom. 2. *In aliis civitatibus tantùm agimus, quod ad Eccleſiam pertinet, quantùm*

tùm vel nos permittunt, vel nobis imponunt earundem civitatum Epiſcopi, fratres, & conſacerdotes noſtri.

II. In Pſal. 126. num. 3. in fine tom. 4. *Cuſtodimus vos ex officio diſpenſationis, ſed cuſtodiri volumus vobiſcum. Tanquam vobis Paſtores ſumus, ſed ſub illo Paſtore vobiſcum oves ſumus. Tanquam vobis ex hoc loco Doctores ſumus, ſed ſub illo uno Magiſtro in hac ſchola vobiſcum condiſcipuli ſumus.*

III. Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. num. 5. tom. 9. S. Auguſtinus allocutionem explicans Cypriani, habitam ad Epiſcopos 85., qui ex Provinciâ Africâ, Numidiâ, & Mauritaniâ ad Concilium Carthaginenſe 111. de hæreticis baptizandis Kal. Septemb. anno 256. convenerant, hæc habet, *Sequitur enim, & dicit* (Cyprianus), Supereſt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. *Non ſolùm ergò mihi ſalvo jure communionis adhuc verum quærere, ſed etiam diverſum ſentire concedit.* Neque enim quiſquam noſtrûm, *inquit*, Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit. *Quid manſuetius? Quid humilius? Nulla nos certè deterret auctoritas ad quærendum quid verum ſit.* Quando habeat, *inquit*, omnis Epiſcopus, pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt alterum judicare: *Opinor utique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perfectione diſcuſſæ ſunt. Noverat enim quantam ſacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia variâ diſputatione verſabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur. Neque enim mentiebatur, & ſimpliciores collegas in verbo capere cogitabat, ut cum ſe diverſum ſentire prodidiſſent, tunc contra quàm promiſerat, excommunicandos eſſe cenſeret ..... Præſertim cum addat, & dicat*, Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.

IV. Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9.

Digitized by Google

tom. 9. *De quo* (Petro) *idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum* 71. *ita loquitur*, Nam nec Petrus, *inquit*, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere..... Documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando a fratribus & collegis noſtris utiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.

V. Lib. de unico Baptiſmo contra Petil. cap. 14. num. 23. tom. 9. *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diverſa ſentiebant, duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis, Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholicâ conſtituti: quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat; & hoc facientibus graviter ſuccenſebat: Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat. Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant: utrique cum eis in unitate conſiſtentes.*

VI. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 7. num. 19. tom. 2. de Melchiadis Romani Pontificis judicio, & ſententia in Concilio Romano, pro Cæciliano Carthaginenſi iniquè a Donatianis accuſato, *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.*

VII. In Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, qui ex diverſis Africanis Conciliis ſimul collecti fuerunt in Concilio Carthaginenſi VI. an. 419. ſedente Bonifacio, poſt Conſulatum Honorii XII., & Theodoſii IIX. Augg. VIII. Kal. Jun. Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti, ſub Aurelio Carthaginenſi, conſidentibus Patribus 217., quibuſcum interfuerunt Aly-

Alypius Thagaſtenſis, & Auguſtinus Hipponenſis, unà cum Fauſtino Eccleſiæ Potentinæ, Provinciæ Italiæ Piceni, & Philippo & Aſello Presbyteris, tribus Eccleſiæ Romanæ Legatis, ubi cauſſa Apiarii Siccenſis Presbyteri agitata eſt, qui a Synodali ſententia Urbani Siccenſis Epiſcopi ad Zoſimum Bonifacii deceſſorem appellaverat. In Codice, inquam, Canonum Eccleſiæ Africanæ Can. 125. hæc habentur, *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in cauſſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur*. Extat tom. 2. Collect. Concil. editionis Venetæ an. 1728. pag. 1348.

VIII. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom. 2. ſignificans diverſam rationem agendi jure ſtabilitam in cauſſis Epiſcoporum, atque inferioris Cleri: *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum judicio, præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum, cauſſam ſuam integram reſervare*.

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Auguſtino, Romanum Pontificem poteſtatis, juriſdictioniſque Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores obtinere. Quod ex Auguſtini placitis, rebuſque in Africa geſtis ad uſque Auguſtini tempora ſic demonſtratur.

I. Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 23. num. 31. tom. 9. diſcutiens Auguſtinus Epiſtolam Cypriani ad Pompejum Sabratenſem contra Epiſtolam Stephani de hæreticis baptizandis, quæ eſt apud Baluzium 74., hæc habet, *Ad Pompejum ſcribit Cyprianus de hac eadem re, ubi apertè indicat, Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus,*

mus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe; verum etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe. Qui utique Stephanus non propterea communicavit hæreticis, quia baptiſma Chriſti, quod in eorum perverſitate integrum manſiſſe cognovit, improbare non auſus eſt.

II. Ibidem cap. 25. num. 36. de eadem Cypriani Epiſtola ad Pompejum contra reſcriptum Stephani, *Jam illa, quæ in Stephanum* Cyprianus *irritatus effudit, retractare nolo; quia & non opus eſt. Eadem quippe ipſa dicuntur, quæ jam ſatis diſcuſſa ſunt; & ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur: iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis caritatis viſceribus largiſſimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraternè indignaretur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.*

III. Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. num. 23. tom. 9. *Sed volo mihi ſolvat iſte* Petilianus *quæſtionem; quandoquidem cum Romanæ Eccleſiæ per ordinem commemoraret Epiſcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos Epiſcopatum illibatum geſſiſſe confeſſus eſt. Cum ergò Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos; verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.*

IV. Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. num. 17. tom. 9. ad trutinam revocans Auguſtinus Epiſtolam Cypriani ad Jubajanum de baptizandis hæreticis, quæ eſt apud Baluzium 73. *Nulla*, inquit, *de illis, ex quo in Eccleſia per Agrippini concilium baptizati ſunt, quæſtio alicujus excommunicationis exorta eſt. Ceterum ſi permanebat ab Agrippino uſque ad Cyprianum conſuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta ſunt a Cypriano de hac re concilia? Ut quid eidem Jubajano dicit, non ſe rem novam facere aut repentinam, ſed*

ſed ab Agrippino conſtitutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per Agrippini auctoritatem ſanari oporteret, ſi ab Agrippino uſque ad Cyprianum hoc tenebat Eccleſia? Cur denique tot ejus Collegæ in Concilio dixerunt, rationem & veritatem conſuetudini præponendam, ac non potiùs dixerunt, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra conſuetudinem facere?

Accepimus igitur ex S. Auguſtino, Stephanum Romanum Pontificem Cypriano Carthaginenſi, Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ Primati, & cum eo Epiſcopis 70., qui in Concilio Carthaginenſi 11. de hæreticis baptizandis unà cum Cypriano conſederant anno 255., quique ad Stephanum Papam Synodalem Epiſtolam apud Baluzium 72. hac ſuper re dederant, eis præcepiſſe, ut pœnitentes hæreticos ad ſe venientes iterum non baptizarent. Præceptum autem ab Stephano Papa Cypriano, & cum eo Epiſcopis 70. injunctum, Epiſtola Cypriani ad Pompejum 74., hiſce verbis expreſſum legitur, *Si quis ergò a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm*. Præcepit ergo Stephanus, ut ſi quis ad Eccleſiam, non a Paganiſmo, ſed a quacumque hæreſi, adeoque ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis baptizatus venerit, iterum non baptizetur, cum ipſi hæretici, communi nobiſcum baptiſmo initiati, alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm. Hanc fuiſſe Stephani mentem ex S. Auguſtino clarè perſpicitur, qui Lib. 5. de Bapt. cap. 23. num. 31. tom. 9. contra Donatiſtas affirmat, quod *Stephanus non propterea communicavit hæreticis, quia baptiſma Chriſti, quod in eorum perverſitate integrum manſiſſe cognovit, improbare non eſt auſus*. Adde, quod Firmilianus ipſe Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, in Stephanum acerbiſſimus, Epiſtola ad Cyprianum 75. pag. apud Baluzium 304. F., exprobrat Stephano, ejuſdemque ſuffragatoribus, *Quod non putant quærendum eſſe, quis ſit ille qui baptizaverit, eo quòd, qui baptizatus ſit, gratiam conſequi poterit, invocata Trinitate no-*

nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Conſtat igitur Stephanum Papam reſcripſiſſe non de Paganis, ſed de hæreticis jam baptizatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Ex his verò Launoii (tom. 8. p. 656.) criminationes in Stephanum comprimuntur. Ceterum quod ad injunctum a Stephano præceptum pertinet, ipſemet Cyprianus denuntiatum, indictumque ſibi ſuiſque præceptum a Stephano affirmat eâdem ad Pompejum epiſtolâ 74. pag. 293. B. & C. in hæc verba, *A quacumque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit* Stephanus.... *Et præcepit nihil aliud innovari, niſi quod traditum eſt*. Quamobrem & ex S. Auguſtini, & ex ipſiuſmet Cypriani teſtimonio exploratum eſt, Stephanum Romanum Pontificem præceptum ad diſciplinam pertinens de hæreticis, ex perpetua inveterataque Eccleſiæ conſuetudine, non baptizandis Cypriano, ceteriſque cum eo Africanis Epiſcopis, ſupremâ qua pollebat poteſtate atque juriſdictione ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores, denuntiaſſe, atque injunxiſſe.

Præterea habemus ex S. Auguſtino, Stephanum Papam, neque in Cyprianum, neque in Afros Epiſcopos, Cypriano de baptizandis hæreticis adhærentes, excommunicationis ſententiam reipſa pronuntiaſſe, ſed dignos cenſuiſſe qui excommunicarentur: quin etiam excommunicationem in eos ſe laturum denuntiaſſe, ſin minus ab hæreticis baptizandis deinceps ceſſarent, & abſtinerent. Certa res eſt, atque teſtata apud Auguſtinum Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. num. 36. tom. 9., *Stephanus autem*, inquit, *etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur*. Et Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. num. 23. tom. 9., *Cum ergò Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt*. Profectò quod Stephanus abſtinendos, id eſt, excommunicandos putaverit, quod excommunicandos cenſuerit Epiſcopos, qui contra priſcam Eccleſiæ conſuetudinem vel rebaptizarent hæreticos, vel decernerent rebaptizandos, longè diſtat ab eo, quod Stephanus hu-

hujuſmodi Epiſcopos reipſa excommunicaverit, cum nihil aliud ea verba ſignificent, quàm ſenſiſſe Stephanum, illos Epiſcopos fuiſſe promeritos, ut a ſua communione removerentur. Hinc factum eſt, ut poſt comminatam a Stephano excommunicationem exorta ſit inter diſſentientes hac ſuper re Epiſcopòs quæſtio, quæ ab Agrippino Cypriani deceſſore primùm rebaptizante ad Cyprianum uſque fuerat inaudita, videlicet, Utrum coercendi eſſent excommunicatione illi, qui baptizarent hæreticos? Quod indicat Auguſtinus Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. num. 17. tom. 9. ubi, *Nulla*, inquit, *de illis*, *ex quo in Eccleſia per Agrippini Concilium baptizati ſunt*, *quæſtio alicujus excommunicationis exorta eſt*. Poſtremò ex teſtimonio Auguſtini Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. num. 36. tom. 9. poſt reſcriptnm Stephani ad Cyprianum, denuntiatamque excommunicationem, *Vicit pax Chriſti in cordibus eorum*, Stephani videlicet & Cypriani, *ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur*. Et Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. num. 23. tom. 9., *Cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit*. Quæ vera non eſſent, ſi Stephanus Cyprianum erroris ſui tenacem, cum Epiſcopis Cypriano aſſentientibus, a communione ſua ſeparaſſet. Neque enim Cyprianus, utpotè excommunicatus a Stephano, in unitatis pace cum Stephano permanſiſſet: neque pax Chriſti in cordibus utriuſque ita viciſſet, ut nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur; ut loquitur Auguſtinus.

Quod pertinet ad Epiſcopos orientales, qui jam pridem in Iconienſi Concilio baptizandos hæreticos conſtituerant; de quo Firmilianus ad Cyprianum Epiſt. apud Baluzium 75. pag. 304. C., *Quod totum nos jampridem in Iconio*, *qui Phrygiæ locus eſt*, *collecti in unum*, *convenientibus ex Galatiâ*, *& Ciliciâ*, *& ceteris proximis regionibus*, *confirmavimus tenendum contra hæreticos*, *& firmiter vindicandum*. Et eâdem Epiſtolâ pag. 309. A., *Plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſimè tractavimus*, *& confirmavimus repudiandum eſſe omne omnino baptiſma*, *quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum*: Quod pertinet, inquam, ad orientales Epiſcopos, neque eos Ste-

Digitized by Google

Stephanus excommunicavit, ſed niſi a baptizandis hæreticis deinceps abſtinerent, ab eorum communione diſceſſurum ſe eis denuntiavit, a qua tamen cum orientalibus communione reipſa nunquam diſceſſit. Locupletiſſimus teſtis eſt S. Dionyſius Alexandrinus, qui, Stephano glorioſiſſimo Martyrio jam coronato, in fragmento Epiſtolæ, quod extat apud Euſebium Lib. 7. hiſt. cap. 5. ad Xyſtum Stephani ſucceſſorem, de litteris hac ſuper re a Stephano acceptis, hæc ſcribit, *Antea quidem litteras ſcripſerat Stephanus de Heleno, & de Firmiliano, ac de omnibus per Ciliciam, & Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis, teſtans ſe ſe ob eandem illam cauſſam ab illorum communione diſceſſurum* (οὐδὲ ἐπιμίξεως κοινωνήσων) *quòd hæreticos rebaptizarent*. Neque obſtat quod Firmilianus Epiſtola ad Cyprianum 75. de Stephano conqueratur, & prædicet Stephanum ab unitate & pace diſceſſiſſe; modò cum Afris, modò cum Orientalibus pacem fregiſſe; ſe a gregibus ſegregaſſe; & fraternitatem ipſam conſcidiſſe. Hæc enim omnia nihil aliud ſignificant, quam Stephanum Afris Epiſcopis, atque Orientalibus excommunicationem denuntiaſſe, ſin minus ab hæreticis baptizandis ſe continerent. Cum autem Firmilianus, atque Epiſcopi Firmiliano ſuffragatores, in priſtina ſua voluntate hæreticos baptizandi adhuc permanerent immoti, ita de ſe, ut aſſolet, prædicabant, ac ſi reipſa Stephanus ab eorum communione diſceſſiſſet: & proximè excommunicandi ſe deputabant pro excommunicatis. Quod autem in eadem Epiſtola Firmilianus referat, Stephanum in urbe Româ pacem, communionem, hoſpitium, tectum Epiſcopis a Cypriano Legatis denegaſſe, demonſtrat, Stephanum ad deterrendos a ſacrilego rebaptizandi conſilio Afros Epiſcopos, ſe cum Legatis ita geſſiſſe, perinde ac ſi eſſent a ſocietate Chriſtiana ſegregati, quibuſcum non ſublatam prorſus, ſed brevi ſuſpenſam, ut & ceteri reſipiſcerent, communionem voluit, atque ſignificavit.

Jam verò ſuprema auctoritas, & ſubjiciendi præcepto, & coercendi excommunicatione univerſos Eccleſiæ Paſtores profluit ac proficiſcitur ex Primatu poteſtatis, atque juriſdictionis ſuper univerſos Eccleſiæ Paſtores. Cum autem ex S. Augu-

Digitized by Google

guſtino, rebuſque in Occidente atque in Oriente geſtis cum Epiſcopis rebaptizantibus, fuerit demonſtratum, Stephanum Romanum Pontificem ſupremam auctoritatem obtinuiſſe, quam uſu factoque ipſo declaravit, & ſubjiciendi præcepto, & coercendi excommunicatione Paſtores Occidentales, & Orientales, ac proinde univerſæ Eccleſiæ Paſtores, hinc ex S. Auguſtino conſequitur, Romanum Pontificem obtinere poteſtatis atque juriſdictionis Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores. In hac fuerunt ſententia ipſimet Cyprianus, & Firmilianus, quamvis in diſceptatione de baptizandis hæreticis Stephani ſe adverſarios maximè acerbos, ne dicam contumelioſos, præſtiterint. Cyprianus a Fauſtino Lugdunenſi rogatus, ut, pro gratia, atque exiſtimatione quam apud Stephanum obtinebat, ad eum ſcriberet de Marciano Arelatenſi, Novatianæ hæreſis fautore, Epiſtola ad Stephanum 67. pag. 249. A. ſic Stephanum obſecrat Cyprianus, *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem, a te litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur*. Et ad calcem ejuſdem Epiſtolæ pag. 250. E., *Significa planè quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*. Itaque perſuaſum erat Cypriano, opera, & auctoritate Romani Epiſcopi, pro ſuprema ſua poteſtate atque juriſdictione ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores, legitimè Epiſcopos excommunicari, exauctorari, deponi: novoſque Epiſcopos in Sedem eorum, qui excommunicati, exauctorati, atque depoſiti eſſent, ſubſtitui, & collocari.

Quod ad Firmilianum pertinet, Epiſt. ad Cyprianum 75. pag. 308. A., non inficiatur Firmilianus Primatum Stephani, cujus ſucceſſionem hereditariam a Petro Apoſtolo repetit, etſi poteſtatis ſuæ, atque juriſdictionis Primatu, in decreto de hæreticis non baptizandis, abuti Stephanum, uti falſo arbitratur, doleat, & lamentetur, *Atque ego in hac parte*, inquit, *juſtè indignor ad hanc tam apertam Stephani ſtultitiam, quòd qui ſic de Epiſcopatûs ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collo-*

Digitized by Google

collocata ſunt. Et paulò infra B., *Stephanus, qui per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo adverſus hæreticos zelo excitatur*. Abuſum autem ſupremæ poteſtatis atque juriſdictionis, quem in Stephano Firmilianus malè reprehendit, in eo ſitum eſſe affimat, quod non propter dogma fidei, ſed propter meram variamque Eccleſiæ diſciplinam atque conſuetudinem, quæ varia variis locis invaluerat, quamque in utramque partem æquo jure,& ſalva fide ſuſtineri poſſe affirmabat, præter Cappadoces, Galatas, Cilices, tot Africanos Epiſcopos Stephanus denuntiaverit excommunicandos. Ecce Firmiliani verba, Epiſtolâ commemoratâ, pag. 303. D. & E., *Eos autem, qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare, quæ ſint ab origine tradita; & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illos aliquas diverſitates, nec obſervari illìc omnia æqualiter, quæ Jeroſòlymis obſervantur, ſecundùm quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa, pro locorum, & hominum diverſitate variantur: nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſus vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum, amore & honore mutuo, cuſtodierunt*.

V. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 3. num. 7. tom. 2. *Erat* Carthago *tranſmarinis vicina regionibus, & famâ celeberrimâ nobilis: unde non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eos illas Eccleſias alienare conarentur*.

VI. Ibidem cap. 5. num. 14. *Quod ſi geſta Proconſularia diſplicent, Eccleſiaſticis cedite. Omnia vobis ordine recitata ſunt. An fortè non debuit Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus*

pus cum collegis tranſmarinis Epiſcopis, illud ſibi uſurpare judicium, quod ab Afris ſeptuaginta, ubi Primas Sigiſitanus præſedit, fuerat terminatum? Quid, quod nec ipſe uſurpavit? Rogatus quippe Imperator, judices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent, & de tota illa cauſſa, quod juſtum videretur, ſtatuerent.

VII. Epiſt. 105. ad Donatiſtas cap. 3. num. 8. tom. 2. *Quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam, atque finiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in urbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis Collegis ſuis. Qui cum Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent, & Donatum, qui ſchiſma Carthagine fecerat, ſententiâ percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, de judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt.... Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios judices Epiſcopos dedit apud Arelatum Galliæ civitatem, & ab ipſis veſtri ad ipſum Imperatorem appellarunt, donec etiam ipſe cauſſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos pronuntiaret.*

VIII. Epiſt. 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 5. num. 16. tom. 2. *Qualis ipſius beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia! quàm innocens! quàm integra! quàm provida atque pacifica! qua neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt removere, & Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos eſſe conſtaret: itaut quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum! O filium chriſtianæ pacis! O Patrem chriſtianæ plebis!*

IX. Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 5. num. 10. tom. 9. *Ultrò faſſus eſt* Parmenianus *ſuos ipſos adiiſſe etiam Conſtantinum, & arbitrio ejus a judicibus Epiſcopis cauſſam cognitam, quibus præfuit Melchiades Romanæ urbis Epiſcopus.*

In

In quo judicio, ſicut Eccleſiaſtica geſta teſtantur; quia victi ſunt iſti, & innocens Cæcilianus inventus eſt, eundem Melchiadem crimine traditionis accuſant. Quod quæſo quomodo cognoverint. Si enim ante judicium, non ſibi præjudicare debuerunt, ut apud talem judicem cauſſam agere inciperent, etiam ex præcepto Imperatoris, quem ipſi adierant, tale ſubire judicium: Si autem poſt dictam cauſſam prolatamque ſententiam eum traditorem didiciſſe perhibent, uſque adeò dementes ſunt homines, ut contra judices, apud quos victi ſunt, victis litigatoribus credant!

Narrat igitur Auguſtinus, Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem nihil curaſſe latam contra ſe ſententiam ab Numidis Epiſcopis ſeptuaginta, quòd paratus eſſet, ſi ita res poſtularet, cauſſam ſuam deferre ad Romanam Eccleſiam, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus. Quod reipſa contigit ſedente Melchiade Romano Pontifice. Cum enim Epiſcopi Donatiani Cæcilianum Carthaginienſem apud Conſtantinum Imperatorem in judicium violatæ religionis vocaſſent, Imperator religioſiſſimus ratus minûs idoneum judicem ſe futurum in cauſsâ Eccleſiaſticâ, rem totam Melchiadi Romano Pontifici *accuratiſſimè dijudicandam, & ex præſcripto juſtitiæ terminandam*, apud Euſebium Lib. 10. Hiſt. cap. 8., demandavit. Convenerunt igitur in domum Fauſtæ in Laterano, Conſtantino III. & Licino III. COSS., ſexto nonas Octobres, feria ſexta, anno 313., Epiſcopi duodeviginti, Præſidente Melchiade Romano Pontifice, quorum Itali quindecim, Galli tres, Maternus Agrippinenſis, Rheticius Auguſtodunenſis, Marinus Arelatenſis. Melchiades ergò Cæciliani Carthaginienſis cauſſam, quæ ex S. Auguſtino a Numidis Epiſcopis ſeptuaginta fuerat Carthagine terminata, in integrum reſtituendam, iterum diſcutiendam, ultimoque judicio ſuo conficiendam, terminandamque ſuſcepit. Poſtremò a Melchiade ultima atque irrevocabilis prolata ſententia eſt, qua Cæcilianus Epiſcopus Carthaginienſis innocens declaratus, Donatus Numida Epiſcopus a Caſis Nigris reus pronuntiatus: decretumque, ut ex duobus in eadem ſede Epiſcopis, Catholico

& Do-

Digitized by Google

& Donatiano, quos diſſenſio geminaſſet, quo proclivior fieret reditus Donatianis, ii, qui eſſent ordinatione priores, priſtinas ſedes retinerent; poſteriores verò, novis paſcendis gregibus præficerentur. Hac autem agendi ratione verè Patrem Chriſtianæ plebis, teſte Auguſtino, Melchiades Romanus Pontifex ſe ſe exhibuit, ac declaravit. Jam verò Eccleſiaſtica hæc monumenta, a S. Auguſtino litteris conſignata, argumenta ſunt ſatis explorata & perſpicua, quibus conſecutione legitima efficitur, Romanum Pontificem poteſtatis, atque juriſdictionis Primatum ſupra ceteros Eccleſiæ Paſtores obtinere.

His addo ſelecta quædam, ex Donatiana hiſtoria decerpta, quæ commemoratu digniora ſunt, atque ad rem, quam hic habemus præ manibus, maximè pertinentia. Cum Donatiani Epiſcopi, ſedente Melchiade, Cæcilianum Carthaginenſem in judicium de Religione apud Conſtantinum vocaſſent, pientiſſimus Imperator, teſte Optato Milevitano Lib. 1. adverſus Parmenianum non procul a fine, in hanc exclamationem erupit, *Petitis a me in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem!* Itaque Conſtantinus judicium Cæciliani Epiſcopi ad Melchiadem Romanum Pontificem, adjutoribus duodeviginti Epiſcopis a ſe delectis Judicibus, detulit, a quibus ſummo conſenſu, unoque omnium ore lata ſententia eſt contra Donatum Epiſcopum Numidam a Caſis Nigris, *Quòd confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe: quod ab Eccleſia alienum eſt.* Contrà vero *Cæcilianus*, pergit Optatus eodem loco, *omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronuntiatus: etiam Melchiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt his verbis, Cum conſtiterit, Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta profeſſionem ſuam non accuſari: nec a Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit, ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo.* Ita Melchiades. At non proinde Donatiani Epiſcopi, ut par erat, obmutuerunt; ſed apud Imperatorem conqueſti ſunt, ſe judices minùs æquos expertos eſſe, *Judices Eccleſiaſticos*, inquit Auguſtinus Epiſtola 43. ad Glorium, & Eleuſium cap. 7. num. 20. tom. 2., *tantæ auctoritatis Epiſcopos,* quo-

quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quod malè judicarint. Donatianæ autem querelæ contra Romanum judicium his verbis habentur expreſſæ Epiſtola Conſtantini ad Ablavium, ſeu Ælianum Africæ Proconſulem, quæ eſt de celebrando Arelate Concilio, eòque evocandis Epiſcopis diſſidentibus, *Cum res fuiſſet apud urbem Romam ab idoneis, ac probatiſſimis viris Epiſcopis terminata, obnixè ac pertinaciter* Donatiani *reſpondendum æſtimaverunt, quod eorum omnis cauſſa non fuiſſet audita; ſed potius iidem Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, judicaſſent.* In Collect. CC. Venet. edit. an. 1728. tom. 1. pag. 1445. D.

Itaque Synodus Arelate, ubi Marinus Epiſcopus præſidebat, coacta eſt, Voluſiano & Anniano COSS., anno Chriſti 314, Silveſtri Papæ anno I., Conſtantini Auguſti VIIII. Convenerunt ex pluribus, remotiſque Occidentis regionibus Epiſcopi ducenti, qui diſcuſsâ, quæ Cæcilianum inter & Donatianos agitabatur, cauſsâ, innocentem Cæcilianum, Donatianos reos pronuntiarunt. Extat ſynodalis Epiſtola ad Silveſtrum Papam de rebus in Synodo geſtis, & de canonibus XXII. in ea conſtitutis, qua Patres Arelatenſes rerum geſtarum, canonumque confirmationem atque promulgationem a S. Silveſtro ſic honorificentiſſimè efflagitant, tom. 1. Collect. CC. pag. 1449. D., *Placuit etiam a te, qui majores diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari. Quid autem ſit, quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubjunximus.* Abſoluto Arelate Concilio contumaces, pertinaceſque Epiſcopi Donatiani a judicio ducentorum Epiſcoporum ad Imperatorem appellare veriti nequaquam ſunt. Contra verò exhorruit ad profanam Donatianorum appellationem religioſiſſimus Imperator, *Perquirunt ſæcularia*, inquit Epiſt. ad PP. Arelat. tom. 1. CC. pag. 1455. lit. D., *relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! Sicut in cauſſis Gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Et hæc ea Conſtantini deteſtatio eſt, de qua Auguſtinus Epiſtola 43. cap. 7. num. 20. tom. 2., *Neque enim eſt auſus*

Digitized by Google

Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret: ſed alios, ut dixi Epiſcopos Arelate *dedit, a quibus tamen illi ad ipſum rurſum Imperatorem provocare maluerunt: qua in re illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis*. Ad extremum aſſiduis importuniſque Donatianorum clamoribus, querelis, atque illegitima provocatione Imperator defatigatus, & penè fractus, *Cæcilianum innocentiſſimum; illos improbiſſimos judicavit*, ut refert Auguſtinus eodem loco, qui Conſtantini judicium Mediolani habitum, poſt Romæ primùm, & Arelate ſecundùm ab judicibus Eccleſiaſticis abſolutum, his verbis excuſat, *Atque utinam ſaltem ipſius* Conſtantini *judicio inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent: Atque ut eis ipſe ceſſit, ut de illâ cauſâ poſt Epiſcopos judicaret, a ſanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus;... ſic & illi aliquandò cederent veritati*.

At tantum abeſt, ut veritati aliquando ceſſerint Donatiani, ut rem præclariſſimam falſis rumoribus, Auguſtini ætate, tum primùm obſcurare non dubitaverint. Cum enim ſupremæ auctoritatis pondere opprimerentur, qua Melchiades Romanus Pontifex cum Epiſcopis duodeviginti ultimâ irrevocabilique ſententiâ Donatianæ factionis audaciam, atque conatus fregerat; Cumque *ſententiam decem & novem Epiſcoporum*, in Romano judicio *jamdiu datam, diſſolvi non poſſe* Eunomius, & Olympius in Africam legati Epiſcopi pronuntiaſſent, teſte Optato Milevitano Lib. 1. adverſus Parmenianum non procul a fine, ut auctoritatem Melchiadis, quam graviſſimam ſibi, maximèque incommodam experiebantur, convellerent funditùs, atque labefactarent, centum fermè ab judicio Melchiadis elapſis annis, primùm auſi ſunt ſpargere in vulgus, Majores ſuos ideò judicio Melchiadis ſtare tunc noluiſſe, quòd Marcellinus Romanus Pontifex, & Presbyteri ejus Marcellus, Melchiades, Silveſter ſacros codices Chriſtiani nominis hoſtibus concremandos tradidiſſent, profaniſque manibus thus ſacrilegum falſis numinibus adoleviſſent. Hinc contendebant Romanos Epiſcopos & crimine ipſo, & contagione criminis ab Eccleſia

cleſia præciſos, Judices in cauſsâ Eccleſiaſticâ eſſe minimè potuiſſe. Calumniam impudentiſſimam a recentioribus Donatianis tum primùm excogitatam, atque confictam S. Auguſtinus Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 16. a num. 27. ad 30. tom. 9. ita refellit, atque diſſolvit, *Quid ergò jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos* Petilianus *incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silveſter, traditionis codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: ſed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit: Ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?*

Et ſanè Imperator Conſtantinus Epiſtolâ ſuâ ad Ablavium Africæ Vicarium, ſeu ad Proconſulem Africæ Ælianum, quæ habetur in Collect. Concil. tom. 1. pag. 1449. lit. D. narrat, Donatianos contra Romanum Melchiadis judicium apud ſe conqueſtos ex eo tantùm fuiſſe, *Quòd eorum omnis cauſſa non fuiſſet audita; ſed potius iidem Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, judicaſſent.* Similia refert Auguſtinus loco citato num. 28., *De quo judicio cum majores iſtorum importuniſſimâ pertinaciâ memorato Imperatori quererentur, quòd nec plenè, nec rectè fuerit examinatum, atque depromptum, nihil de Melchiadis*, nihil de Marcellini, *traditione, vel thurificatione dixerunt.* Jam verò vel veteres Donatiani Marcellini thurificationem tunc ignorarunt, vel minùs conducere ad cauſſam ſuam arbitrati ſunt? At incredibile eſt, quod homines, qui toti erant in expiſcandis criminibus Epiſcoporum, ignorare potuerint horrendum adeo facinus, in clariſſima luce totius urbis & orbis, a Romano Epiſcopo, famâ nuperrima & recentiſſimâ perpetratum. Siquidem ab Marcellini conſecratione, quæ contigit anno 296. ad judicium Melchiadis, quod factum eſt anno 313., decem & ſeptem, nec eo plures anni effluxerunt. At multò magis ab omni penitus hominum fide eſt alienum, quod tanti facinoris conſcii, illud ſilentio præ-

terire maluerint. Nihil enim magis aptum, magiſque commodum, atque opportunum ad antiquandum, abrogandumque Melchiadis judicium veteribus Donatianis accidere potuiſſet, quàm decantata Marcellini thurificatio. Nam inter ea quæ veteres Donatiani Cæciliano objiciebant, illud apud eos capitale erat, quod, *Cæcilianus Epiſcopus eſſe non poſſet, quòd ab illo traditore*, Felice Abtungenſe Epiſcopo, ut dictitabant, *fuerit ordinatus*, Auguſtinus loco citato num. 28. Eadem ratione, ſi Marcellini thurificationem, vel tenuiſſima conjectura, ſeu ſuſpicione fuiſſent Donatiani veteres aſſecuti, apud Imperatorem protinus reclamaſſent, Melchiadem Epiſcopum eſſe non poſſe, quòd a Marcellino thurificato fuerit presbyter ordinatus; & hac de cauſsâ nullam eſſe contra ſe a Melchiade latam ſententiam, nullumque Romæ habitum a Melchiade judicium. Sed longè alia objicientes, ne verbum quidem, quod maximè facto opus erat, de Marcellini thurificatione fecerunt. Sed jam audiatur Auguſtinus, qui ſimili argumentatione & Melchiadis, & Marcellini innocentiam, a recentioribus Donatianis exploratiſſimâ calumniâ appetitam, ſic defendendam ſuſcipit eodem loco, *Niſi fortè quiſquam tam ſit inſipiens, ut credat, eos veteres* Donatianos, *cum Felici non pepercerint, a quo Cæcilianus fuerat ordinatus, Melchiadi parcere potuiſſe, a quo fuerat abſolutus, ſi illius Epiſcopi vitam, quamvis nullum vulnus conſcientiæ peremiſſet, ſaltem qualiſcumque fama culpaſſet. An verò, quod de foro Abtungenſium fictum fuerat, ab iſtis accuſaretur; &, quod in Capitolio Romanorum factum fuerat, taceretur?*

Sed contrahenda jam vela ſunt, atque ea, quæ copioſius ſupra retulimus, in brevem ſummam ſunt reſtringenda. Teſte Optato Milevitano in Synodo Romæ habita, Præſidente Melchiade, ubi cauſſa agitata eſt de Afris Epiſcopis diſſidentibus, quorum adverſi duces Donatus a Caſis Nigris, & Cæcilianus Carthaginienſis, ultima, qua totum judicium clauſum atque abſolutum eſt, Melchiadis Romani Pontificis ſententia celebratur. Præterea, poſt Romanum Concilium decem & novem Epiſcoporum anno 313. convocatum, ſequenti anno

anno 314. Arelate ducenti Epiſcopi convenerunt, a quibus eadem, quæ a Melchiade, lata ſententia eſt. At, nulla mentione factâ Arelatenſis Concilii, Eunomius, & Olympius in Africam Legati, apud Optatum, pronuntiare non dubitarunt, *Sententiam decem & novem Epiſcoporum, jamdiu datam*, quæ fuit ultima Melchiadis ſententia, *diſſolvi non poſſe*. De rebus autem Arelate geſtis in judicio habito de Africanis Epiſcopis, & de canonibus ibi conſtitutis ducenti Patres Arelatenſes certiorem faciunt Silveſtrum Papam, ab eoque utpote qui *majores*, ut ajunt, *diœceſes teneat*, confirmationem, atque promulgationem Synodi vehementer efflagitant. In breviario autem Epiſtolæ, ad Silveſtrum datæ, canonibus duobus ſupra viginti præfixo, *Quid decreverimus*, inquiunt, *communi conſilio ſanctitati tuæ ſignificavimus, ut omnes ſciant quid in futurum obſervare debeant*. Hiſtorica autem hæc monumenta, ex Epiſcoporum cauſſis atque judiciis petita, magno argumento ſunt, quo efficitur id, quod contendimus, videlicet, Romanum Pontificem poteſtatis, juriſdictioniſque Primatum ſupra ceteros Eccleſiæ Paſtores obtinere.

X. Epiſt. 215. ad Valentinum Abbatem, ejuſque Monachos Adrumetinos num. 2. tom. 2. *Quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum: & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem conſtituimus .... hæc omnia & in præſenti legimus cum ipſis, & per eos miſimus vobis*.

XI. Epiſt. 190. ad Optatum cap. 6. num. 22. tom. 2. *Admoneo, ne hæreſim novam minus cautus incurras, ... cujus vel auctores, vel certè acerrimi, notiſſimique ſuaſores cum Pelagius & Cæleſtius extitiſſent, Conciliorum Epiſcopalium vigilantia in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus Venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt. De quibus exempla recentium litterarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memoratâ Sede manarunt, ne*

for-

ſortè ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti.

XII. Lib. de Peccato Originali cap. 21. & 22. num. 24. & 25. tom. 10. *Poſt reſcripta Africani Concilii,... alia quoque ipſius* Pelagii *in urbe Roma, ubi diutiſſimè vixerat, atque in his fuerat prius ſermonibus contentionibuſque verſatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ litteris ſuis, quas conſcripſit per orbem catholicum perferendas, Papa Zoſimus exſecranda, ſicut legere poteſtis, adtexuit,... duobus iſtis, Pelagio ſcilicet & Cæleſtio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut, ſi id recuſaverint, omnino damnatis.* Superioribus locis mentionem facit Auguſtinus celeberrimæ illius Epiſtolæ, quæ Zoſimi *Tractoria* ab rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus eſt appellata, cujus Apoſtolicæ Conſtitutionis præter Auguſtinum, Marius Mercator, Proſper, Cæleſtinus Papa, Gennadius meminerunt. Tractoriæ Zoſimi non extant niſi pauca quædam fragmenta legenda apud Auguſtinum Epiſtola 190. ad Optatum cap. 6. num. 23. tom. 2., apud Proſperum Libro contra Collatorem cap. 5., & apud Cæleſtinum Papam ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola 21. cap. 8. & 9. In hac autem ampliſſima, copioſiſſimaque epiſtola decretali damnati fuerunt a Zoſimo Cæleſtius, atque Pelagius, cum eorundem erroribus, ex Libris ipſorum excerptis: confirmati canones Concilii Africani, anno 418. Kalendis Majis a Patribus CCXIV. contra Pelagianos, & Cæleſtianos errores, conſtituti: novique canones ab Apoſtolicâ Sede contra eandem hæreſim propoſiti, ac promulgati.

Zoſimus ergò Romanus Pontifex ad univerſos Chriſtiani orbis Epiſcopos, tam occidentales, quàm orientales, decretalem Epiſtolam ſuam perferendam mandavit, quod, præter Auguſtinum locis ſupra productis, locupletiſſimus teſtis affirmat Marius Mercator in Commonitorio pag. edit. Baluz. 138. his verbis: *A beatæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis vel longiſſimis* (Cæleſtius) *perdamnatus eſt, in quibus & ipſa capitula, de quibus* (a Paulino Diacono) *fuerat accuſatus, continentur. Et omnis cauſſa tam de Cæleſtio ſupraſcripto, quàm de Pelagio Magiſtro ejus praviore, videtur eſſe narrata.*

Quo-

Digitized by Google

Quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria: & ad Orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Jeroſolyma, ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus. Mario conſentit Proſper in Chronico ad annum Chriſti 418., cujus hæc verba ſunt, *Concilio apud Carthaginem habito* CCXIV. *Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodalia decreta perlata: Quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Ut autem Pelagianam peſtem atque perniciem, qua capitalior nulla Chriſti Domini Eccleſiam invaſerat, Zoſimus Romanus Pontifex deleret penitus, atque extingueret, omnes univerſi Chriſtiani orbis Epiſcopos præcepto adegit, & lege ſeveriſſimâ obſtrinxit, ad decretalem ſuam epiſtolam, quam tanquam fidei regulam atque formulam omnibus propoſuerat, protinus ſubſcribendam. Hæc ſatis apertè S. Proſper ſignificare videtur Libro contra Collatorem cap. 21. num. 57. per hæc verba, *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur annexuit: Et ad impiorum detruncationem GLADIO PETRI dexteras omnium armavit Antiſtitum.* Et ſanè duodeviginti Epiſcopi Pelagiani, cum eorum Duce Juliano Eclanenſi, Epiſtolâ ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum, de extortâ, ut dictitabant, propter injunctum a Zoſimo præceptum, a diſperſis Epiſcopis ſubſcriptione, his verbis apud Auguſtinum Lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. num. 34. tom. 10. conqueſti ſunt, *Simplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi, in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt.* Itaque Zoſimus Romanus Pontifex a diſperſis Epiſcopis conſenſum certè non expectavit, quo Conſtitutio ſua fidei regula evaderet: At verò, quia ſententia ac definitione ſua jam regula fidei evaſerat, diſperſos Epiſcopos ſibi ad conſentiendum adegit. Quod, propter nuper excogitatas a recentioribus quibuſdam ſcriptoribus opiniones, ſedulò ac diligenter eſt animadvertendum.

Conſtitutionem Zoſimi omnes univerſi Chriſtiani orbis Epiſcopi, eâ, quâ par erat, reverentia exceperunt: nec ſecus ac propoſitam omnibus credendi regulam amplexi ſunt: parentes-

Digitized by Google

renteſque, ut fas erat, injuncto ſibi a Zoſimo præcepto, non ſecus atque fidei formulam, ſanctionem Zoſimi ſubſignarunt. Locuples teſtis eſt Marius Mercator, qui in Commonitorio pag. edit. Baluz. 138. hæc memorat, *Beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi Epiſtola, quæ Tractoria dicitur, qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt, & Conſtantinopoli, & per totum orbem ſubſcriptionibus Sanctorum Patrum eſt roborata*. Quod confirmat Proſper ſupra relatus, dum narrat, quod *Zoſimus ad impiorum detruncationem GLADIO PETRI dexteras omnium armavit Antiſtitum*. Eodemque Libro contra Collatorem cap. 1. num. 2. docet, *In Pelagianorum excidium unam, cunctorum Sacerdotum manu, ſcriptam eſſe ſententiam*. Et Carmine de Ingratis cap. nunc 12. alias 9. de Pelagianis placitis cecinit, *Hæc damnata fateris, Conciliis, MUNDIQUE MANU*.

Contra vero Julianus Pelagianus Eclanenſis Epiſcopus, nec non decem & ſeptem Juliani ſatellites, ſtipatoreſque, Epiſcopi Pelagiani, Tractoriæ Zoſimi nomen ſuum ſubſcribere recuſarunt. Quare duodeviginti Epiſcopi Pelagiani, duce Juliano Eclanenſi, a Zoſimo Papa in Romana Synodo ab Epiſcopatu dejecti ſunt. Poſtea verò, Bonifacio Zoſimi ſucceſſore agente, imperialibus Honorii Auguſti legibus, ab univerſa Italia ſunt deturbati. Quæ duo Marius Mercator non ſatis clarè, diſtinctèque diſcriminat, ubi de Zoſimi Tractoria agens pag. edit. Baluz. 138. hæc habet, *Cui Julianus, ceterique complices ejus ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolùm imperialibus legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis, depoſiti atque exauctorati, ex omni Italiâ expulſi ſunt*. Explicatius, atque diſtinctius Proſper, Libro contra Collatorem cap. 21. num. 57., rem geſtam ita perſequitur, *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholicâ devotione gaudebat: Et contra inimicos gratiæ Dei, non ſolùm Apoſtolicis* Zoſimi; *ſed etiam regiis* Honorii *utebatur edictis*. Sed, quidquid ſit de ordine rerum ac temporum, profectò Auguſtinus, quod noſtra maximè intereſt, Lib. 1. contra Julianum cap. 12. num. 13. tom. 10., Zoſimum

ſimum Romanum Pontificem Juliani damnatorem apertiſſimè appellat, Innocentii *ſucceſſorem* Zoſimum, inquit, *crimine prævaricationis accuſas, quia doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui deceſſoris ſententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quem ſanare potius cupio, laudibus tui damnatoris* Zoſimi *exulcerem*. Damnatorem Juliani unà cum repugnantibus Epiſcopis Pelagianis, eo quòd Tractoriæ ſuæ ſubſcribere recuſaverint, illum ipſum fuiſſe Zoſimum Marius ipſe Mercator Præfat. in tract. Neſtorii pag. edit. Baluz. 33. ſatis apertè ſignificat, dum narrat, *Julianum ex Epiſcopo Eclanenſi, cum participibus ſuis olim ab Apoſtolica ſententia exauctoratum, atque depoſitum*.

Jam verò ex ſelectis S. Auguſtini, Marii Mercatoris, Proſperi, rerum Eccleſiaſticarum in Pelagiana cauſſa, æqualium Auguſtino ſcriptorum, luculentiſſimis teſtimoniis habemus, Zoſimum Romanum Pontificem grandem Epiſtolam ad univerſos Chriſtiani orbis Epiſcopos reddendam promulgaſſe: Illam ut fidei formulam, atque normam Epiſcopis Occidentalibus, & Orientalibus ſubſcribendam, impoſito præcepto, indixiſſe: Univerſos Chriſtiani orbis Epiſcopos Zoſimi præcepto obtemperaſſe, decretalemque Zoſimi Epiſtolam obſignaſſe ſingulos, ac ſubſcripſiſſe; reclamantibus ſolùm duodeviginti Epiſcopis Pelagianis cùm Juliano Eclanenſi Epiſcopo, Pelagianorum Epiſcoporum duce, ac ſignifero: Zoſimum Romanum Pontificem coactâ Romæ Synodo, Julianum Eclanenſem Epiſcopum cum ceteris refractariis Epiſcopis Pelagianis, eo quòd Conſtitutionis ſuæ ſubſcribendæ præcepto minimè obtemperaverint, de Epiſcopalis dignitatis gradu dejeciſſe, loco que ſuo dimoviſſe. Ex his autem ſponte veluti ſua emergit, ex S. Auguſtino, æqualibuſque Auguſtino ſcriptoribus præſtantiſſimis, Romanum Pontificem poteſtatis jurisdictioniſque Primatum ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores obtinere.

XIII. Epiſtola 190. ad Optatum cap. 1. num. 1. tom. 2. *Illæ, quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti*, litteræ, *me apud Cæſaream præſente, venerunt: quò nos injuncta nobis a ve-*

a venerabili Papa Zoſimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.

XIV. Poſſidius in vita S. Auguſtini cap. 14. *Omnipotentis Dei præſtitit auxilium, ut poſtea in Cæſarienſi Mauritaniæ civitate conſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quò eum venire cum aliis coepiſcopis Sedis Apoſtolicæ litteræ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Eccleſiæ neceſſitates.* Habemus ex ſuperioribus, Zoſimum Romanum Pontificem Auguſtino, aliiſque Afris Epiſcopis, Carthagine anno 418. ad conficiendas res ſynodicas commorantibus, demandaſſe, ut quàmprimùm in Mauritaniam Cæſarienſem ſe ſe conferrent ad componenda, communi conſilio, ſententia, atque opera, graviora quædam de religione negotia. Quare Auguſtinus, necnon collegæ Epiſcopi, dicto Romani Pontificis obtemperantes, Cæſaream Mauritaniæ protinus convolarunt, ubi injuncto ſibi ab Apoſtolica Sede legationis munere, ea, qua par erat, obedientia perfuncti ſunt. Hæc autem agendi ratio, plena poteſtatis atque juriſdictionis, ab Zoſimo Romano Pontifice cum Afris Epiſcopis uſitata, ac cuſtodita, ſatis luculenter demonſtrat ex Auguſtini, atque Poſſidii teſtimonio, Romanum Pontificem poteſtatis atque juriſdictionis Primatum ſupra ceteros Eccleſiæ Paſtores obtinere.

Ad primum ergò dicendum ex S.Auguſtino, ſingulos Epiſcopos ſingulares obtinere dioeceſes, quibus tota illorum auctoritas, poteſtas, atque juriſdictio circumſepta, & concluſa coercetur. Neque fas eſt, Epiſcopum ultra fines ſuæ ditionis excurrere, atque in alienam provinciam irrumpere; ac proindè, invito aut inconſulto altero Epiſcopo, non poteſt Epiſcopus in aliena dioeceſi Epiſcopalia ulla munera obire. Quod Auguſtini ætate cautum atque ſancitum fuerat veterum Patrum decreto, quos Innocentius I. commemorat, Epiſtolâ ad Florentinum Tiburtinenſem Epiſcopum apud Couſtant. 40. pag. 914., ubi decernit, nefas eſſe Epiſcopum in paræciam alienam invadere, aut quidquam in ea, inconſulto ipſius Epiſcopo, agere. Contra vero jura Romanorum Pontificum haud certis fini-

finibus terminantur, quorum poteſtas & juriſdictio nullis prorſus terminis circumſcribitur, ſed patet per quàm latiſſimè, univerſamque Eccleſiam complectitur. Ampliſſimæ ſuæ poteſtatis, atque juriſdictionis præclariſſima documenta dederunt Romani Pontifices, præcipuè vero Stephanus, atque Zoſimus ſupra producti, a quibus conſtituta decreta, injuncta præcepta, edictæ, inflictæque pœnæ ad univerſos Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ Epiſcopos emanarunt, ac pervenerunt: quæ exploratiſſima ſunt argumenta poteſtatis juriſdictioniſque Primatûs, quem ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores Romanus Pontifex obtinet.

Ad ſecundum dicendum ex S. Auguſtino, Epiſcopos, inita comparatione cum ſupremo divinoque Eccleſiæ univerſæ Paſtore, Cuſtode, atque Magiſtro Chriſto Domino, unà cum Chriſtiano populo, cui præſunt, ſeſe habere tanquam Chriſti Domini oves, alumnos, atque diſcipulos. Si autem Epiſcopi comparentur cum Chriſtiano populo ſibi ſubjecto, Cuſtodes, Paſtores, atque Magiſtri ſunt plebis Chriſtianæ. Quod ſi tertio Epiſcoporum fiat comparatio cum Romano Pontifice, hac etiam inſtituta comparatione, ceteri Epiſcopi, una cum Romano Pontifice ſummo, ſupremoque Eccleſiæ univerſæ conſpicuo Paſtore, Cuſtode, Rectore, Magiſtro, atque Judice, inferiores, ſubjectique Paſtores, Cuſtodes, Rectores, Magiſtri, atque Judices Chriſtiani populi dicendi ſunt. Illud enim diſcriminis inter Romanum Pontificem, reliquoſque Epiſcopos præcipuè intercedit, quod Romanum Pontificem ex vocatione, ideſt, inſtitutione divina, Eccleſiarum omnium ſuprema manet ſollicitudo: reliqui verò Epiſcopi Romani Pontificis fratres ſunt, a Deo vocati in partem ſollicitudinis cum Romano Pontifice, quos alloquens Paulus Apoſtolus Act. cap. 20. *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quod autem pertinet ad actum ipſum & uſum juriſdictionis illius, quam teſte Apoſtolo habent Epiſcopi, quantus quantus eſt ille, pendet a ſuprema Romani Pontificis poteſtate & juriſdictione, eidemque totus ſubjectus eſt, a quo tolli, reſtitui, ſuſpendi,

Digitized by Google

amplificari, coarctari, quatenus æquitas poſtulaverit, jure poteſt, ac debet. Quamobrem alumnorum, ovium, diſcipulorumque perſona, quam, comparati cum Chriſto Domino, Epiſcopi omnes cum Romano Pontifice ſuſtinent, ſicut nihil omnino ex S. Auguſtino detrahit de poteſtate, atque juriſdictione, quam ſupra Chriſtianum populum ſibi ſubjectum Catholici Epiſcopi obtinent, ita ex S. Doctore nihil penitus derogat ſupremæ auctoritati atque juriſdictioni, quam Romanus Pontifex ſupra univerſos Eccleſiæ Paſtores ſibi vindicat jure Primatûs.

Ad tertium dicendum I., Concilium Carthaginienſe III. *De baptizandis hæreticis*, cui Cyprianus Carthaginienſis præfuit, nullius eſſe in Eccleſia ponderis, nullius momenti, auctoritatis nullius, eo quòd rejectum repudiatumque jamdiu ab Eccleſia fuerit. Profectò Concilium Areletenſe I. Can. VIII. abſurdam rebaptizandi diſciplinam improbat, quæ in Concilio Carthaginienſi III. ſub Cypriano ſancita fuerat, quæ ab Stephano antiquata, nefario veterum Donatianorum auſu reſtaurata erat, atque impunè per Africam graſſabatur: *De Afris*, ita Patres Arelatenſes, *quod propriâ lege ſuâ utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut, ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu-Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum-Sanctum. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Concilium Nicænum I., Nicææ, quæ metropolis Provinciæ Bithyniæ erat, a Patribus 318., XVIII. Kalendas Julias, anno Chriſti 325., Silveſtri Pontificis duodecimo, Conſtantini Imperatoris vigeſimo, celebratum: Præſidentibus Oſio Epiſcopo Cordubenſi, Vito & Vincentio Romanæ Eccleſiæ Presbyteris, Silveſtri, ſenio præpediti, Legatis: nec non præſente Conſtantino Auguſto, quem, Epiſcopi parem cum ipſis locum recuſantem, ſeſſum infra ſe receperunt, cujus opera, de Silveſtri Romani Pontificis aſſenſu, adverſus Arium Concilium fuerat convocatum: Concilium, inquam, Nicænum Can. VIII., ex viginti numero ad Eccleſiaſticam diſciplinam per-

pertinentibus, quos edidit, hæc habet, *De his, qui ſe nominant Catharos, ideſt, mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manûs accipientes, ſic in Clero permaneant*. Et Can. XIX. *De Pauliâniſtis, ad Eccleſiam Catholicam confugientibus, definitio prolata eſt, ut baptizentur omnimodis*.

Utroque Nicæno Canone profanum ſectæ cujuſvis hæreticos ad Eccleſiam venientes baptizandi uſum interdictum fuiſſe, ex quo efficitur Concilium Carthaginienſe III. *De baptizandis hæreticis* reprobatum, affirmant, S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos cap. 9. per hæc verba, *Nicæna Synodus omnes hæreticos*, ideſt ritè datum a quovis hæretico baptiſmum, *ſuſcipit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*, Sanctus Auguſtinus Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 44. tom. 8. *Iſtos ſanè Paulianos baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica Nicæno Concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt, eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici, cum de Catholica diſcederent, abſtulerunt, eamque cuſtodiunt*, Innocentius I. ad Rufum, ceteroſque Macedoniæ Epiſcopos, atque Diaconos Epiſtola apud Couſtant. 17. cap. 5. num. 10. pag. 836. rationem afferens, quare ex Nicænis Patribus Pauliniſtæ, qui ſe ad Eccleſiam receperint, ſint baptizandi, ſecus autem Novatiani, ſeu Cathari, ſimileſque hæretici, hæc habet, *Numquidnam, cum de Pauliâniſtis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum ratio ipſa demonſtrat*. Et paulo infra inita comparatione Paulianiſtas inter & Novatianos, *Quod idcirco*, inquit, *diſtinctum eſſe ipſis duabus hæreſibus ratio manifeſta declarat, quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti minimè baptizant; & Novatiani iiſdem nominibus tremendis venerandiſque baptizant*.

Præterea S. Auguſtinus recentiores ætate ſua Donatianos, qui Concilii Carthaginienſis III. ſub Cypriano celebrati, tanquam objecto aggere ſe tutabant, adhibita Concilii Nicæni machina, aggreditur, cujus Œcumenica, adeoque omnium graviſſima,

viſſima, auctoritate Carthaginienſis Concilii de baptizandis hæreticis moles tota collabitur: *Quoniam quæſtionis hujus obſcuritas*, ſic Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. num. 9. tom. 9., *prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna caritate præditos patres Epiſcopos, ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec* PLENARIO TOTIUS ORBIS CONCILIO, *quod ſaluberrimum ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur*. Et Lib. 2. cap. 9. num. 14. *Poſtea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non ſolùm inventa eſt* veritas; *ſed etiam ad* PLENARII CONCILII *auctoritatem roburque perducta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus*. Et ad calcem ejuſdem capitis, *Si autem Concilium Cypriani attenditur, huic eſſe* UNIVERSÆ ECCLESIÆ CONCILIUM *præponendum .... Nam & Concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur: Et* UNIVERSUM *partibus ſemper jure optimo præponitur*. Hæc, hiſque ſimilia S. Auguſtini verba de Œcumenica Nicæna Synodo interpretatur Joannes Nicolai, cui favet uterque Pagius, Antonius ſenior in Critica Baroniana, juniorque Franciſcus de Geſtis Romanorum Pontificum ad Arelatenſe Concilium ſub Silveſtro. Contra verò Joannes Launojus, cui comites ſe ſe adjungunt recentiſſimi Operum S. Auguſtini editores, arbitratur Auguſtinum eſſe locutum de Synodo Arelatenſi 1. At Chriſtianus Lupus ad Canonem XIX. Concilii Nicæni exiſtimat, Auguſtinum de diverſis Synodis hac ſuper celebratis identidem loqui, videlicet, de Arelatenſi, de Conſtantinopolitanâ, de Capuanâ, præcipuè verò de Nicænâ Synodo, quæ fuit orbis univerſi plenaria, cujus Canones, Leo Magnus, ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos affirmat. Sed quidquid ſit de hujuſmodi controverſia, illud, quod fuerat a nobis propoſitum, liquidò conſtat, nullius auctoritatis eſſe Concilium Carthaginienſe III. ſub Cypriano de hæreticis baptizandis, quod ab Eccleſia univerſa jamdiu fuerit repudiatum.

Di-

Digitized by Google

Dicendum 11., Cyprianum, in ea oratione, quam in primo Concilii aditu, ad Epiſcopos 85., qui aderant, habuit, ne verbum quidem feciſſe de Stephano. Neque enim ea, quæ in Epiſcoporum cœtu Cyprianus præloquebatur, ad poteſtatem & juriſdictionem Romani Pontificis, de qua nulla ibi erat quæſtio, ſed ad integram incolumemque Concilii Libertatem pertinebant. Non ignorabat Cyprianus novâ baptizandi hæreticos, contra veterem Eccleſiæ conſuetudinem, inſtitutione, non paucos ex Afris Epiſcopis fuiſſe commotos, ac perturbatos. Itaque tota Cypriani præfatio eò ſpectabat, ut admoneret Epiſcopos libertatis ſuæ in proferenda ſententia, atque in ferendo ſuffragio, quam ſartam tectamque ſervatum iri pollicebatur: ſuamque obligabat fidem, atque in ſe recipiebat, neminem ſe a communione ſua præciſurum, qui contra id, quod ipſe ſentiebat, ſentiret ac pronuntiaret. Neque enim objecto metu per vim extorquere, ſed propoſita libertate dicendi, ab Epiſcopis, in Concilio libero conſidentibus, audire volebat ſententiam. Profectò Auguſtinus objecto loco expendens, atque ad trutinam revocans Cypriani proœmium, atque ubi facto opus eſt cenſoriâ illud animadverſione caſtigans, non de Stephano Romano Pontifice, quod ad rem minimè pertinebat; ſed de Afris Epiſcopis, qui in Concilio aderant, quod verba ipſa Cypriani præſeferunt, & ipſa res poſtulabat, a Cypriano pronuntiatum affirmat. Hujuſmodi eſt illud Cypriani effatum, *Neque enim quiſquam NOSTRUM Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit*. Ad hæc Cypriani verba, *Liberum*, inquit Auguſtinus objecto loco, *faciebat Cyprianus quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur. Neque enim mentiebatur, & ſimpliciores collegas in verbo capere cogitabat, ut, cum ſe diverſum ſentire prodidiſſent, tunc contra quàm promiſerat, excommunicandos eſſe cenſeret*.

Quod ſi cum Baronio ad annum Chriſti 258. velimus a Cypriano alloquente Concilium Stephanum Romanum Pontificem tacito nomine carptum atque notatum, de hac Cypriani allo-

allocutione dicendum eſt, quod de acrioribus contra Stephanum Cypriani querelis, quæ continentur Epiſtola ad Pompejum 74., Auguſtinus dixit Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. num. 36. tom. 9., videlicet: Ea contra Stephanum verba Cyprianum effudiſſe irritatum, quæ commemoranda non ſunt, ſed ſilentio potius prætereunda. Si quid ergò contra Stephanum peccavit in eo Concilio Cyprianus, ea in promptu eſt pro Cypriano defenſio, qua uſus eſt pro Cypriano Auguſtinus Epiſtola ad Macrobium 108. cap. 3. num. 9. tom. 2., *Fructuoſum ſarmentum, ſi aliquid habebat adhuc purgandum, glorioſâ martyrii falce purgatum eſt*. Et Lib. 2. contra Gaudentium cap. 8. num. 9. tom. 9., *Multa & magna Cypriani merita, ... & in unitate Eccleſiæ paſſio glorioſa ſatis oſtenderunt, eum fuiſſe ſarmentum in Chriſti radice fructuoſum, quod Pater etiam ab iſta reprehenſione purgaret*.

Jam verò ſi ea Cypriani verba detorqueantur ad Stephanum, quaſi clanculum & obliquè per illa punctum, & vellicatum a Cypriano, ſic erunt interpretanda: *Neque enim quiſquam noſtrum*, (quemadmodum Stephanus), *Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit: aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit*, (ſicut Stephanus nos adegit.) His autem verbis non convellit Cyprianus Stephani poteſtatem atque juriſdictionem, quam jure Primatûs ſupra ceteros Eccleſiæ Paſtores Stephanus obtinebat: At vero, quod primatu ſuo, ſupremaque, qua pollebat, auctoritate & juriſdictione hac ſuper re Stephanus abuteretur, (in quo ſane Cyprianus errabat), illud eſt de quo expoſtulat, atque conqueritur. Hæc autem Cypriano erat querelarum cauſſa omnis, & ratio: Ex una parte cum Epiſcopis ſecum ſentientibus, non ſatis internoſcebat Cyprianus inter ſacramentum ipſum, & rem ſacramenti; ſed confundebat utrumque: eoſque, qui affirmabant ratum validumque eſſe baptiſmum legitimo ritu ab hæreticis adminiſtratum, aſſerere illos exiſtimabat, baptiſmum hæreticorum vi & ratione ſua ſemper licitum eſſe, atque fructuoſum. Et ſanè omnia fermè argumenta, quæ paſſim in ſuis Epiſtolis ad repudiandum hæreticorum baptiſmum, Cyprianus pro-

producit, nihil aliud ſuadent, quàm profanum, ſacrilegum, illicitum, infructuoſum eſſe baptiſmi uſum ab hæreticis mala fide ſuſcepti, quod nullus negaverit. Ex altera verò parte quæſtionem ea ætate adeo implexam, obſcuram, ancipitem, ſtudiiſque adeò contrariis in partem utramque agitatam, pertinere volebat Cyprianus ad variam atque diverſam Eccleſiæ diſciplinam; contendebatque integrum eſſe unicuique Epiſcopo eam hac ſuper re tenere conſuetudinem, quæ melior cuique videretur. Explicat mentem ſuam Cyprianus ad calcem copioſæ Epiſtolæ ad Jubajanum 73., in deliberatione de baptizandis hæreticis, ubi ſic rem totam concludit, *Hæc tibi breviter pro noſtra mediocritate reſcripſimus, frater cariſſime, nemini præſcribentes, aut præjudicantes, quominus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii ſui liberam poteſtatem*; eademque fermè verba repetit in Concilio. Quamobrem non æquo, ſed ſatis iniquo ferebat animo Cyprianus, quòd Stephanus ſibi, ceteriſque Epiſcopis ſecum ſentientibus excommunicationem fuerit comminatus propter factum, quod ad diverſam, & arbitrariam Eccleſiæ diſciplinam pertinere Cyprianus arbitrabatur. Hinc querelarum, hinc diſcordiarum fons, & origo. Hinc abuti Stephanum, hac ſuper re, ſuprema poteſtate ac juriſdictione, quam jure Primatûs ſupra ceteros Eccleſiæ Paſtores obtinebat, conqueritur Cyprianus.

Sed progrediamur ad reliqua, *Quando habeat omnis Epiſcopus* (proſequitur Cyprianus) *pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium; tamque judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poſſit alterum judicare*. Ad hæc Auguſtinus mentem explicans Cypriani, *Opinor*, inquit, *utique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perfectione diſcuſſæ ſunt*. Profectò in cauſſis jam definitis, atque eliquatiſſima perfectione, ut Auguſtinus loquitur, diſcuſſis, poſſe Epiſcopum tum judicari ab altero, tum alterum judicare, ipſiſſima Cypriani ſententia eſt. Cyprianus enim Epiſtola ad Stephanum 67. obſecrat Stephanum Romanum Pontificem, ut miſſis ad Arelatenſem Provinciam a Sede Apoſtolica litteris, Marcianus Arelatenſis Epiſcopus, quòd Novatianis favere compertum

tum eſſet, Epiſcopali dignitate privetur, ab Eccleſiaſtica communione ſegregetur, & Epiſcopus alter in amoti Sedem ſubſtituatur. Præterea Synodali Epiſtola 68. ad Clerum, & plebem in Hiſpania conſiſtentem de Baſilide Epiſcopo Legionenſi, & Aſturicenſi, deque Martiale Epiſcopo Emeritenſi, Cyprianus unà cum Afris Epiſcopis probat, & ratam habet Sabini & Felicis, in locum Baſilidis atque Martialis, quòd a religione ambo defecerint, factam ab Hiſpanis Epiſcopis conſecrationem, ubi decretum Cornelii Romani Pontificis commemorat, atque commendat, quo conſtitutum eſt, ut lapſi Epiſcopi, neque ad honorem Sacerdotalem, neque ad Cleri conſuetudinem recipiantur, ſed communicent dumtaxat ut Laici. Conſtat igitur ex Cypriani ſententia in cauſſis perſpectis, atque exploratis poſſe Epiſcopum & judicare alterum, & ab altero judicari.

Neque gravem exhibet difficultatem, quod Auguſtinus vel poſt reſcriptum Stephani doceat, quæſtionem de baptizandis hæreticis nondum fuiſſe eliquatiſſima perfectione diſcuſſam, ſed varia diſputatione adhuc in Eccleſia agitatam: Liberumque fuiſſe quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur. Duas enim inſignes quæſtiones celebris de baptizandis hæreticis controverſia complectebatur; Altera pertinebat ad dogma Fidei, videlicet, *Utrum validus eſſet baptiſmus ab hæreticis, ritu legitimo, adminiſtratus?* Altera ſpectabat ad diſciplinam Eccleſiæ, ſcilicet, *Utrum retinenda eſſet antiqua conſuetudo recipiendi reduces ad Eccleſiam hæreticos, ritu legitimo ab hæreticis baptizatos, inſtar pœnitentium ſola ſuper eos manûs impoſitione?* Conſultus a Cypriano Stephanus, cum in ea Eccleſiæ tempora incidiſſet, quæ tum propter truculentiſſimas ab infidelibus inſectationes, tum propter acriores, acerbaſque Epiſcoporum de Baptiſmo diſceptationes, periculoſiſſima ea ætate fluebant, ne res Chriſtiana in extremum diſcrimen adduceretur, ſumma qua pollebat prudentia ſolertiaque, ex duabus quæſtionibus, quarum altera ad dogma Fidei, altera ad diſciplinam Eccleſiæ pertinebat, prætermiſſa importuna tunc & periculoſa quæſtione de dogmate, tutiorem quæ-

Digitized by Google

quæſtionem de diſciplina diremit. Itaque Stephanus, ex Euſebio Lib. 7. hiſt. cap. 11., *Nihil novi, aut alieni a traditione, ex Apoſtolorum temporibus derivata, moliendum arbitratus*, celebri eo reſcripto, quo dogma ipſum, etſi prætermiſſum, retinendo veterem conſuetudinem, ſatis in tuto collocabatur, præcepit, ut, *Si quis a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Hinc celebriores Patres, atque Theologi conſulendi apud Thomaſſinum Diſſert. ſuper Concil. pag. 48. Quæſtionem de Baptizandis hæreticis, diremptam a Stephano, appellant, *Quæſtionem diſciplinæ meræ, non fidei*. Hac de cauſſa ex S. Auguſtino, poſt reſcriptum Stephani, quæſtio celebris de baptizandis hæreticis, propter indefinitum dogma, nondum erat eliquatiſſima perfectione diſcuſſa: diſputatione varia in Eccleſia adhuc agitabatur: liberumque faciebat Cyprianus quærendi arbitrium, ut examinata dogmatica veritas, hactenus non declarata, panderetur. Poſtremò apud Auguſtinum Cyprianus concludit, *Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi*. Quod Chriſtus Dominus unus & ſolus poteſtatem habeat præponendi Epiſcopos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, in ea uſurpatione accipiendum eſt, qua Apoſtolus Paulus Actorum cap. 20. v. 28. Epiſcopos alloquens, dixit, *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos SPIRITUS-SANCTUS poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quod autem Chriſtus Dominus unus & ſolus poteſtatem habeat de Epiſcoporum actu judicandi, cum ea cautione, atque exceptione interpretandum eſt, quam ad eundem locum adhibuit verbis his Auguſtinus, *Opinor utique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perfectione diſcuſſæ ſunt*.

Ad quartum dicendum, Cyprianum in Epiſtola ab Auguſtino producta, quæ eſt ad Quintum numero nunc 71., loco objecto, ne digitis quidem extremis Stephanum, Romanoſque Pontifices vellicare. Epiſtola enim Cypriani ad Quintum in Mauritania Epiſcopum præcedit tempore ejuſdem Cypriani

Epiſtolam, quæ eſt ad Stephanum de baptizandis hæreticis; adeòque multo majori temporis intervallo antecedit reſcriptum Stephani ad Cyprianum, quod prima fuit Stephanum inter & Cyprianum diſſenſionis occaſio, quo reſcripto commotus adeò in Stephanum Cyprianus exarſit; cujus incendii teſtes ſunt cineres adhuc fumantes, quibus aſperſa cernitur Epiſtola Cypriani ad Pompejum Sabratenſem Epiſcopum, edit. Baluz. 74. Etenim Cyprianus Epiſtola ad Stephanum 72. ſignificat ſe in Concilio Carthaginienſi, cui præfuerat, decreviſſe, ut apud hæreticos, aut ſchiſmaticos baptizati, ad Eccleſiam redeuntes, baptizarentur: eademque Epiſtola meminit antecedentis alterius Epiſtolæ, quam ad Quintum in Mauritania Epiſcopum hac ſuper re jam dederat, cujus exemplum ad Stephanum a ſe conſultum tranſmittere ſe Cyprianus affirmat, *Diligenter nuper expreſſum eſt*, inquit Epiſtola ad Stephanum 72., *in Epiſtola, quæ ad Quintum Collegam noſtrum in Mauritania conſtitutum, ſuper ea re ſcripta eſt*: (Cypriani Epiſt. 71.) *Item in litteris, quas Collegæ noſtri ad coepiſcopos in Numidia præſidentes ante fecerunt*: (Cypriani Epiſt. 70.) *Cujus utriuſque Epiſtolæ exempla ſubdimus hìc*. Fieri ergo non potuit, ut in Epiſtola ad Quintum 71., ſcripta ante exortam cum Stephano, aliove Romano Epiſcopo, controverſiam de baptizandis hæreticis, cui occaſionem dederat Cypriani ad Stephanum poſterior Epiſtola 72., Cyprianus Stephanum, aliumve Romanum Pontificem carperet, aut notaret, cum nulla Stephanum inter, & Cyprianum eò uſque exorta eſſet offenſio.

Loquitur ergò Cyprianus Epiſtola ad Quintum 71., non de Stephano, aliove Romano Epiſcopo, ſed de Afris Epiſcopis Collegis ſuis, quorum nonnullos, nec ſanè contemnendos, in quæſtione de baptizandis hæreticis, ſibi adverſarios experiebatur. Significat id Cyprianus verbis ſatis perſpicuis eadem ad Quintum Epiſtola 71. in ipſo limine Epiſtolæ, ubi hæc leguntur, *Neſcio etenim qua præſumptione ducuntur quidam de Collegis noſtris, ut putent, eos, qui apud hæreticos tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere*. Et Epiſtola 72. ad Stephanum Papam de Concilio, quæ poſterior eſt

Epi-

Digitized by Google

Epiſtola 71. ad Quintum, ad calcem Epiſtolæ hæc habet, *Ceterum ſcimus, quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare; ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, quando habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actûs ſui Domino redditurus.* Et ſequenti Epiſtola ad Jubajanum 73. pag. 286. propè finem de collegis ſuis Afris Epiſcopis ſibi adverſantibus, & repugnantibus ita conqueritur, *Nunc apud quoſdam de noſtris, hæreticorum baptiſma occupatum aſſeritur: &, invidia quadam quaſi rebaptizandi, baptizare poſt hoſtes Dei nefas ducitur.* Itaque decerptæ ex Cypriano ſententiæ, qua tantum abeſt, ut infirmetur, ut potius Petri, Romanorumque Pontificum ſucceſſorum Petri Primatus corroboretur, interpretatio eſt hujuſmodi, *Si Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodùm diſceptaret, non vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret, ſe Primatum tenere:* (importunè enim, non ad rem, & præter tempus, & locum Petrus Primatum ſuum, intempeſtiva prædicatione tunc Paulo objeciſſet, atque obtruſiſſet) *Et obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere*; quanto magis nos Afri Epiſcopi, adeo Petro minores, in quæſtione, quam de baptizandis hæreticis nos inter agitamus, ſententiam noſtram, quam primò concepimus, vi obtrudere, & pertinaciter ſuſtinere; collegaſque noſtros ad conſentiendum nobis, importuna quadam præſtantioris auctoritatis oſtentatione, adigere, nulla prorſus ratione debemus?

Ad quintum dicendum, ex S. Auguſtino Stephanum, & Cyprianum fuiſſe ambos Eccleſiarum Eminentiſſimarum, Romanæ illum, hunc Carthaginienſis Epiſcopos; at non proinde ambos ex S. Doctore fuiſſe pari inter ſe poteſtate, & auctoritate præditos, cum ex S. Auguſtino auctoritas atque poteſtas Stephani Romani, comparata cum auctoritate ac poteſtate Cy-

Cypriani Carthaginienſis, ratione Primatûs quo potiebatur Stephanus, fuerit longè præſtantior atque eminentior. Eccleſiam Carthaginienſem jure, meritoque appellat Auguſtinus eminentiſſimam: Epiſcopus enim Carthaginienſis Primas erat, atque ſupremus Exarchus univerſæ Eccleſiæ Africanæ, cui reliqui quatuor Primates Africæ, nempe Provinciæ Numidiæ, Byzacenæ, utriuſque Mauritaniæ, atque Tripolitanæ parere, atque ſubeſſe non verebantur. De his Leo Papa IX. Epiſtola 9. ad Petrum & Johannem Afros Epiſcopos hæc litteris conſignavit, *Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum eſt, quia in ſingulis ejus provinciis antiquitùs Primates inſtituebantur, non ſecundùm potentiam alicujus civitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ ordinationis: Quibus tamen omnibus præerat unus, ſcilicet, Carthaginienſis Archiepiſcopus.* At vero, inſtituta Carthaginienſis cum Romano Epiſcopo comparatione, perſpicuis verbis Auguſtinus affirmat, Apoſtolicam Petri Romanam Cathedram, præcipuo quodam ac ſingulari munere divinæ gratiæ, Carthaginienſem Cypriani Cathedram longè antecellere. Sic enim diſſerit S.Doctor Lib.2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. num. 2. tom. 9., *Puto, quod ſine ulla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatûs Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum. Sed ſi diſtat CATHEDRARUM GRATIA, una eſt tamen Martyrum gloria.*

Profectò Carthaginienſes Epiſcopi, univerſæque Africæ Primates, ſupremique Exarchi, ſuis ad Romanos Pontifices datis litteris, perquàm honorifica obedientiæ, obſervantiæ, ac reverentiæ ſignificatione, ſupremam in Eccleſia poteſtatem, auctoritatemque Romani Pontificis ſæpenumero declararunt. Teſtis eſt Aurelius Carthaginienſis Epiſcopus, Epiſtola ad Innocentium Romanum Pontificem inter Auguſtinianas 175., qui una cum Afris Epiſcopis 68. ex Concilio Carthaginienſi, anno 416. contra Pelagium atque Cæleſtium celebrato, num. 2. tom. 2., ita Innocentium Concilii nomine alloquitur, *Hoc itaque*

que geſtum, Domine Frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas. Et num. 3. poſt recitata non pauca ex divinis codicibus adverſus Pelagianos errores teſtimonia, *Veremur*, inquit Concilii voce, cui præerat, *ne apud te iſta ipſa commemorando, quæ majore gratia de Sede Apoſtolica prædicas, inconvenienter facere videamur.* Et rurſus Epiſtola inter Auguſtinianas 177. idem ipſe Aurelius Carthaginienſis Epiſcopus, univerſæque Africæ Primas, una cum quatuor Afris Epiſcopis, quos inter & Auguſtinus, ad eundem Innocentium Romanum Pontificem de hæreſi Pelagiana, quam proſcribi a Sede Apoſtolica poſtulant, ad calcem Epiſtolæ, ſub num. 19. tom. 2., quantum inter ſuam collegarumque, atque Romani Pontificis auctoritatem interſit, his verbis teſtatur, *Dabit ſanè nobis veniam ſuavitas mitiſſima cordis tui, quòd prolixiorem Epiſtolam, fortaſſis quàm velles, tuæ miſimus ſanctitati: Non enim rivulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus; ſed...... utrum etiam noſter licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet Capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione unius gratiæ conſolari.*

Neque ſunt hìc negligenter pretereunda (ut ad Stephani & Cypriani de baptiſmo controverſiam nos referamus) ea S. Auguſtini verba, *Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant*, quibus ſignificat S. D., multò plures fuiſſe Epiſcopos, qui unà cum Stephano de hæreticis non baptizandis rectè ſentiebant: eos autem, qui Cypriano aſſentiebantur, & a ſententia Stephani diſcrepabant, longè fuiſſe pauciores. Quod ad calculos revocans Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium Donatiſtam cap. 3. num. 3. tom. 9., *Quinquaginta*, inquit, *Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris*, (in Concilio Carthaginienſi II.) *vel aliquanto etiam pluribus*, (in Carthaginienſi III.) *contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit.* Exceptis enim Afris Epiſcopis in Occidente, qui anno 256. in Concilio Carthaginienſi III., una cum Pompejo Sabratenſi, & Dioga

Lepti-

Leptimagnenſi abſentibus, numerum 87. Epiſcoporum conficiunt: exceptiſque, cum Firmiliano Cappadoci, & Heleno Tarſenſi, Cilicibus, Galatis, & Cappadocibus Epiſcopis in Oriente, in Synodis Iconii, & Synadæ anno circiter 235. celebratis ex Harduino, quos 50. Epiſcoporum Orientalium numerum æquaſſe Auguſtinus affirmat; ac proinde exceptis Epiſcopis 137., ceteri omnes, vel fermè omnes, cum Occidentales, tum Orientales Epiſcopi in retinenda veteri conſuetudine, ab Apoſtolicis repetita temporibus, recipiendi in Eccleſia hæreticos, ritu legitimo baptizatos, ſola adhibita impoſitione manûs, cum certis precibus in pænitentiam, Stephano Romano Pontifici uno ore, atque animo conſentiebant. Præclariſſimum hac ſuper re Vincentii Lirinenſis eſt in manibus teſtimonium, ex cap. 9. celebris Commonitorii petitum, ubi Romani Pontificis Primatus, & Univerſæ Eccleſiæ in retinendo hæreticorum Baptiſmo maxima, communiſque cum Stephano conſociatio, & conſenſio præclariſſimè apparet, *Quondam igitur*, ſic Lirinenſis Vincentius, *venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginienſis Epiſcopus, primus omnium mortalium* (fortaſſis in Occidente) *contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem & inſtituta majorum, rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præberet erroris. Cum ergò undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quàquàverſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum ceteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris, reſtitit: Dignum ut opinor exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm LOCI AUCTORITATE ſuperabat.*

Ad ſextum dicendum, judicium Romanum ſub Melchiade, in Cæciliani Carthaginieſis Epiſcopi cauſſa, contra jus faſque apud Conſtantinum Auguſtum a Donatianis Epiſcopis accuſati, de quo Auguſtinus objecto loco, neque ad doctrinam fidei, neque ad doctrinam morum, neque ad univerſalem, neque

neque ad particularem Eccleſiæ diſciplinam pertinuiſſe. Totum enim verſabatur judicium illud circa mera quædam & pura (ut ajunt) perſonalia facta, quæ nullam conjunctionem, affinitatem nullam cum dogmate habent, quam cum dogmate cognationem, copulationemque retinent ea, quæ ſunt, & dicuntur facta dogmatica; quæ idcirco irrevocabili in Eccleſia judicio definiri poſſunt, & definiuntur. Quamobrem benè ac ſapienter Auguſtinus docuit, quod poſt Romanum ſub Melchiade judicium, initum, agitatum, abſolutumque circa purum, putumque factum perſonale, ſin minus Donatiani acquieviſſent, *reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſſa poſſet agitari; ut, ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*. Profectò Donatiani cum pro viribus niterentur, atque contenderent, Cæciliani Carthaginienſis Epiſcopi ordinationem vitioſam fuiſſe atque irritam, ea objiciebant Cæciliano crimina, quæ Auguſtinus refert in Breviculo collationis cum Donatiſtis cap. 14. num. 26. tom. 9., *Quod eſſet a traditoribus ordinatus: & quia cum eſſet Diaconus victum afferri martyribus in cuſtodia conſtitutis, prohibuiſſe dicebatur*. Et Lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 69. tom. 8. narrat de Donatianis, quod, *propter ordinatum contra ſuam voluntatem Cæcilianum Eccleſiæ Carthaginienſis Epiſcopum, ſchiſma fecerunt; objicientes ei crimina non probata, & maximè quòd a traditoribus divinarum ſcripturarum fuerit ordinatus*.

Ad ſeptimum, & octavum dicendum I., permiſtionem, permutationemque Sardicenſium, Nicænorumque canonum præcipuam fuiſſe cauſſam controverſiarum de appellationibus tranſmarinis, quæ diu, multùmque Romanam, Africanamque Eccleſiam, ſedente Zoſimo, Bonifacio, & Cæleſtino, exercuerunt. Res autem ita ſe habuit. Apiarius Siccenſis in Mauritania presbyter propter graviſſima quædam, quibus ſeſe obſtrinxerat crimina, ab Urbano Siccenſi Epiſcopo, ſacrarum rerum communicatione interdictus, ad Zoſimum Romanum Pontificem provocavit. Zoſimus, admiſſa provocatione, Fauſtinum Potentiæ in agro Piceno Epiſcopum, adjunctis Philip-

po, & Aſello presbyteris, ad Apiarii cauſſam, reſtitutam a ſe in integrum, iterum agitandam, anno 418. in Africam delegavit. Quod cum egrè ac moleſtè ferrent Africani Patres, Fauſtinus in Concilio Carthaginienſi VI. ſub Aurelio, poſt Conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. Augg., anno 419. celebrato, commonitorium Zoſimi recitavit, quatuor complectens capita, quorum I. erat de Appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem: III. De tractandis preſbyterorum, & diaconorum cauſſis apud finitimos Epiſcopos, ſi a ſuis Epiſcopis excommunicati injuſtè fuiſſent. Cum autem Zoſimus non ſanctione nova, ſed ex præſcripto veterum Canonum, utrumque decretum ab Africanis Patribus ſervari vellet, ac cuſtodiri, duos reverâ Sardicenſes Canones, quos Nicænos Canones appellabat, ſuo inſeruit commonitorio, ſcilicet, VII. & XVII. Prior, qui eſt de appellationibus Epiſcoporum, ita ſe habet.

Placuit, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo dejecerint eum, & appellaſſe videatur, & confugerit ad beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri: & juſtum putaverit, ut renovetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, qui rogat cauſſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi Romani quid velit, & quid exiſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo ſuo conſilio judicaverit. Alter verò Sardicenſis Concilii Canon, qui eſt XVII. de Appellationibus Inferioris Cleri, ideſt, Presbyterorum, & Diaconorum, quos in commonitorio Zoſimus vocat Clericos *minoris loci*, his habetur verbis expreſſus, *Si Epiſcopus quis fortè iracundus, quod eſſe non debet, citò aut aſperè commoveatur adverſus presbyterum, ſive diaconum ſuum, & exterminare*

cum

eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Habeat poteſtatem ejectus, ut finitimos interpellet, cauſſa ejus audiatur, & diligentius tractetur; quia non oportet negari ei audientiam petenti: & ille Epiſcopus, qui juſtè, aut injuſtè eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur, ut, aut probetur ejus, aut emendetur ſententia.

Cum autem ſuperiores Canones Sardicenſes, titulo Nicænorum Canonum inſigniti, in Africana Eccleſia prorſus eſſent ignoti; atque aditis conſultiſque exemplaribus Canonum Nicænorum, quos Cæcilianus Carthaginienſis, unus ex Nicænis Patribus, attulerat ſecum in Africam, nullum inter Nicænos tenerent locum, in eodem Concilio Carthaginienſi VI. ſupra commemorato anno 419., ſedente ab obitu Zoſimi Bonifacio, Africani Patres Carthagine congregati conſtituerunt, ut Legati ad Alexandrinum, Antiochenum, atque Conſtantinopolitanum Antiſtites ex Africa mitterentur, qui a primariis illis Orientis Eccleſiis ſincera ac genuina Nicænorum Canonum exemplaria perferrent. Itaque Innocentius presbyter Alexandriam ad Cyrillum, & Marcellus Subdiaconus Conſtantinopolim ad Atticum navigarunt, qui Africam repetentes exemplaria Nicænorum Canonum, ex antiquioribus codicibus Eccleſiæ Alexandrinæ atque Conſtantinopolitanæ deſcripta, cum litteris Attici atque Cyrilli ad Africanam Synodum datis, attulerunt: in quibus Canones Sardicenſes, pro Nicænis objecti, nuſquam, nullique reperiebantur. Quamobrem Africani Patres eoſdem Legatos Innocentium, atque Marcellum, cum allatis ex Oriente Nicænorum Canonum exemplaribus Romam ad Bonifacium deſtinarunt: Quod, Bonifacio vitâ functo, Synodali epiſtolâ anno 425. ex Tillemont. tom. 13. pag. 860., & Couſtant. pag. 1057. notâ b. ſubſignatâ, Cæleſtino ſignificant, in qua ſub num. 4. hæc habentur, *In exemplis verioribus Nicæni Concilii, a S. Cyrillo coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & a Venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex authentico miſſis, quæ etiam ante hoc, per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa ſunt, vene-*

venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo deceſſori veſtro a nobis tranſmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.

Duo hic moleſtum ſanè nobis negotium exhibent, Primum eſt, unde nam acciderit, ut in Eccleſia Romana Canones Sardicenſes habiti fuerint pro Nicænis? Alterum eſt, Qui fieri potuerit, ut in Eccleſia Africana Canones Synodi Sardicenſis, cui Gratus Cartaginienſis interfuit, fuerint prorſus ignoti? Quod ad primam pertinet inquiſitionem, Cùm in Concilio Florentino, quod fuit de concilianda Eccleſia Græca in ſocietatem dogmatis Eccleſiæ Latinæ, ſub Eugenio IV. anno 1439. ſeſs. 20., Joannes de Monte Nigro Ordinis Prædicatorum Marco Metropolitæ Epheſino exprobraſſet corruptos a Græcis ſcriptoribus veteres Patres, Græcus homo, nec infacetus, par pari ſe reddere arbitratus, Quemadmodum, inquit, & Zoſimus, Latinorum Epiſcopus, vitiavit Nicænos Canones, depravatoſque ſextæ Synodo Carthaginienſi ſervandos propoſuit, ac denuntiavit. Audax, atque impudens criminatio. In Romano Codice Canonum ſub uno eodemque titulo Canonum Nicænorum, & Nicæni, & Sardicenſes Canones ſimul permiſti continebantur. Hac noſtra etiam ætate in veteribus codicibus Morbacenſi, Foſſatenſi, & Colbertino Canones Sardicenſes Nicæni Concilii titulo inſignitos, eodemque numerorum incremento cum Nicænis, nullo interjecto ſpatio, procurrentes, legiſſe ſe teſtatur clariſſimus Petrus Couſtant in notis ad Epiſtolam xv., quæ eſt Commonitorium Zoſimi pag. 981. notâ d. Antiquitùs factæ Nicænorum, ac Sardicenſium Canonum permiſtionis obvia atque in promptu eſt cauſſa, & origo. Synodus Sardicenſis tanquam appendix Nicænæ Synodi habebatur, utpotè cui præfuit Oſius Cordubenſis, qui Nicææ vel princeps, vel inter primarios præſules conſederat: & in qua eadem firmata eſt fides, eademque Ariana hæreſis profligata eſt. Quamobrem, ſicut interrogatus in Synodo Florentina Marcus Epheſius, Cur ſymbolum Conſtantinopolitanum a Græcis, Latiniſque vulgò diceretur Nicænum? reſpondit, Quòd primum virtute contineat alterum; Conſtantinopolitanumque non ſit, niſi explicatio uberior Nicæni; ita & nos reſpondemus, Canones

nones Sardicenſes fuiſſe habitos pro Nicænis, quòd Nicæni virtute contineant Sardicenſes; nec Sardicenſes eſſe, niſi explicatiorem copioſioremque Nicænorum Canonum explanationem. Accedit eòdem, quod, ſedente Damaſo, ne cuiquam fucum facerent Ariani, qui more ſuo varias ſub Catholico nomine, tanquam ſibi faventes Synodos, commemorabant, pluribus per Galliam, Hiſpanias, atque Romæ celebratis Conciliis ſancitum eſt, teſte Athanaſio ſub initio epiſtolæ ad Epitectum, *Ut nulla deinceps in Eccleſia Catholica nominaretur Synodus, præter unam Nicænam*. His ergò de cauſſis in Eccleſia Romana Canones Sardicenſes antiquitùs habiti ſunt pro Nicænis: atque indè omnis prorſus ſuſpicio de dolo malo procul à Zoſimo propulſatur.

Quod ad alteram quæſtionem pertinet, Malè audiebat in Eccleſia Africana Sardicenſe Concilium; eodem enim & numero, & loco apud Africanos præſules habebatur, quo Arianorum perfida conjuratio. Cauſſa autem erroris fuit hujuſmodi. Sedente Julio Romano, Imperatoribus Conſtantio & Conſtante, Rufino & Euſebio COSS., anno Chriſti 347., Sardicæ, quæ Illyrici urbs eſt, generale Concilium, vulgò Sardicenſe, eſt celebratum. Eò convenere ex Occidente Epiſcopi fermè 280., ex Oriente verò 76., Præſidentibus, cum Oſio Cordubenſi Epiſcopo, Archidiamo & Philoxeno presbyteris, Julii Romani Legatis. At Ariani Epiſcopi, qui Sardicam convenerunt, cum in eo Catholicorum Concilio de rebus ſuis deſperarent, arreptâ fugâ clanculum, Philippopolim Thraciæ urbem ſe receperunt, ubi a Nicænâ diſcrepans, atque abhorrens ab eis fidei formula eſt conſtituta; damnata vox *Homouſion*; Julius, Athanaſius, Oſius, ſociique Epiſcopi iniquo icti anathemate. Ad hæc Ariani Epiſcopi, ut magni nominis ſplendorem auctoritatemque conventiculo ſuo compararent, rerumque geſtarum ignaros conquiſitis mendaciis deciperent, ſub ficto mentitoque nomine Sardicenſis Concilii Philippopolitanam conjurationem fallaci venditatione ubique gentium promulgarunt. Extat Arianorum epiſtola, Philippopoli data, falſo Synodi Sardicenſis titulo inſignita, ad Donatum Carthaginienſem Epiſcopum,

Dona-

Digitized by Google

Donatianorum ſigniferum, atque ad plurimos cum eo Afros Epiſcopos, qua Ariani, impoſitâ ſibi larvâ Sardicenſium Patrum, Donatum, Donatianoſque Epiſcopos, Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimos, factioni ſuæ adjungere nitebantur. Hinc factum eſt, ut, labentibus annis, recentioribus Donatianis, in medium afferentibus Arianorum epiſtolam, falſo titulo Sardicenſis Synodi nobilitatam, qua demonſtrarent Donatum, majoreſque ſuos perpetuam, atque conſtantem communionem ac ſocietatem cum Orientali Eccleſia retinuiſſe, Africani Epiſcopi repugnaverint affirmando, Sardicenſe Concilium non fuiſſe Catholicum, ſed Arianum. Ignorabant enim Africani Epiſcopi duas nuncupari Synodos Sardicenſes; Alteram Arianam, non re, ſed ſolo nomine Sardicenſem; Catholicam alteram, & re, & nomine Sardicenſem. Locupletiſſimus pervulgati in Africâ erroris teſtis eſt Auguſtinus, qui Creſconio, ceteriſque Donatianis epiſtolam ad Donatum, Sardicenſis Concilii titulo inſignitam, objicientibus reſpondet Lib. 3. contra Creſconium Donatiſtam cap. 34. num. 38. tom. 9., *Diſce ergò quod neſcis, Sardicenſe Concilium Arianorum fuit, quod totum diu eſt ut habemus in manibus, contractum maximè contra Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum*. Et Lib. 4. contra eundem Creſconium cap. 44. num. 52. tom. 9., *Inſeris principium Sardicenſis Concilii, unde probare conaris, quod Orientales Epiſcopi, cognito crimine traditorum, parti Donati communicaverint..... Quod quidem Concilium, ne te lateat, Arianorum eſt, quos jam tu inter alios hæreticos nominaſti*. Et Epiſt. 44. ad Eleuſium & Glorium cap. 3. num. 6. tom. 2, *Tunc protulit quoddam volumen, ubi volebat oſtendere Sardicenſe Concilium ad Epiſcopos Afros, qui erant communionis Donati, dediſſe litteras. Quod cum legeretur, audivimus Donati nomen inter ceteros Epiſcopos, quibus illi ſcripſerunt..... Tunc accepto ipſo volumine, ejuſdem Concilii ſtatuta conſiderans, legi Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum Catholicum, cujus maximè adverſus Arianos acerrimarum diſputationum conflictus eminuit, & Julium Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum nihilo minus Catholicum, illo Concilio Sardicenſi, fuiſſe improbatos. Unde apud nos conſtitit, Arianorum*

Digitized by Google

rum fuiſſe Concilium. Quæ cum ita ſint perſpectum ſatis, exploratumque eſt, Auguſtini ætate non aliud innotuiſſe Africanis Epiſcopis Sardicenſe Concilium, præter unum Arianorum, ſub ficto mentitoque nomine Sardicenſis Concilii per fraudem ab Arianis evulgatum.

Dices, Gratus Carthaginienſis Epiſcopus, quinque ſupra triginta ſtipatus Afris Epiſcopis, Sardicenſi Concilio interfuit, anno 347. celebrato, quem credibile eſt canones Sardicenſes ſecum in Africam attuliſſe. Profecto in Concilio Carthaginienſi I., anno a Synodo Sardicenſi proximè elapſo 348., Gratus, ut habetur Canone v. de Clericis & Laicis in aliena Eccleſia non ordinandis, Sardicenſis Concilii, cui interfuerat, mentionem fecit, & xv. Sardicenſem canonem recitavit. Quid, quod Aurelius Carthaginienſis non adeo longa ætate a majori ſuo Grato diſtabat, ut Sardicenſis Concilii memoriam diuturnitas temporis tunc deleverit? Grato enim ſucceſſit Reſtitutus, Reſtituto Genetlius, Genetlio Aurelius, qui fuit quartus a Grato. Divinando reſpondeo, quod Donatianorum maximè intererat, ut, & Carthaginienſis I. ſub Grato contra ſe congregati, & Sardicenſis ſub Oſio, quo Pſeudo-Sardicenſis ad Donatum epiſtolæ auctoritas funditùs corruebat, perpetua eſſet in Africa oblivio, æternumque ſilentium. Quare credibile eſt in immaniſſima illa Circumcellionum direptione, expilatione, univerſæque Africæ vaſtatione, ſpatio annorum ſeptuaginta, quot a Grato ad Aurelium fermè effluxerunt, exemplaria omnia, & Carthaginienſis ſub Grato, & Sardicenſis ſub Oſio fortuitò, vel potiùs meditatò & conſultò, Donatianorum operâ, intercepta, atque deleta fuiſſe. Quocumque autem modo ſe res habuerit, multo mirabilior profectò eſt ignoratione Canonum Sardicenſium, Canonum Nicænorum oblivio, quæ aliquando Afros Epiſcopos cœpit. Nam Nicæni canone VIII. ſancitum fuerat, *Ne in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*. Ex hujus canonis ignoratione, annuente Aurelio Carthaginienſi, Africæ univerſæ Primate, conſecrante Megalio, etſi Auguſtino eſſet infenſus, Numidiæ Primate, probantibuſque Epiſcopis, qui Hipponem confluxerant, Valerio Hipponenſi Epiſcopo alter ejuſdem civitatis Epiſcopus

Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus adjunctus eſt. Quod factum fuiſſe dolet S. Doctor epiſtola 213., quæ eſt de deſignando Eraclio, qui Auguſtino in Epiſcopatum ſuccederet, num. 14. tom. 2. ubi ſic plebem, clerumque Hipponenſem alloquitur, *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum; & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo.*

Dicendum II., in hac fuiſſe ſententia Africanos Patres, Tranſmarinas ad Sedem Apoſtolicam appellationes de jure quidem non eſſe irritas, ſed eſſe uſu periculoſas, multaſque habere cautiones. Cum Africanus Presbyter Feliciſſimus, Schiſmaticorum catervâ ſeptus, quos Cyprianus ſynodali ſententiâ fregerat, Romam ſe contuliſſet, & ad Cornelium Romanum Epiſcopum anno 252. provocaſſet, a quo, Fortunatum Pſeudo-epiſcopum confirmari, rejici vero Cyprianum Epiſcopum flagitabat; Schiſmaticorum fraudibus atque mendaciis circumventus Cornelius, inter Cyprianum Fortunatumque deliberaturus, non parum anceps, dubiuſque titubaverat. Itaque fluctuantem Cornelii animum Cyprianus confirmat, epiſtola ad eundem 55., in qua S. Martyr perditorum hominum appellationem expendens, non de jure Romani Epiſcopi admittentis appellationem; ſed de ſchiſmatici hominis audaciâ appellationem interponentis conqueritur, quòd poſt crimina manifeſta & teſtata, poſt Synodalem Epiſcoporum ſententiam, ſumma æquitate prolatam, cum ſatellitibus ſuis provocare non erubuerit ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam Principalem, ad quam confugere ſolent ii, qui ſe injuſto judicio oppreſſos cognoverint: additque, ad bonum Eccleſiæ regimen, ejuſdemque incolumitatem pertinere, ne quid res Chriſtiana veteratorum fraudibus detrimenti capiat, ut ibi cauſſa cujuſque audiatur, ubi crimen admiſſum eſt; utque in judicium vocati illic ſuam cauſſam agant, ubi & accuſatores, & teſtes ſui criminis habere poſſint. Ecce verba Cypriani, commemorata epiſtolâ 55. ad Cornelium Papam pag. Venet. edit. Baluz. 182. propè finem, *Pſeudo-epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, navigare audent, & ad*

Digitized by Google

ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, a Schiſmaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, (Rom. 1.) *laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum..... Nam cum ſtatutum ſit ab omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſſa illìc audiatur, ubi eſt crimen admiſſum; & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actûs Domino redditurus, oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illìc ſuam cauſſam, ubi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint.* Et ad calcem epiſtolæ de modo, & ratione excipiendi reos appellantes ad Apoſtolicam Sedem concludit, *Si cum precibus & ſatisfactionibus veniunt, audiantur: Si maledicta, & minas ingerunt, reſpuantur. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.*

Baſilides Legionis, & Aſturicæ in Hiſpania Epiſcopus libellaticus, & blaſphemus, ob hæc, hiſque ſimilia ſacrilega crimina, Synodali ſententia ab Epiſcopatu, cui ſpontè etiam ceſſerat, communione contentus laica, fuerat jure depoſitus, atque in amoti Sedem Sabinus Presbyter electione canonica collocatus. Interea Baſilides, ferendæ ſuæ dejectionis impos, Romam advolat, & ab Synodali Epiſcoporum lata ſententia ad Stephanum Romanum Epiſcopum provocat. Quo facto antiquiſſima conſuetudo, quam Cyprianus non reprehendit, appellandi ad Romanum Epiſcopum mirificè confirmatur. At homo audax, & impudens conquiſitis undique dolis atque mendaciis, ut fieri aſſolet, Stephanum longè poſitum, & geſtæ rei ac veritatis ignarum fefellit, qui, cum faciliores quam par erat nequiſſimo veteratori, quod non infrequenter uſuvenit, aures adhibuiſſet, datis ad Hiſpaniæ Epiſcopos litteris, in ſuam reſtituendum Sedem Baſilidem demandavit. Atque hinc apparet, quam periculoſus ſit, quantaſque cautiones, ne res Chriſtiana in extremum adducatur diſcrimen, uſus appellationum, quæ ex remotiſſimis præcipuè regionibus perfe-

runtur, deſideret, poſtulet, exigatque. Stephani litteris Hiſpani Epiſcopi vehementer commoti ac perturbati, quorum non pauci poſt Stephani decretum de reſtituendo Baſilide cogitabant, ad Africanos Præſules Sabinum atque Felicem legarunt, ut quid conſilii in re adeò impedita, & implexa caperent ab Africanis Epiſcopis intelligerent. Itaque Cyprianus è veſtigio coacta 37. Epiſcoporum Synodo hæc inter alia Synodali epiſtola 68. edit. Baluz. pag. 256. ad Clerum & Plebes in Hiſpania conſiſtentes de Baſilide, qui ordinationem Sabini reſcindere conabatur, reſcripſit, *Nec reſcindere ordinationem jurè perfectam poteſt, quòd Baſilides, poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & geſtę rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi ſe injuſtè in Epiſcopatum, de quo fuerat jurè depoſitus. Hoc eò pertinet, ut Baſilidis non tàm abolita ſint, quàm cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tàm culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudolenter obrepſit. Obrepere autem ſi hominibus Baſilides potuit, Deo non poteſt.* Ex his autem Cypriani verbis perſpicuè declaratur id, quod fuerat a nobis ſupra propoſitum, ſcilicet, in hac fuiſſe ſententia Africanos Patres, Tranſmarinas ad Sedem Apoſtolicam appellationes de jure quidem non eſſe irritas, ſed uſu ipſo, & exercitatione rem eſſe ſatis lubricam, ancipitem, atque periculoſam, quæ plurimas maximaſque deſiderat cautiones, ne quid detrimenti res Chriſtiana, ex ſolitis uſitatiſque appellantium fraudibus, patiatur.

Antonius, primus Fuſſalæ in Numidiæ oppido Hipponenſis diœceſis ab Auguſtino conſtitutus Epiſcopus, propter intolerabilem dominationem, rapinas, adulteria, aliaque ſatis nota, atque explorata flagitia, ab omni Fuſſalenſis Eccleſiæ adminiſtratione, retento dumtaxat honore Cathedræ, Synodali ſententia interdictus fuerat. Ablata Synodali ſententia ad Bonifacium Romanum Epiſcopum provocavit Antonius, a quo Bonifacius, falſis nuntiis rumoribuſque fictis deceptus, Fuſſa-

Ien-

lenſis Eccleſiæ adminiſtrationem homini reſtituendam decrevit: adiunctâ tamen hac prudentiſſimâ clauſulâ, & cautione, in remotiſſimarum Eccleſiarum cauſſis nunquam prætermittendâ, qua Pontificia auctoritas, atque majeſtas, quam palinodiæ, ſeu recantationes maximè dedecent, ſatis collocatur in tuto, ſcilicet, *Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit*, apud Auguſtinum epiſtola 209. ad Cæleſtinum Papam num. 9. tom. 2. Bonifacio interim è vivis ſublato, die 4. menſis Septembris anno 422, Auguſtinus epiſtolâ 209. ad Cæleſtinum Papam, die decima ejuſdem menſis & anni Bonifacio ſuffectum, ſcriptâ ineunte anno 423, effuſiſſimis precibus Cæleſtinum ſupplex orat, atque obteſtatur, ne Fuſſalenſis Eccleſiæ adminiſtrationem Antonio, ad Apoſtolicam Sedem provocanti, reſtituat; ſed latam adverſus eum in judicio Africano ſententiam omninò vigere ſinat. Quod confirmat exemplis recentiſſimis trium Provinciæ Cæſarienſis Epiſcoporum, Priſci, Victoris, & Laurentii, qui a ſimili Synodali ſententia appellaverant ad Apoſtolicam Sedem, quæ ratam habuit, confirmavitque latam ab Epiſcopis Afris ſententiam, *Exiſtunt exempla*, inquit commemoratâ epiſtolà num. 8., *ipſa Sede Apoſtolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo:* treſque recenſitos Afros Epiſcopos, in ſimili cauſſa ad Sedem Apoſtolicam appellantes, nec ab ea voti compotes factos, commemorat. Quod ſi reſtituendam Fuſſalenſis Eccleſiæ adminiſtrationem Antonio appellanti Cæleſtinus decreverit, tranſmiſeritque in Africam executores de more Clericos, qui adhibitâ vi militari, ad parendum reluctantem Fuſſalenſem plebem compellant, cum Romani Epiſcopi poteſtati obſiſtere ipſe nequaquam valeat, nec debeat, ab Epiſcopatu ſe diſceſſurum potius, quàm tantas calamitates inſpecturum ſe Cæleſtino ſignificat, atque denuntiat. Ecce verba S. Doctoris, commemoratâ epiſtolâ 209. ad Cæleſtinum Papam num. 10. tom. 2, *Me ſanè, quod confitendum eſt beatitudini tuæ, in iſto utrorumque periculo, tantus timor & mæror excruciat, ut ab offi-*

officio cogitem gerendi Epiſcopatûs abſcedere, & me lamentis errori meo convenientibus dedere, ſi per eum, cujus Epiſcopatui per imprudentiam ſuffragatus ſum, vaſtari Eccleſiam Dei, & quod ipſe Deus avertat, etiam cum vaſtantis perditione, perire conſpexero..... Si autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiabili timore ac triſtitia recreaveris, & meam ſenectutem hac miſericordi juſtitia fueris conſolatus, retribuet tibi, & in præſenti & in futura vita, bona pro bonis, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit, & qui te in illa Sede conſtituit.

Ex his autem benè perſpectis, meditatis, atque animo comprehenſis, ſplendidiſſimè apparet, Auguſtinum in hac fuiſſe ſententia, ſcilicet, Tranſmarinas ad Romanum Pontificem appellationes de jure quidem non eſſe irritas, non illegitimas, non illicitas; ſed actu ipſo, uſu, atque exercitatione, niſi debitæ cautiones adhibeantur, minus eſſe opportunas, minus utiles, minuſque expedientes; & non modo periculoſas, verum etiam pernicioſas non infrequenter evadere. Neque dixeris cum erudito viro, hanc Auguſtini ad Cæleſtinum Papam epiſtolam eo temporis intervallo fuiſſe ſcriptam, quo Afri Epiſcopi Romam appellari permiſerant, quoad conſultis Nicæni Concilii, ex Oriente accerſitis, ſinceriſſimis exemplaribus, continerentur nec ne in illis propoſiti a Zoſimo Canones compertum eſſet. Ad hæc, ut rem altius repetam, dico, Cum in Concilio Carthaginienſi VI, quod ad annum pertinet 419, Canon VII. re Sardicenſis, nomine Nicænus de Epiſcoporum appellationibus recitaretur, *Alypius Epiſcopus Thagaſtenſis, legatus provinciæ Numidiæ dixit,..... Iſta nos tantiſper ſervaturos, donec integra exemplaria Nicæni veniant, profitemur.*

Cum autem recitaretur canon XVII. Sardicenſis, Nicæni titulo inſignitus, de appellationibus inferioris Cleri, *Auguſtinus Eccleſiæ Hipponis-Regienſis, legatus provinciæ Numidiæ dixit, Et hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni.* In Synodali autem Epiſtola, cui & Auguſtinus ſubſcripſit, ad Bonifacium Papam, quæ ad diem 31. Maii anno 419, ex Couſtant. pag. 1010. nota K, pertinet,

Afri-

Africani Patres ſub num. 4. hæc habent, *Ut Romam liceat Epiſcopis provocare: & ut clericorum cauſſæ apud ſuarum provinciarum Epiſcopos finiantur, jam priore anno, etiam litteris noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Zoſimum Epiſcopum datis, inſinuare curavimus, ut ea ſervare ſine ulla ejus injuria ſineremus, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni*. Et ſub num. 5. ejuſdem Epiſtolæ Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem de facienda Nicænorum Canonum perquiſitione obſecrantes, ea, quæ promiſerant Zoſimo, ſervaturos ſe ſic profitentur, *Pro qua re tuam quoque venerationem obſecramus, ut ſcribere etiam ipſe digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc eſt, Eccleſiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Conſtantinopolitanæ, & aliis etiam, ſi tuæ placuerit ſanctitati, ut inde ad nos iidem Canones, apud Nicæam civitatem a Patribus conſtituti, veniant .... Quod donec fiat, hæc, quæ in Commonitorio ſupradicto nobis allegata ſunt de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem, & de Clericorum cauſſis apud ſuarum provinciarum Epiſcopos terminandis, uſque ad probationem* (Nicænorum Canonum) *ſervaturos eſſe profitemur*.

His præmiſſis, jam inde ab anno 419. compertum exploratumque erat Patribus Africanis, canones, quos pro Nicænis adhibuerat Zoſimus, revera non eſſe Nicænos. Jam enim ab Attico Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino ſincera & genuina exemplaria Nicæni Concilii acceperant, ſubſcriptionibus utriuſque Epiſcopi munita, & corroborata, in quibus nullus continebatur canon ex iis, quos pro Nicænis Zoſimus propoſuerat. Interea, eodem anno 419. die 26. Novembris, iidem Africani Patres per eoſdem Afros legatos Innocentium præsbyterum, & Marcellum ſubdiaconum, eadem Nicæna exemplaria ex Oriente delata ad Bonifacium Papam tranſmiſerunt. Id autem manifeſtè patet ex Codice canonum Eccleſiæ Africanæ. Capiti enim 137. hic præfixus habetur titulus, *Incipiunt exemplaria Concilii Nicæni directa ſub die* VI. *Kalend. Decembris, poſt conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii VIII. Augg, Bonifacio urbis*

Romæ Epiſcopo. Capiti autem 135. hæc præmittuntur, *Incipiunt reſcripta ad Concilium Africanum Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, ubi authentica Concilii Nicæni translata de græco, per Innocentium præsbyterum tranſmiſerunt: quæ etiam Epiſtolæ cum eodem Concilio Nicæno per mermoratum presbyterum Innocentium, & Marcellum Subdiaconum Eccleſiæ Carthaginienſis Sancto Bonifacio Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ ſub die* VI. *Kal. Decembris ſunt directæ*. Itaque apud Afros Epiſcopos jam inde ab anno 419. certa res erat, atque explorata, Zoſimi Canones non eſſe Nicænos. Ex altera verò parte Auguſtini ad Cæleſtinum Epiſtola, (in qua nihil ab Auguſtino de jure Romani Epiſcopi ſuper tranſmarinis appellationibus eſt detractum,) ad annum pertinet 423. Itaque ab anno 419. uſque ad annum 423., quo obſignata eſt Auguſtini Epiſtola ad Cæleſtinum, tres & eo amplius effluxerant anni; ac proinde jamdudum liquidiſſimè notum, perſpectum, atque teſtatum erat apud Præſules Africanos, Canones pro Nicænis a Zoſimo indictos nequaquam eſſe Nicænos. Quamobrem a veritate prorſus alienum eſt, commemoratam Auguſtini ad Cæleſtinum Papam Epiſtolam, eo temporis intervallo fuiſſe ſcriptam, quo Afri Epiſcopi Romam appellari permiſerant, quouſque conſultis Nicæni Concilii, ex Oriente accerſitis, probatiſſimis exemplaribus, continerentur nec ne in illis propoſiti a Zoſimo Canones compertum eſſet.

Sed nuſquam alibi melius atque ſplendidius mens, animus, atque ſententia Patrum Africanorum de appellationibus tranſmarinis apparet, quàm in Synodali Epiſtola ex Concilio vulgo Africano, Carthagine habito, ad Cæleſtinum Papam, per ejus Legatos Fauſtinum epiſcopum, Philippum & Aſellum presbyteros, Romam redeuntes, data anno 425, rebus omnibus, tum quæ ad Apiarii cauſſam, tum quæ ad inveſtigationem Nicænorum Canonum pertinebant, jam expeditis, atque ad terminum quoquo modo perductis. Duo igitur ſunt, quæ ad rem præſentem pertinent, quæque commemorata epiſtola Africani Patres Cæleſtinum Papam effuſis precibus rogant. I., ne facilem nimis aditum, nimiumque faciles aures querulis Afris

Se-

Sedem Apoſtolicam interpellantibus patefaciat; nec a ſe excommunicatos præproperè communioni ipſe reſtituat, *Impendio*, inquiunt num. 2., *deprecamur*, *ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis*; *nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere*, ... *ne in ſua provincia a communione ſuſpenſi a tua ſanctitate PRÆPROPERE*, *vel INDEBITE videantur communioni reſtitui*. Optima ſane petitio, qua Epiſcoporum dignitati, auctoritatique conſulitur, in grege ſubjecto reverentia, atque obedientia debita cuſtoditur, impunitas criminum de medio tollitur, peccandique licentia difficultate reconciliationis coercetur. II. Ut Presbyterorum, inferiorisque cleri appellationes, atque perfugia improba a ſe repellat, tum propter ſtatuta Eccleſiæ Africanæ, tum propter decreta Nicæna, tum propter difficultatem tranſmarini judicii ex perdifficili neceſſariorum teſtium acceſſu. *Presbyterorum quoque*, inquiunt num. 3., *& ſequentium clericorum improba refugia*, *ſicut te dignum eſt*, *repellat ſanctitas tua*; *quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ*: *& decreta Nicæna*, (Canon v.) *ſive inferioris gradûs clericos*, *ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt*. *Prudentiſſimè enim*, *juſtiſſimèque viderunt*, *quæcumque negotia in ſuis locis*, *ubi orta ſunt*, *finienda* ..... *Quomodo* enim *ipſum tranſmarinum judicium ratum erit*, *ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexûs*, *vel propter ſenectutis infirmitatem*, *vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt*. Neque preces hujuſmodi ab Afris Epiſcopis ad Cæleſtinum Papam porrectæ, ſi bene accipiantur, aut æquitati, aut reverentiæ, aut prudentiæ repugnare cuipiam videantur. Agunt enim de appellationibus, atque perfugiis nequioris, improbioris, veteratoriſque Cleri. *Presbyterorum*, inquiunt, *& ſequentium Clericorum IMPROBA refugia repellat ſanctitas tua*. Frequentiſſimis enim tum antiquis, tum recentibus Feliciſſimi, Baſilidis, Pelagii, Cæleſtii, Apiarii, Antonii, aliorumque, non tot, quin plurium, experimentis edocti erant Præſules Africani, homines nequiſſimorum omnium nequiſſimos, propter flagitia ſatis ſuperque teſtata, ab longinquis, ultimiſque

Ec-

Eccleſiis expulſos, & nuſquam gentium toleratos, ſolitos fuiſſe Romam confugere, ut urbs omnium princeps, atque Eccleſiæ univerſæ caput, quæ portus atque perfugium innoxiis quibuſque oppreſſiſque hominibus conſtituta eſt, perditorum hominum temeritate, ſi Superis placeat, univerſi Chriſtiani Orbis veluti cloaca maxima fieret, in quam ſordes omnes, fæces, atque quiſquiliæ undique collectæ confluerent: Ubi malis artibus gratiam & patrocinium nacti Sacrorum Procerum obrepant, circumveniant, decipiant, fucum faciant, illudant. Hæc, hiſque ſimilia ſunt presbyterorum, vel inferioris Cleri refugia improba, quæ Præſules Africani vituperant: &, ne in remotiſſimis ab Urbe Eccleſiis Chriſtiana religio, pax, caritas, ſocietas, atque concordia, uſitatis appellantium fraudibus, atque mendaciis labefactetur, ab admittendis his improborum refugiis Cæleſtinum Papam precibus effuſiſſimis dehortantur. Jam verò ſupplices voces, preces, rogationes, petitiones, obſecrationes, quibus ab admittendis hujuſmodi appellationibus Africani Patres Cæleſtinum Papam abducere, ac revocare conantur, meridiana luce clarius demonſtrant, in hac fuiſſe ſententia Præſules Africanos, ſcilicet, tranſmarinas ad Romanum Epiſcopum appellationes de jure quidem non eſſe irritas, non illegitimas, non illicitas: (quod enim violat jura Eccleſiæ, ne fiat, non loco gratiæ, Afrorum Præſulum more, ſuppliciter petitur; ſed inſtar debiti, quod Afri non contendebant, ab Eccleſiæ Rectoribus juſtitiæ titulo exigitur:) Nihilo tamen minus appellationes hujuſmodi, quod ad uſum ipſum & actum pertinet, niſi exquiſitiſſimæ cautiones adhibeantur, ex ſententia Patrum Africanorum, minus eſſe opportunas, minus utiles, minuſque expedientes; neglectiſque cautionibus diligentiſſimis, non modò eſſe periculoſas, verum etiam magiſtrà, qua fuerant edocti, experientià, ſæpenumero evadere religioni, boniſque moribus pernicioſas.

CON-

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Ad Pompejum ſcribit Cyprianus, de hac eadem re, ubi apertè indicat, Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe; verum etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe.* (b) *Stephanus autem etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſtinam conſuetudinem convellere conarentur.* (c) *Cum ergò Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.* (d) *Nulla* enim adhuc *de illis, ex quo in Eccleſia per Agrippini Concilium baptizati ſunt, quæſtio alicujus excommunicationis exorta eſt.* (e) Hactenus de controverſiis cum Cypriano. Quod ad Donatianos pertinet: *Erat tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis* Carthago; *unde non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſcopum* Cæcilianum, *qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.* (f) Quod factum eſt. *An fortè non debuit Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus cum collegis tranſmarinis Epiſcopis, illud ſibi uſurpare judicium, quod ab Afris ſeptuaginta, ubi Primas Tigiſitanus præſedit, fuerat terminatum? Rogatus quippe Imperator judices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent, & de tota illa cauſſa, quod juſtum videretur, ſtatuerent.* (g) *Quia* enim *Conſtantinus non eſt auſus de cauſſà Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam, atque finiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in urbe Roma, Præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis Collegis ſuis: cum Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent; & Donatum, qui ſchiſma Carthagine*

gine fecerat, ſententiâ percuſſiſſent. (h) *Qualis* verò *ipſius Beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia! Quàm innocens! Quàm integra! Quàm provida, atque pacifica! Qua neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de Collegio ſuo auſus eſt removere: & Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos eſſe conſtaret: itaut, quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior; Alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum! O filium Chriſtianæ pacis! O Patrem Chriſtianæ plebis.* (i) *In quo* tamen *judicio, ſicut eccleſiaſtica geſta teſtantur, quia victi ſunt iſti, & innocens Cæcilianus inventus eſt, eundem Melchiadem crimine traditionis accuſant. Quod quæſo quomodo cognoverint. Si enim ante judicium, non ſibi præjudicare debuerunt, ut apud talem Judicem cauſſam agere inciperent, etiam ex præcepto Imperatoris, quem ipſi adierant, tale ſubire judicium.* (k) Hactenus ex rebus geſtis cum Donatianis. Ex rebus autem geſtis cum Pelagianis: *Cum novæ hæreſis vel auctores, vel certè acerrimi notiſſimique ſuaſores Pelagius, & Cæleſtius extitiſſent, Conciliorum Epiſcopalium vigilantiâ in adiutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt. De quibus exempla recentium litterarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memoratâ Sede manarunt, vobis curavimus mitti.* (l) *Quod* enim *Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum: & quod poſteriori Concilio Plenario totius Africæ contra ipſum errorem conſtituimus, hæc omnia miſimus vobis.* (m) *Poſt reſcripta* enim *Africani Concilii alia quoque ipſius* Pelagii *in urbe Roma perlata patuerunt, quæ litteris ſuis, quas conſcripſit per orbem Catholicum perferendas, Papa Zoſimus execranda, ſicut legere poteſtis, attexuit: duo-*

bus

bus iſtis, Pelagio ſcilicet & Cæleſtio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut, ſi id recuſaverint, omnino damnatis. (n) Poſt hæc, *Cæſaream nos injuncta nobis a venerabili Papá Zoſimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* (o) De qua profectione Poſſidius: *Omnipotentis Dei præſtitit auxilium, ut poſtea in Cæſarienſi Mauritaniæ civitate conſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quò eum venire cum aliis coepiſcopis Sedis Apoſtolicæ litteræ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Eccleſiæ neceſſitates.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) Lib. 5. de Baptiſ. contr. Donat. cap. 23. num. 31. tom. 9. (*b*) Ibidem cap. 25. num. 36. (*c*) Lib. de Unic. Bapt. cont. Petil. cap. 14. num. 23. tom. 9. (*d*) Lib. 3. de Bapt. cont. Donat. cap. 12. num. 17. tom. 9. (*e*) Epiſt. 43. ad Glor. & Eleuſ. cap. 3. num. 7 tom. 2. (*f*) Ibidem cap. 5. num. 14. (*g*) Epiſt. 105. ad Donat. cap. 3. num. 8. tom. 2. (*h*) Epiſt. 43. ad Glor. & Eleuſ. cap. 5. num. 16. tom. 2. (*i*) Lib. 1. cont. Epiſt. Parmen. cap. 5. num. 10. tom. 9. (*k*) Epiſt. 190. ad Opt. cap. 6. num. 22. tom. 2. (*l*) Epiſt. 205. ad Valent. num. 2. tom. 2. (*m*) Lib. de Pecc. Orig. cap. 21. & 22. num. 24. & 25. tom. 10. (*n*) Epiſt. 190 ad Optat. cap. 1. num. 1. tom. 2. (*o*) Poſſidius in vita S. Auguſt. cap. 14.

ARTICULUS VI.

Utrum ex S. Auguſtino Romanus Pontifex errare poſſit in ſolemni judicio fidei definitivo?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Romanus Pontifex errare poſſit in ſolemni judicio fidei definitivo. Subiectæ enim, quæ hìc in conſilium adhibentur accerſitæ ex S. Doctore ſententiæ opinioni propoſitæ ita ſuffragari dicuntur.

I. EPiſtola 82. ad Hieron. cap. 3. num. 24. tom. 2. *Tantummodò ſcripturis canonicis hanc ingenuam debeo ſervitutem, qui eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum ni-*

nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem.

II. Ad eundem ibidem cap. 2. num. 8. tom. 2. *Ego quidem illud Petrum ſic egiſſe credo, ut Gentes cogeret judaizare: Hoc enim lego ſcripſiſſe Paulum, quem mentitum eſſe non credo; & ideò non rectè agebat hoc Petrus: Erat enim contra Evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Chriſtum, ſine illis veteribus ſacramentis ſalvos ſe eſſe non poſſe.*

III. Ad eundem ibidem num. 22. tom. 2. *Ipſe verò Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, ſanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna caritate, reſiſtere.*

IV. Lib. cont. Petilian. cap. 14. num. 23. tom. 9. *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam qui diverſa ſentiebant, duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis, Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus; ambo in unitate Catholica conſtituti, quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat; & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat. Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant, utrique cum eis in unitate conſiſtentes.*

V. Epiſt. 43. ad Glorium; & Eleuſium cap. 7. num. 19. tom. 2. de querelis Donatianorum, malos ſibi Romæ obtigiſſe, Præſidente Melchiade, judices Epiſcopos expoſtulantium. *Ecce putemus*, inquit, *illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe. Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſſa poſſet agitari, ut, ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur; quod utrum fecerint probent. Nos enim non factum eſſe facilè probamus ex eo, quòd totus orbis non eis communicat; aut*

aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat.

VI. Epiſt. 53. ad Generoſ. num. 3. tom. 2. *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eam Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor ſacrorum Codicum per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus providens, ait de præpoſitis malis, Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim & non faciunt; ut certa ſit ſpes fidelis, quæ non in homine ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur, ſicut iſti diſſipati ſunt.*

VII. Zoſimus Papa Epiſtola apud Couſtant III. pag. 949., data XI. Kal. Octobris, Honorio Auguſ. XI. & Flavio Coſtantio COSS., ideſt, die 21. Septemb. anno 417., ad Aurelium Carthaginienſem, univerſoſque cum Auguſtino Epiſcopos per Africam conſtitutos, de purgatione Cæleſtii atque Pelagii, num. 2. *Harum* Pelagii litterarum *recitatio publica fuit*, in baſilicâ S. Clementis coram Synodo; *omnia quidem paria, & eodem ſenſu ſententiiſque formata, quæ Cæleſtius antea protulerat, continebant. Utinam ullus veſtrûm, dilectiſſimi fratres, recitationi litterarum intereſſe potuiſſet. Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit! Quæ admiratio ſingulorum! Vix fletu quidam ſe & lacrimis temperabant, tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe*, Pelagium ſcilicet & Cæleſtium. *Eſtne ullus locus in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit?*

VIII. Ibidem ſub num. 8. *Si Deo noſtro cordi fuit, propter oves perditas, Verbum carnem fieri, & ex Domino formam ſervientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem, ſit vobis gaudium, eos*, Pelagium atque Cæleſtium, *quos falſi indices*, Heros & Lazarus, *criminabantur, agnoſcere a noſtro corpore, & Catholica veritate nunquam fuiſſe divulſos.*

VE-

Digitized by Google

VERA SANCTI DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum ex S. Auguſtino, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare nequaquam poſſe. Si enim ea, quæ in cauſſa potiſſimum Pelagiana teſte Auguſtino agitata ſunt, ſolertius inveſtigentur, atque acutius introſpiciantur, Sancti Doctoris ſententia pro Romani Pontificis ſolemni judicio fidei definitivo, errori minimè obnoxio, protinus ſe manifeſtat.

I. Patres Concilii Carthaginienſis pluſquàm LXX., adverſus Pelagianos ſub Aurelio celebrati, anno 416. labente autumno, in Synodali epiſtola ad Innocentium Papam ſcripta, exeunte anno 416., Theodoſio VII. & Palladio COSS., & per Julium Africanum Epiſcopum reddita, quæ inter Auguſtinianas eſt 175. num. 2. 4. & 6. tom. 2. Innocentium ſic alloquuntur. *Hoc itaque geſtum, Domine Frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda.... Si ergò Pelagius epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſtè viſus fuerit abſolutus, error tamen ipſe & impietas, quæ jam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam auctoritate Apoſtolicæ Sedis anathemanda eſt.... Quæcumque autem alia eis objiciuntur, non dubitamus venerationem tuam, cum geſta epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem cauſſa confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.*

II. Patres Concilii Milevitani LXI., quos inter & Auguſtinus, ſub Silvano Numidiæ Primate, ob eandem cauſſam paulò poſt Carthaginienſe convocati, & coacti, Synodali epiſtola ad Innocentium Papam, inter Auguſtinianas 176. num. 1. 3. & 5. tom. 2. hæc habent. *Quia te Dominus, gratiæ ſuæ præcipuo munere, in Sede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus,*

rimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris..... Hæc inſinuantes Apoſtolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te iſta permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius ſerpant, multoſque contaminent, dum eos ſub nomine Chriſti a gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis.... Sed arbitramur, adiuvante miſericordia Domini Dei noſtri, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros, ut de correctione potius eorum congratulemur, quàm contriſtemur interitu..... Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginienſis Eccleſiæ, & Carthaginienſis provinciæ coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.

III. Aurelius Carthaginienſis, Primas univerſæ Eccleſiæ Africanæ, & quatuor cum eo Epiſcopi, Alypius, Auguſtinus, Evodius, Poſſidius, Epiſtolâ ad Innocentium eundem, ejuſdemque argumenti, paulò poſt ſuperiores datâ, inter Auguſtinianas 177. num. 15. & 19. tom. 2. his verbis Innocentium adeunt. *Si enim cognoverint Pelagiani eundem librum, quem illius vel putant eſſe vel norunt, Epiſcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè ſanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipſo anathematum atque damnatum, non eos ulterius exiſtimamus auſuros, loquendo contra gratiam Dei, quæ revelata eſt per paſſionem & reſurrectionem Chriſti, pectora fidelia & ſimpliciter Chriſtiana turbare..... Cetera quæ illi objecta ſunt, ſicut geſtis defenſa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo judicabit. Dabit ſanè nobis veniam ſuavitas mitiſſima cordis tui, quòd prolixiorem epiſtolam fortaſſis quam velles tuæ miſimus ſanctitati. Non enim rivulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus; ſed in hac non tam parva tentatione temporis,...*

Utrum

Utrum etiam noſter licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet Capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione unius gratiæ conſolari. Jam verò in Synodis Dioſpolitana, Carthaginienſi, & Milevitana fuerat tum agitata cauſſa, tum damnata hæreſis Pelagiana; nihilo tamen minus, poſt confectum abſolutumque judicium, Africani Patres litteris ſuis Synodicis, & familiaribus Innocentium Romanum Pontificem adeunt, conſulunt, obteſtantur, ut ſententiis Synodicis, quibus Pelagii Cæleſtiique impietates damnatæ erant, ultimam, Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ſententiam apponat: extremumque anathema adverſus impios profanorum dogmatum aſsertores, quicumque illi fuerint, pronuntiet, quo Pelagiana hæreſis pro extincta penitus, & conclamata in poſterum habeatur. Fatentur Milevitani Patres, Dei miſericordiam Romanum Pontificem pro tuenda Eccleſiæ incolumitate non modò orantem exaudire, verum etiam regere conſulentem, ne ullo unquam docendo Eccleſiam poſſit errore labare. Docent Romani Pontificis auctoritatem ex ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromi. Eruitur enim ex certis illis ſolemnibuſque ſponſionibus Petro, ejuſque ſucceſſoribus a Chriſto Domino factis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Matth. 16. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Luc. 22. *Paſce oves meas: Paſce agnos meos*. Joan. 21. Divinis ergò teſtimoniis edocti Præſules Milevitani, certos ſe eſſe affirmant, auctoritatem Romani Pontificis multò magis apud Pelagium valituram, quàm reliquorum auctoritas Epiſcoporum. Hinc perſuaſos ſe eſſe dicunt, atque in eam ſpem adductos, ut Pelagiani, Romani Pontificis auctoritate deterriti, ab erroribus priſtinis revocentur, & conſentanea deinceps regulis fidei ſentiant, ac prædicent. Quinque verò cum Auguſtino Epiſcopi, quos inter omnium Princeps Aurelius, teſtantur ſe minimè dubitare, Romani Pontificis auctoritatem majoris fore ponderis apud Pelagium, præ ceterorum Epiſcoporum auctoritate: & hac de cauſſa Innocentium rogant, ut,

Digitized by Google

ſi Pelagianam peſtem extinctam velit, Pelagii librum jam damnatum in Synodis, & damnet ipſe, & damnari ab auctore ſuo Pelagio præcipiat. Quibus verbis (adverte animum) ſatis perſpicuè definitionem facti dogmatici ab Innocentio expectant, & flagitant. Poſtremò ſuam fidei doctrinam comparatam cum doctrina fidei qua præſtat Romanus Pontifex, inſtar exigui rivuli ad largum copioſumque fontem ſe ſe habere teſtantur. Quocirca dogmaticas ſententias ſuas, quas datis ad Innocentium litteris explicant, Romani Pontificis certo judicio probandas, vel reiicendas ſubiicere ſe profitentur. Ex hac autem agendi ſcribendique ratione ab Africanis Patribus cum Romano Pontifice ſuſcepta, cuſtodita, atque uſitata, ſi æquo animo expendas, ſponte ſua emergit fluitque id, quod fuerat a nobis ſupra propoſitum, ſcilicet, Auguſtinum, ceteroſque Præſules Africanos in ea fuiſſe ſententia, quæ docet, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

IV. Innocentius ad Patres Concilii Carthaginienſis, epiſtola inter Auguſtinianas 181. num. 1. tom. 2., data ſexto Kal. Februarias, poſt conſulatum Theodoſii Auguſti VII. & Junii Quarti V. C., ideſt, die 27. Jan. anno 417., Julio Africano Epiſcopo ſuperiorum ad Innocentium litterarum perlatore in Africam redeunte, ad ea, quæ quærunt, ita reſcribit: *In requirendo de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet a Sacerdotibus, maximèque a vero juſtoque & Catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ noſtræ religionis vigorem, non minus nunc in conſulendo, quàm antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit, quem ſequentes tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda: Vel id verò, quod Patrum inſtituta Sacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humanâ ſed divinâ decrevere ſententiâ, ut quidquid quamvis in disjunctis,*

Digitized by Google

remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur: indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut da natali fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent, quid præciperent, quos abluerent, quos velut cæno inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.

V. Innocentius ad Patres Concilii Milevitani, epiſtola inter Auguſtinianas 182. num. 2. tom. 2., reſcripta ac data uti ſuperior, atque uno eodemque faſciculo colligata, his verbis Milevitanis Patribus reſpondet. *Diligenter & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana; honoris inquam illius, quem, præter illa quæ ſunt extrinſecùs, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam: ... Scientes quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent; Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſejunctos.*

VI. Alypius & Auguſtinus ad Paulinum, epiſt. 186. cap. 1. num. 2. tom. 2. *Poſteaquàm ad nos litteræ de Oriente venerunt, eandem cauſſam Pelagianam apertiſſimè ventilantes, nullo modo jam qualicumque Epiſcopali auctoritate deeſſe Eccleſiæ debueramus. Miſſæ ſunt itaque de hac re ex duobus Conciliis, Carthaginienſi & Milevitano, relationes ad Apoſtolicam Sedem antequàm geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos provinciæ Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipſa cauſſa aliquanto diutius egimus.*

Ad

Digitized by Google

Ad omnia nobis ille reſcripſit eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem. Itaque ex S. Auguſtino Romanus Pontifex Innocentius, a Carthaginienſi & Milevitano Concilio in Pelagiana cauſſa conſultus, ad utriuſque Conciliis Patres eo modo reſcripſit, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem. Atqui Romanus Pontifex Innocentius ad utriuſque Concilii Patres, præter alia multa, plurimis, graviſſimis, præclariſſimiſque verbis reſcripſit, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe. Quamobrem ex S. Auguſtino fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem ad Carthaginienſes, Milevitanoſque Patres reſcribere, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe. Quocirca ex S. Auguſtino Romanus Pontifex in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poteſt.

Et ſanè Innocentius reſcripſit, Romanam Petri Sedem, quam Eccleſiarum omnium manet ſolicitudo, illud eſſe incorruptum aquarum caput, atque unum illum, primum, ac nitidiſſimum fontem, unde puri ac ſinceri Apoſtolicæ traditionis latices ad univerſas Chriſtiani orbis Eccleſias manant, ac defluunt: ſingulaſque Eccleſias, ubique gentium poſitas ac diſpertitas, ex Apoſtolico Romano fonte veram atque ſinceram Chriſtianæ religionis in alveos ſuos derivare doctrinam, qua Eccleſia univerſa irrigata ab omni prorſus erroris cæno pura, defæcataque cuſtodiatur. Ad Apoſtolicam Petri Sedem, quoties obortæ fidei controverſiæ referuntur, id perindè ſe habere affirmat, ac ſi ad Petrum ipſum, qui in ſucceſſoribus ſuis Apoſtolica auctoritate vivit adhuc, & ſpirat, deferantur: cujus ſingulari patrocinio ac præſidio Romani Epiſcopi ſepti ac muniti tam mala damnare norunt, quàm probare laudanda. Hinc communis illa, conſtans, antiqua, atque perpetua conſuetudo ex inſtitutione divina, ex traditione Apoſtolica, atque ex veteri diſciplina, teſte Innocentio, profecta eſt, ut in abſtruſioribus de religione quæſtionibus, maximè vero quæ ad Fidei doctrinam pertinent, Romana Petri Cathedra ex quibuſvis vel longè poſitis, ultimiſque provinciis conſulatur: Ne-

que fas eſſe naturæ hujuſce quæſtiones, quæ & *majores cauſſæ* dicuntur, ſi quæ fuerint exortæ, ultima atque irrevocabili ſententia in Synodis terminari, priuſquàm ad notitiam Apoſtolicæ Sedis perferantur, ut acceſſione, pondere, & firmitate Apoſtolicæ auctoritatis juſta quæ fuerit Synodica pronuntiatio ultimò firmetur, ac ſtabiliatur. Hæc ſunt, præter alia, quæ ad Patres Carthaginienſes atque Milevitanos Innocentius reſcripſit. Hæc autem omnia apertè ſignificant, atque declarant, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

Neque audiendi ſunt, ſi qui dixerint, Auguſtinum ſuperioribus verbis non ea omnia probare, quæ Innocentius de Sedis ſuæ ſumma præſtantia, ſingularique auctoritate prædicaverat, ſed ea dumtaxat laudare, quæ contra Pelagianos errores ſtatuta reſcripſerat. Apage alienam, detortamque a veritate interpretationem. Etenim univerſa Africana Eccleſia ea, quæ de Apoſtolicæ Sedis ſuæ auctoritate ac præſtantia Carthaginienſibus Patribus Innocentius reſcripſit, in tanta deinceps religione habuit, tanta reverentia excepit, tamque ſolicita fidelitate cuſtodivit, ut, poſt ducentos & eo amplius annos, ad Theodorum Romanum Pontificem ſcribens eadem fermè verba uſurpaverit, quibus Innocentius auctoritatis ſuæ præſtantiam, datis ad Carthaginienſe Concilium litteris, ſignificaverat. Tres enim Primates Africæ, ideſt, Byzacenus, Numidicus, Mauritanus, Synodica e tribus Conciliis epiſtola, de Legatione Africana pro revocandis Monothelitis, ad Theodorum Romanum Pontificem datâ anno 646., quæ recitata eſt in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Secretario II. anno 649. coram 150. Epiſcopis in Monothelitarum cauſſa conſidentibus, non modò ſententias ſingulas, ſed ſingula fermè verba ex Innocentii litteris ad Patres Carthaginienſes decerpta, ac deſcripta uſurpaverunt, mutuati ſunt, ſuaque fecerunt: eademque cum Innocentio voce locuti ſunt, qua ſatis perſpicuè ſignificaverat Innocentius, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

Extat commemorata ad Theodorum Papam Synodica e

tri-

tribus Conciliis epiſtola tomo VII. Conciliorum editionis Venetæ recentiſſimæ pag. 131., atque hunc præ ſe titulum inſcriptum fert, *Domino beatiſſimo, Apoſtolico culmine ſublimato, Sancto Patri Patrum, Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Columbus primæ Sedis Epiſcopus Concilii Numidiæ, & Stephanus primæ Sedis Epiſcopus Concilii Byzaceni, & Reparatus primæ Sedis Epiſcopus Concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ Provinciæ*. Mox adſcitis, uſurpatiſque ab Innocentio verbis, atque ſententiis ita exordiuntur: *Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter, univerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum, cui etiam in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omninò & ſollicitè debent, maximè verò juſtèque ab ipſo Præſulum examinari Vertice Apoſtolico, cujus vetuſta ſolicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate juſta quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur; indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manent fidei ſacramenta ſalutis*. Hactenus Africani Patres ad Theodorum Papam. Ex his autem efficitur manifeſtè, epiſtolam Innocentii ad Patres Concilii Carthaginienſis ea parte, qua certum judicium atque ſuprema auctoritas Romani Pontificis maximè in dirimendis fidei controverſiis aſſeritur, ac vindicatur, locum, honoremque Canonis apud Africanam Eccleſiam obtinuiſſe.

Nunc verò ea perſequamur, quæ in Innocentii epiſtola continentur, quibus eruditi quidam ſcriptores Innocentium verbis magnificis poteſtatem, auctoritatemque ſuam præter modum amplificaſſe arbitrantur. Et primò quidem, ſi quibus illud ab Innocentio exaggeratum admodum videatur, *Scientes, quod*

Digitized by Google

quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, meminerint ii & ætate Damaſi eandem viguiſſe conſuetudinem, Apoſtolicam Sedem undique ex Synodis conſulendi, teſte Hieronymo epiſtola alias 110. num. 91. ad Hageruch:, ubi de munere, quo Romæ apud Damaſum fungebatur, hæc ſcribit, *Cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum, Romanæ urbis Epiſcopum: Et Orientis, Occidentiſque Synodicis conſultationibus reſponderem*. Mos autem conſulendi Romanos Epiſcopos ab omni Eccleſiæ memoria tum apud Occidentales, tum apud Orientales Eccleſias invaluit, quod pro rerum opportunitate a primis Eccleſiæ ſæculis eſt uſitatum. Anno Chriſti 96., vel paulò antè, Corinthiorum Eccleſia Clementem Romanum conſuluit, opemque imploravit Romani Epiſcopi pro componendis diſcordiis, quæ Corinthi Eccleſiaſticum ordinem perturbaverant: quibus non ante annum 97., ſedata Domitiani perſecutione, reſpondit Clemens epiſtola apud Couſtant. I. pag. 9. num. 1. his verbis, *Propter calamitates & caſus adverſos, qui nobis acciderunt, fratres, tardius videbimur convertiſſe animum re ad eas res, quæ a vobis, dilecti, quæſitæ ſunt*.

Anno 256. Cyprianus, atque ab eo evocati Africani Epiſcopi e Concilio Carthaginienſi, Synodica epiſtola inter Cyprianicas 72., Stephanum Romanum Pontificem de hæreticorum baptiſmo conſuluerunt, qua ſub num. 1. perhonorificè Stephanum ſic alloquuntur. *Ad quædam diſponenda, & conſilii communis examinatione limanda neceſſe habuimus, frater cariſſime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere & celebrare concilium. In quo multa quidem prolata, atque tranſacta ſunt; ſed de eo vel maximè tibi ſcribendum, & cum tua gravitate ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem, de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem*. Anno 258. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus Xyſtum Romanum Pontificem conſuluit, cujus ſententiam atque oraculum flagitabat ſuper baptiſmo hominis, qui maximis ſolicitabatur angoribus & anxiebatibus, quòd ſe

non

Digitized by Google

non baptizatum ritè ac legitimè arbitraretur, *Verè enim frater*, ſic Dionyſius ad Xyſtum epiſtola apud Couſtant 4. pag. 266., *conſilio opus habeo*, *&* *ſententiam tuam expeto*, *ne fortè halluciner*, *ſuper negotio*, *quod mihi tale accidit*. Anno 347. Sardicenſis Concilii Patres, Synodica ad Julium Romanum epiſtola, apud Couſtant ordine 3. pag. 395. num. 1., conſulendi Romani Pontificis onus, quod univerſis incumbit Epiſcopis, præclariſſimo exemplo, graviſſimiſque verbis ita declarant, *Hoc enim optimum*, *&* *valdè congruentiſſimum eſſe videbitur*, *ſi ad Caput*, *ideſt*, *ad Petri Apoſtoli Sedem*, *de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*.

Si quis autem ea Innocentii verba improbare non vereatur, quibus affirmat, Antiquos Eccleſiæ Patres non humana ſed divina decreviſſe ſententia, quæcumque vel in longinquis, ultimiſque agerentur provinciis ſuper anxiis, ut loquitur, rebus; aut ubi fidei ratio ventilatur, non prius eſſe finienda, quàm ad Apoſtolicæ Sedis notitiam pervenerint, ut Sedis ejuſdem auctoritate juſta quæ fuerit habita in Synodis pronuntiatio firmetur, ſimiles Innocentii voces, epiſtola 11. ad Victricium Rotomagenſem num. 6. pag. apud Couſtant 709., eum reprehendere neceſſe eſt, quibus Innocentius conſtituit, *Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ*, *ad Sedem Apoſtolicam*, *ſicut Synodus Sardicenſis ſtatuit*, *&* *beata conſuetudo*, *poſt judicium Epiſcopale referantur*. At immeritò injuriaque utrumque Innocentii decretum reprehendet. Duplici continentur genere, quæ appellantur *Cauſſæ Majores*. Primi generis ſunt cauſſæ Fidei: Secundi generis ſunt cauſſæ abſtruſiores. De abſtruſioribus cauſſis, quæ anxios judices faciunt, ſuperius dixerat Innocentius, *Super anxiis rebus*, *quæ ſit tenenda ſententia*. De cauſſis fidei locutus eſt dum ait, *Præſertim quoties Fidei ratio ventilatur*. Utriuſque autem naturæ cauſſas & ad Apoſtolicam Petri Sedem referendas, & ab Apoſtolica Petri Sede judicio ultimo terminandas conſtans Eccleſiæ conſuetudo palam demonſtrat. S. Cyrillus Alexandrinus epiſtola 8. ad Cæleſtinum Papam, anno 430. ubi primùm hæreſis Neſtoriana in lucem erumpere, atque in conſpectum dare ſe viſa eſt, omni

ni

ni rejecta mora, his verbis de nova cauſſa Fidei Cæleſtinum Romanæ urbis Epiſcopum a ſe certiorem fieri oportere, ſic num. 1. declarat, *Si ſilere, & non pietatem tuam de omnibus quæ moventur litteris certiorem facere citra culpam, ac ſiniſtræ ſuſpicionis metum liceret, præſertim in rebus adeò neceſſariis, ubi fides periclitatur, in memetipſo dicerem, Bonum & periculi expers eſt ſilentium.... Sed quoniam Deus hiſce in rebus vigilantiam noſtram exigit, & Longa Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut hujuſmodi res cum ſanctitate tua communicentur, ſcribo planè neceſſitate adactus.*

Vigilius Papa epiſtola 6. num. 2. ad Auxanium Arelatenſem Epiſcopum, quem Apoſtolicæ Sedis Vicarium in univerſa Gallia conſtituerat, generis utriuſque quæſtiones, tum quæ Fidem attingunt, tum quæ præ nimia difficultate explanari in Synodo minimè poſſunt, integras ad Apoſtolicam Sedem, ubi judicio ultimo dirimantur, rejiciendas eſſe docet, atque decernit. Audiatur, *Si qua vero certamina, aut de religione, quod abſit, aut de quolibet negatio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, Apoſtolicæ Sedi terminanda ſervate.* Rurſus Vigilius idem epiſtola 7. ad Epiſcopos Gallos, qua eos certiores facit de Auxanio Epiſcopo Arelatenſi, Apoſtolicæ Sedis Vicario a ſe deſignato per Gallias, majores cauſſas tum Fidei Catholicæ, tum abſtruſioris indaginis, ab Auxanii judicio exemptas, ſibique ſoli ſervatas eſſe declarat, *Contentiones verò*, inquit, *ſi quæ, quas Dominus avertat, in Fidei cauſſa contigerint, aut tale emerſerit negotium, quod pro magnitudine ſuî Apoſtolicæ Sedis magis judicio debeat terminari, ad noſtram diſcuſſa veritate perferat ſine dilatione notitiam.* Poſtremò S. Gregorius Magnus Lib. 5. Indict. 13. epiſtola alias 52. ad Gallos Epiſcopos data, de Virgilio Epiſcopo Arelatenſi, Apoſtolicæ Sedis Vicario a ſe conſtituto, ſimilia prorſus iis, quæ Vigilius Papa ſuperioribus litteris conſtituerat, iiſdemque fermè vocibus uſurpatis, iterum conſtituit, atque decernit: majoreſque cauſſas tum dogmaticas, tum nimis implexas & involutas, ab ſententia Synodica

dica ſui Vicarii Apoſtolici avocatas, ad ultimum certumque Apoſtolicæ Sedis judicium tranſigendas abſolvendaſque ſic advocat. *Si quam vero contentionem de fidei cauſſa evenire contigerit; aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubitatio, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat pervenire notitiam, quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari*. Et hæc dicta ſint ſatis adverſus moroſos, ne dicam maledicos ſuperiorum epiſtolarum vituperatores, quibus Innocentius ſatis apertè ſignificat, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

VII. Lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. tom. 10. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare: Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia?*

VIII. Serm. 131. cap. 10. num. 10. tom. 5. *Jam enim de hac cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: Indè etiam reſcripta venerunt: Cauſſa finita eſt: Utinam aliquando finiatur error*. Jam vero Auguſtinus prætermiſſa hìc trium Synodorum auctoritate, Dioſpolitani, Carthaginienſis, Milevitani, quibus Pelagiana hæreſis damnata fuerat, ut validiori vi, certiorique ſucceſſu Julianum revocet a Pelagianis erroribus, unam ſolamque illi Apoſtolicæ Sedis auctoritatem commemorat, objicitque, quam ſatis, ſuperque futuram fuiſſe docet, ut a Pelagianis laqueis ſe ſe expediret Julianus, ſi faciles aures, ut par erat, reſcribenti Innocentio accomodare non detrectaſſet. Neque verò laborandum Juliano erat, ut reſcriptis Innocentii acquieſceret, quandoquidem Apoſtolica fretus auctoritate Africanis Patribus Apoſtolicam Sedem conſulentibus nihil prorſus repugnans, nihil diſcrepans, nihil diſſentientes ab eo reſpondere poterat, quod antiquitùs Apoſtolica

Petri Sedes, atque Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia. Hinc poſt reſcripta Apoſtolicæ Sedis, quibus lata ab Innocentio ſententia eſt contra Pelagianos errores, finitam omninò eſſe Pelagianam cauſſam, remque totam confectam eſſe Auguſtinus affirmat: Negatque ullum ſupereſſe amplius locum revocandi, non modò in integrum, ſed & in dubium eam fidei cauſſam, quæ ab Apoſtolica Sede ſemel eſt judicata. Ex his autem Auguſtini verbis atque ſententiis illud ſpontè ſua effloreſcit, apertèque ſe manifeſtat, quod a nobis fuerat ab initio propoſitum, ideſt, Romanum Pontificem ex Auguſtino in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

Contra verò Theologus in primis clarus atque eruditus contendit, propterea ſuperiori Sermone 131. pronuntiaſſe Auguſtinum, poſt reſcripta Innocentii Pelagianam cauſſam eſſe finitam, quia quando Auguſtinus ſermonem illum habuit, quo Pelagianam cauſſam finitam eſſe affirmavit, certus erat de conſenſu univerſæ Eccleſiæ, ſin minus expreſſo, ſaltem tacito, qui jam acceſſerat Innocentii reſcriptis, qualis requiritur ex hoc Theologo, ut Romani Pontificis definitio evadat in Eccleſia regula fidei. Id autem hac adhibita ratiocinatione ſcriptor clariſſimus elicere ſe ſic arbitratur. Reſcripſerat Innocentius ad Carthaginienſes, Milevitanoſque Patres ſexto Kal. Februarias, poſt conſulatum Theodoſii Auguſti VII. & Junii Quarti V. C., ideſt, die 27. Januarii anno 417. Sermo autem nunc 131. habitus ab Auguſtino eſt die 23. Septembris eodem anno 417., ex veteri Codice PP. Ciſtercenſium S. Crucis in Jeruſalem de Urbe, ubi memoratus ſermo, divino quodam munere ad illuſtrandam, ut inquit, regulam fidei, certum habet diem, & annum. Jam verò a die 27. Januarii ad diem 23. Septembris anni 417. menſes 7. dies 26. intercipiuntur. Itaque ab Innocentii reſcriptis ad habitum ab Auguſtino ſermonem illum octo fermè menſes elapſi ſunt. Quocirca poſt octo fermè menſium in univerſa Eccleſia ſilentium, quot ab Innocentii reſcriptis ad Auguſtinianum ſermonem effluxerant, certiſſimus erat Auguſtinus de tacito ſaltem Eccleſiæ univerſæ conſenſu Innocentii reſcriptis adjuncto. Hac ergò de cauſſa, ut fert hujus ſcripto-

ſcriptoris opinio, omni dubitatione remota, pronuntiavit libera voce Auguſtinus: *Jam enim de hac cauſſâ duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: Inde etiam reſcripta venerunt: CAUSSA FINITA EST.*

At viri clariſſimi pace dixerim, quod ſpectato tacito Eccleſiæ conſenſu pronuntiaverit Auguſtinus, finitam eſſe Pelagianam cauſſam, merum eſſe commentum ad tuendum id, quod ſibi fuerat ab auctore propoſitum, ſic oſtendo. Si Pelagianam cauſſam propterea finitam eſſe Auguſtinus exiſtimaſſet, quòd Innocentii reſcriptis tacitus Eccleſiæ conſenſus acceſſerat, ſententiam ſanè graviſſimam, maximique in Eccleſia momenti, aliqua ſaltem, vel tenui ſignificatione, uti facto opus erat, eo loco indicaſſet: dixiſſetque, quod facillimum dictu erat, reique docendæ maximè conſentaneum, *Ab Apoſtolica Sede jamdiu, jam pridem, tot ab hinc menſes, reſcripta venerunt: Cauſſâ finita eſt.* Minimè verò hæc, vel his ſimilia Auguſtinus: Sed, nullâ prorſus habitâ ratione temporis ab Innocentii reſcriptis elapſi, ex eo dumtaxat, quòd ab Apoſtolica Sede reſcripta venerint, illicò atque è veſtigio Auguſtinus intulit, atque concluſit, *Cauſſa finita eſt*. Quid? quod octo vix menſes, ab Innocentii reſcriptis ad habitum ab Auguſtino ſermonem elapſi, ſatis eſſe Auguſtino non poterant ad arguendum aliqua conjectura probabili ex ea brevi mora tacitum Eccleſiæ univerſæ conſenſum, cum ad conſenſum hujuſmodi probabiliter conjiciendum, duorum ſaltem annorum à datis ab Innocentio litteris lapſus, ſpatium, atque intervallum requireretur. Latiſſimè tunc temporis diffuſa erat Eccleſia. Quamobrem terra marique, itineribus atque navigationibus ob imperitiam negligentiamque antiquitùs impeditiſſimis, & propè infinitis, perferendæ erant Innocentii litteræ per univerſum Orientem, & Occidentem, id eſt, per totam Italiam, Inſulaſque adjacentes, per Gallias, Hiſpanias, Africam, Aſiam, Ægyptum, Conſtantinopolim, Alexandriam, Antiochiam, Jeroſolymam, Principes Chriſtiani orbis Eccleſias, Primaſque Sedes. Quocirca antequàm Innocentii reſcripta in manus Epiſcoporum pervenirent, octo ſaltem fuiſſent menſes elapſi.

Digitized by Google

Pervulgatis autem litteris Innocentianis, neceſſe erat, ut, more ea ætate uſitato, ſinguli Metropolitæ provinciarum ſuarum Synodos indicerent, cogerentque, in quibus e ſuis ſedibus evocati Epiſcopi proſcriptas ab Innocentio Pelagianas propoſitiones, ut fert ſuperior opinio, per quàm accuratiſſimè examinarent, ſuumque de illis judicium ferrent. At quoad hæc acta fuiſſent, octo alii itidem menſes effluxiſſent. Jamque habemus menſes ſexdecim a datis ab Innocentii litteris elapſos. Nunc autem finge animo, (quod in adverſariorum ſententia potuit contingere,) reſcripta Innocentii dogmaticum errorem aliquem incluſum continuiſſe, profectò Epiſcoporum plerique è Synodis tunc reclamaſſent. Ut autem clamores hujuſmodi ab Epiſcopis longiſſimè poſitis ad Africam, datis litteris, pervenirent, quibus Auguſtini aures undique circumſonarent, nova iterum mora & intercapedo octo itidem menſium requirebatur. Itaque a primo ad extremum, ut ex diuturna ſatis reticentia Eccleſiæ tacitum ejuſdem Eccleſiæ conſenſum, reſcriptis Innocentianis adjunctum, poſſet Auguſtinus conjicere, neceſſe erat, ut, ab Innocentii reſcriptis ad habitum ab Auguſtino ſermonem, duo ſaltem ſolidi anni eſſent elapſi. Cum autem non plures menſes effluxerint, quam fermè octo, concludendum eſt, non ex tacito Eccleſiæ conſenſu, qui tunc reſciri non poterat; ſed quòd Romanus Pontifex in ſolemni judicio fidei definitivo nuſquam errare poteſt, Auguſtinum eo ſermone liberè pronuntiaſſe, Poſt reſcripta Innocentii cauſſam Pelagianam finitam eſſe.

IX. Zoſimus Papa Innocentii ſucceſſor ad Aurelium, ceteroſque qui in Concilio Carthaginienſi adfuerunt, epiſtola apud Couſtant XII. pag. 974., data XII. Kal. Apriles, Honorio Auguſto XII. Conſule, ideſt, die 21 Martii anno 418., quæ reddita eſt Africanis Patribus die 29. Aprilis ejuſdem anni 418., qua reſpondet Synodali epiſtolæ Concilii Carthaginienſis, datæ ineunte Novembri anni 417., ſub num. 1. ſic exorditur, *Quamvis Patrum traditio Apoſtolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet, idque per Canones ſemper regulaſque ſervaverit; & currens adhuc*

huc ſuis legibus Eccleſiaſtica diſciplina Petri nomini, a quo ipſa quoque deſcendit, reverentiam quam debet exſolvat; tantam enim huic Apoſtolo canonica antiquitas per ſententias omnium voluit eſſe potentiam, ex ipſa quoque Chriſti Dei noſtri promiſſione, ut & ligata ſolveret, & ſoluta vinciret; par poteſtatis data conditio in eos, qui Sedis auctoritatem ipſo annuente meruerunt. Habet enim ipſe cum omnium Eccleſiarum, tum hujus maximè ubi ſederat curam, nec patitur aliquid privilegii aut aliquâ titubare aurâ ſententiæ, cui ipſa ſui nominis firma & nullis hebetata motibus conſtituit fundamenta, & quæ ſine ſuo periculo temere nullus inceſſat. Cum ergò tantæ auctoritatis Petrus caput ſit, & ſequentia omnia majorum ſtudia firmaverit, ut tam humanis quàm divinis legibus & diſciplinis omnibus firmetur Romana Eccleſia, cujus locum nos regere, ipſius quoque poteſtatem nominis obtinere non latet vos, ſed noſtis fratres cariſſimi, & quemadmodum ſacerdotes ſcire debetis; tamen cum tantùm nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil egimus quod non ad veſtram notitiam noſtris ultrò litteris referremus. Docet igitur Zoſimus, Romanos Pontifices non modò in Petri Sedem & locum, ſed in poteſtatem quoque auctoritatemque Petri hereditario jure ſuccedere: qui, in ſucceſſoribus ſuis adhuc ſuperſtes, univerſam per eos adminiſtrat Eccleſiam, ſucceſſorumque ſuorum propria & ſingularia jura firma atque immota tuetur. Hinc Patrum traditio per ſacros Canones regulaſque propoſita ac declarata, perpetuâque Eccleſiæ conſuetudine ad ea uſque tempora retenta ſemper, ac cuſtodita, Apoſtolicæ Petri Sedi auctoritatem tantam attribuit, ut nullus de Romani Pontificis judicio diſceptare, nullus ſine ſuæ ſalutis diſcrimine Romani Pontificis auctoritatem convellere, nullus latam a Romano Pontifice ſententiam retractare, ſeu revocare in integrum, niſi audaci arrogantiâ, conatuque irrito valeat. Cum autem hæc hiſque ſimilia in judicio fidei, quod tunc agitabatur, Zoſimus doceat; eademque conſona prorſus & convenientia ſint iis, quæ in eadem cauſſa ab Innocentio prolata Africani Præſules cum Auguſtino probaverant, laudave-

rant-

rantque, non minus hic ex Zoſimo, quàm ex Innocentio ſuprâ, conſentientibus Africanis Patribus cum Auguſtino, concludendum iterum eſt, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe.

X. Epiſtola 215. ad Valentinum num. 2. tom. 2. *Quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt: ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum: & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus,... hæc omnia & in præſenti legimus cum ipſis, & per eos miſimus vobis.*

XI. Epiſtola 190. ad Optatum cap. 6. num. 22. tom. 2. *Exempla recentium litterarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata Sede manarunt, ſi fortè ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti.*

XII. Lib. de peccato originali cap. 21. num. 24. tom. 10. *Viſus eſt tamen* Pelagius *ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conveniret; ſed illam Sedem uſque in finem fallere non prævaluit. Poſt reſcripta quippe Africani Concilii..... alia quoque ipſius* Pelagii *in urbe Roma ...... prolata patuerunt, quæ litteris ſuis, quas conſcripſit per orbem Catholicum perferendas, Papa Zoſimus execranda, ſicut legere poteſtis, adtexuit.*

XIII. Poſſidius in vita S. Auguſtini cap. 18. ad calcem tom. 10. *Inſtantiſſimè etiam Conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, ut Sancto Papæ Urbis, & prius venerabili Innocentio, & poſteà ſancto Zoſimo ejus ſucceſſori perſuaderetur, quàm illa ſecta a fide Catholicâ & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ Sedis Antiſtites, ſuis diverſis temporibus, eoſdem notantes, atque a membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris & ad Africanas Occidentis, & ad Orientis partis Eccleſias, eos anathemandos, & devitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt.* Itaque ex S. Auguſtino accepimus, Pelagium, cui ſe fraudis comitem adjunxit Cæleſtius, pro viribus contendiſſe, verbis ſubdolis atque fallacibus, ſinceram ſanæ doctrinæ ſpeciem præſeferentibus, Romanum Pontificem, ſi fieri

Digitized by Google

fieri poſſet, decipere. At *illam Sedem*, teſte Auguſtino, *uſque in finem*, ideſt, uſque ad ſolemne judicium fidei definitivum, *fallere non prævaluit*. Concilium enim Africanum Carthagine habitum Kal. Majis anno 418. Zoſimum Romanum Pontificem de Pelagianis fraudibus atque erroribus certiorem fecerat, ac Synodalia contra Pelagianos decreta Zoſimo confirmanda tranſmiſerat, ex S. Proſpero in Chronico ad annum 418., cujus hæc verba ſunt: *Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. Epiſcoporum, ad Papam Zoſimum Synodalia decreta perlata: QUIBUS PROBATIS per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*. Et rurſus Lib. contra Collatorem cap. 41. num. 57. *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus SENTENTIÆ ROBUR ADTEXUIT: Et ad impiorum detruncationem GLADIO PETRI dexteras omnium armavit Antiſtitum*. Zoſimus ergò ſuprema ſua uſus auctoritate, ſupremique in Eccleſia Judicis controverſiarum fidei munere functus, primò Synodalia Africani Concilii decreta probavit, deinde Synodalibus Africani Concilii decretis ultima ſententia ſua robur, ut loquitur Proſper, adtexuit, poſtremò, ineunte Julio anno 418., datis ad omnes univerſi Chriſtiani orbis Epiſcopos litteris, Pelagium atque Cæleſtium ab Chriſtiana conjunctione communique conſociatione disjunctos ſegregatoſque declaravit, Pelagianos & Cæleſtianos errores damnavit, formulam fidei in damnata hæreſi Pelagiana propoſitam promulgavit, univerſoſque Epiſcopos ad eam ſubſcribendam jurejurando adegit.

Præter Auguſtini & Proſperi teſtimonia extant hac ſuper re præclara Marii Mercatoris monumenta, qui de rebus a Zoſimo geſtis in cauſſa Pelagianorum hæc in celebri commonitorio ſuo litteris conſignavit: *A beatæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis vel longiſſimis perdamnatus* Cæleſtius *eſt: in quibus & ipſa* ſex Cæleſtii *capitula, de quibus* a Paulino Diacono Mediolanenſi *accuſatus fuerat, continentur; & omnis cauſſa tam de Cæleſtio ſupraſcripto, quam de* Pelagio *Magiſtro ejus praviore, videtur eſſe narrata: Quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria: Et ad Orientales Eccleſias,*

Ægypti

Digitized by Google

Ægypti diæceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Jeroſolymam ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus. Et rurſus eodem Commonitorio pag. edit. Baluz. 138. *Quæ omnia ſupraſcripta capitula, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ Tractoria dicitur, quà Cæleſtius, Pelagiuſque damnati ſunt: quæ & Conſtantinopolim, & per totum orbem miſſà ſubſcriptionibus Sanctorum Patrum eſt roborata: cui Julianus, & reliqui complices ejus,* octodecim cum ipſo Epiſcopi refractarii, *ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolùm imperialibus legibus* Honorii Auguſti; *ſed & ſacerdotalibus ſtatutis* Apoſtolicæ Sedis *depoſiti atque exauctorati, ex omni Italia deturbati ſunt. Ex quibus plurimi reſipiſcentes, & a prædicto errore correcti, regreſſi ſunt ſupplices ad Sedem Apoſtolicam, & ſuſcepti ſuas Eccleſias receperunt.* Hactenus Marius Mercator Pelagianarum rerum ſcriptor apprimè ſolers, ac ſobrius de celebri, univerſique orbis plauſu nobilitata Tractoria Zoſimi. Tantam autem vim, tantumque pondus auctoritatis ineſſe in Tractoria Zoſimi, quæ ſolemne fuit judicium fidei definitivum, Auguſtinus & Proſper teſtati ſunt, ut alter epiſtola 190. ad Optatum cap. 6. num. 23. tom. 2., poſtquam recitavit brevem ſententiam ex Zoſimi Tractoria decerptam, pronuntiare non vereatur, *In his verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, certa, & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.* Alter vero, ideſt Proſper, Lib. contra Collat. cap. 10. num. 15. ipſiſſimis verbis ab Zoſimi Tractoria petitis Joannem Caſſianum, Pelagianis faventem placitis, ſic redarguere, ac refellere non dubitaverit: *Erravit ſacroſancta Beati Petri Sedes, quæ ad univerſum orbem Papæ Zoſimi ore ſic loquitur?* Quod perindè ſe habet, ac ſi dixiſſet: *Errare non potuit Sacroſancta Beati Petri Sedes, quæ ad univerſum orbem Papæ Zoſimi ore ſic loquitur.*

Hanc autem agendi rationem ab Africano Concilio cum Romano Pontifice Zoſimo, atque a Zoſimo cum omnibus univerſi Chriſtiani orbis Epiſcopis in judicio fidei definitivo con-

Digitized by Google

contra Pelagianos ſuſceptam, uſurpatamque, ex qua ſatis elucet, ut res ipſa declarat, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe, non fuiſſe rem abſonam abſurdamque, nec ab Eccleſiæ conſuetudine diſcrepantem, validiſſimè demonſtratur ex rebus de more eccleſiaſtico geſtis Concilii Chalcedonenſis cum Leone Magno Romano Pontifice, Magnique Leonis cum univerſis Chriſtiani orbis Epiſcopis in ſolemni judicio fidei definitivo contra Eutychianos lato. Marcianus Imperator, epiſtolâ 101. ad Leonem Magnum Romanum Pontificem datâ, quæ ſint Romani Pontificis partes ex Eccleſiæ conſuetudine in ſolemnibus judiciis fidei definitivis his verbis indicat, atque prodit: *Miramur valdè, quod, poſtquàm Chalcedone celebrata eſt Synodus, ac litteræ Venerabilium Epiſcoporum ad tuam pietatem miſſæ ſunt, quibus omnia quæ in Synodo ſunt geſta expoſuerunt, neutiquam ſanctitas tua ejuſmodi epiſtolas emiſit, quæ in ſanctiſſimis Eccleſiis lectæ, in omnium notitiam pervenirent.* Ad hæc Leo Magnus, epiſtolâ 105. num. 4. ad Marcianum Auguſtum datâ, quæ Synodi, quæque Romani Pontificis partes ſint in ſolemni judicio fidei definitivo his verbis enucleatius explicat, & luculentius declarat: *Conſtitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & de hæreticorum damnatione PLACUERUNT, LIBENS ADIECI SENTENTIAM MEAM, QUÆ ut in notitiam omnium Sacerdotum, Eccleſiarumque perveniat, veſtræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur.* Poſtremò epiſtolâ 107. num. 1. promulgationem ultimæ ſententiæ ſuæ in ſolemni judicio fidei definitivo, utpote ad terminandam fidei controverſiam prorſus neceſſariam, Juliano Apoſtolicæ ſuæ Sedis Legato his verbis Leo Magnus inculcat: *Studeat dilectio tua piiſſimum Principem crebris ſuggeſtionibus commonere, ut adjunctis affatibus ſuis, ad ſingularum provinciarum Sacerdotes deferri APOSTOLICÆ SEDIS SCRIPTA præcipiat: ne ulterius quiſquam veritatis inimicus EX SILENTIO MEO SE EXCUSARE PRÆSUMAT.*

Jam verò ex ſuperioribus monumentis, teſtimoniis, atque ſententiis ab Auguſtino, Proſpero, Poſſidio, Mario Mercato-

re, Marciano Auguſto, & Leone Magno petitis, atque in compendiariam brevemque ſummam contractis habemus, reſcriptum Zoſimi ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum. Ab Zoſimo ad omnes Epiſcopos univerſaliter manaſſe litteras. Litteris ſuis, quas per orbem Catholicum perferendas conſcripſit, execranda Pelagii dogmata Zoſimum adtexuiſſe. Ab Zoſimo Pelagium atque Cæleſtium ab Eccleſiæ membris præciſos; datiſque litteris ad univerſas Orientis, atque Occidentis Eccleſias anathemandos, devitandoſque ab omnibus Catholicis voce Zoſimi denuntiatos. Ab Zoſimo Africani Concilii contra Pelagianos decreta probata: his autem ab eo probatis, per totum mundum Pelagianam hæreſim eſſe damnatam. Zoſimum Africanorum Conciliorum contra Pelagianos decretis ſententiæ ſuæ robur adtexuiſſe; fideique formulam a ſe concinnatam atque propoſitam univerſis Epiſcopis ſubſcribendam præcepiſſe: atque hinc gladio Petri dexteras omnium armatas Antiſtitum. Sacroſanctam Beati Petri Sedem, quæ errare non poteſt, ad univerſum Chriſtianum orbem ore Zoſimi eſſe locutam. In Zoſimi verbis tam antiquam, certam, & claram eſſe Catholicam fidem, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano. Miſſos ad Leonem Magnum fidei canones ab Œcumenica Chalcedonenſi Synodo conſtitutos, & ab eodem Leone judicio ultimo probatos, confirmatoſque. Ultimam Apoſtolicæ Sedis ſententiam, quam ſe Chalcedonenſis Concilii conſtitutionibus adjeciſſe Leo Magnus affirmat, ad omnes univerſi Catholici orbis Epiſcopos, eo curante atque mandante, perlatam. Quod facto opus erat, ne Eutychiani ex Leonis ſilentio ab ejurandâ hæreſi, in Chalcedonenſi Concilio damnatâ, ſeſe excuſare præſumerent, atque ex Romani Pontificis reticentiâ tutam damnatæ in Concilio hæreſi latebram ſibi quærerent. Ex his autem teſtimoniis veluti in aciem productis evincitur: 1. Nullum Concilium eſſe legitimum, quod a Romano Pontifice probatum non fuerit: 2. Nullius Concilii Canones eſſe ratos, niſi Romano Pontifice ſua auctoritate Apoſtolica illos confirmante, atque probante: 3. Auctoritatem Romani Pontificis longè præſtare cujuſcumque Concilii quamvis Œcumenici auctoritati:

4. Ro-

Digitized by Google

4. Romanum Pontificem non modò eſſe in Eccleſia Chriſti vindicem, aſſertorem, cuſtodem, atque promulgatorem ſacrorum Canonum; verum etiam ſupremum eſſe ſacrorum Canonum conditorem, editorem, probatorem, confirmatorem: 5. Romanum Pontificem Eccleſiæ conſenſum non expectare, quo a ſe prolata ſententia fidei regula conſtituatur; ſed ſuprema, qua in Eccleſia pollet auctoritate, imperare & exigere ab Eccleſiâ conſenſum ſententiæ illi, quæ regula fidei judicio ſuo conſtituta eſt. Poſtremò, quod caput eſt, ut eò ſe referat unde diſceſſerat diſputatio, fieri omninò non poſſe, ut Romanus Pontifex in ſolemni judicio fidei definitivo ullo unquam errore labatur.

XIV. Epiſtola 191. ad Sixtum ſcripta anno 418. num. 2. tom. 2. *Nec illi negligendi ſunt, qui uſque ad profundum ſilentium ſupprimunt timore quod ſentiunt, ſed tamen eandem perverſitatem ſentire non deſinunt. Nonnulli quippe eorum, antequàm iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam Sedis Apoſtolicæ judicio damnaretur, vobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repentè reticuiſſe perſpicitis, nec utrum ſanati ſint ſciri poteſt, niſi cum non ſolùm dogmata illa falſa tacuerint, verum etiam illis vera contraria, eo quo illa ſolent ſtudio, defenſaverint; qui tamen lenius profectò ſunt tractandi. Quid enim eos terreri opus eſt, quos ſatis territos ipſa taciturnitas monſtrat? Nec ideò tanquam ſani prætereundi ſunt diligentia medicinæ, quorum vulnus in abdito eſt. Etſi enim terrendi non ſunt, tamen docendi ſunt: Et, quantum exiſtimo, facilius poſſunt, dum in eis timor ſeveritatis doctorem adjuvat veritatis, ut, opitulante Domino, gratia ejus intellecta atque dilectà, etiam loquendo expugnent, quod jam loqui non audent.* Habemus hìc ex S. Auguſtino, Pelagianos non paucos, ubi primùm intellexerunt Pelagiana dogmata ab auctoribus ſuis litteris tradita, & conſignata, judicio manifeſtiſſimo Apoſtolicæ Sedis fuiſſe damnata (quod perindè eſt, ac factum dogmaticum fuiſſe damnatum) repentè conticuiſſe; ſubitoque terrore latæ ab Apoſtolicâ Sede ſententiæ perculſos, exanimatoſque, auſos amplius non eſſe prodere palam in vulgus errores ſuos,

Digitized by Google

quos adhuc perfractè voluntate & animo retinebant, quamvis callido ſanè conſilio, doloſoque ſilentio latentem intus Pelagianam peſtem comprimerent. Hos videri quidem, ſed minimè ſanos eſſe, quorum eſt in abdito vulnus, Auguſtinus affirmat; ac proinde non tanquam ſanos prætereundos, ſed tanquam graviter ægrotos diligenti medicinâ curandos eſſe pronuntiat. Neque enim Pelagianorum reticentia ac ſilentio ad Apoſtolicæ Sedis decreta contentus erat Auguſtinus; ſed ab eis contendebat, ut vera Catholica dogmata, damnatis in Pelagio atque Cæleſtio erroribus prorſus contraria, eo ſtudio & ardore palam & publicè defendenda ſuſciperent, quo Pelagiana dogmata tueri antea ſolebant: atque ut clara & ſonora voce damnatam hæreſim oppugnarent, quam propugnare verbis, ſcriptiſque amplius non audebant. Hac autem ſubdolâ, ut mos eſt omnium hæreticorum, agendi ratione, callidoque conſilio inito, veteres Pelagianos recentibus Janſenianis prælusiſse jure affirmaveris, qui obſequioſo, ut mentiuntur, re autem vera contumelioſo ſilentio, Apoſtolicæ Sedis decreta ſe ſe eludere poſſe arbitrantur: atque recens excogitatâ, & a majoribus noſtris inauditâ inter purum dogma, & factum dogmaticum diſtinctione, quorum alterum obſequioſo, ut ajunt, ſilentio, primum vero profeſſione etiam externa ſe juratos excipere dictitant, fraudis hujuſmodi adminiculo ſolutos ſe jurejurando, ſibi ab Apoſtolicâ Sede imperato, ſatis perversè interpretantur. Quo nihil abſurdius, ſceleratius nihil. Fraus enim diſtringit, non diſſolvit perjurium. Semper enim in jurejurando, dataque fide, non tam quid dixeris, quàm quid ſenſeris judicandum. Utque verbis Auguſtini utar Epiſt. 125. ad Alypium num. 4. tom. 2. *Non ſecundùm verba jurantis; ſed ſecundùm expectationem illius, cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri ..... Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt*. Audiant hæc Janſeniani Moralis rigidiſſimæ prædicatores; laxiſſimæ autem, ne dicam diſſolutiſſimæ, ut aſſolet, ſectatores: atque perjuros ſe, ex Auguſtini benigna & æqua ſatis ſententia, eſſe noverint, & intelligant.

Ce-

Ceterum, quod ad rem noſtram hìc pertinet, Pelagiani repentino ſilentio ſuo, auditâ Apoſtolicæ Sedis ſententiâ, ut Auguſtinus refert, ſatis diſertè, quamvis tacitè, etſi non verbis, re tamen ipſa, vel imprudentes, invitique teſtati ſunt, ſupremam eſſe Romani Pontificis in dirimendis Fidei controverſiis auctoritatem, quâ ſeptus munituſque Romanus Pontifex in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poteſt.

XV. Lib. 2. contra Julianum cap. 10. num. 37. tom. 10. *Numquid de qualicumque Clericorum turba iſti ſunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate, contemnis, quia non poſſunt ſecundùm cathegorias Ariſtotelis de dogmatibus judicare? Quaſi tu, qui maximè quereris examen vobis, & Epiſcopale judicium denegari, Peripateticorum poſſis invenire Concilium, ubi de ſubjecto, & de his, quæ ſunt in ſubjecto contra originale peccatum dialectica ſententia proferatur.*

XVI. Lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 24. num. 42. tom. 10. *Hæc execrabilia dogmata tenentes, ac ſeminantes adhuc inſuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pænitentiam.*

XVII. Lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 12. num. 34. tom. 10. *Quid eſt ergò quod dicunt, Simplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus extorta ſubſcriptio eſt? .... Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illìc improbari damnarique meruerunt; atque indè per ceteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.... Verùm iſtorum ſuperbia ..... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente, pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: Cum potius vigilantia & diligentia Paſtorali, poſt factum de illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur atque mutentur, ſive*

Digitized by Google

ſive ut ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur.

XVIII. Lib. 2. Operis Imperfecti contra Julianum num. 103. tom. 10. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem? Quod denique jam factum eſt in Epiſcopali judicio Paleſtino, ubi Pelagius veſtri auctor erroris procul dubio damnatus eſſet, niſi iſta, quæ tu defendis, dogmata veſtra damnaſſet. Damnata ergo hæreſis ab Epiſcopis, non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt a Poteſtatibus Chriſtianis.* Jam verò ad ea illuſtranda, quæ de Pelagianis appellationibus in cauſſa fidei ſuperioribus locis diſputat Auguſtinus, e quibus eruitur, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe, operæ pretium eſt revocare memoriæ Cæleſtium, qui non modò paruit Pelagii temeritati, ſed præfuit; nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem præbuit, coram Patribus Concilii Carthaginienſis ſub Aurelio contracti, Honorio IX. & Theodoſio V. AA. CC., menſe Februario anno Chriſti 412., a Paulino Mediolanenſis Eccleſiæ Diacono in jus vocatum, deque religione violata accuſatum, ab eodemque ſex illi objecta capitula, in quibus errores totidem veritati Chriſtianæ repugnantes hæreticus homo docebat. Meminit hujus primæ Synodi Carthaginienſis adverſus Cæleſtium habitæ Auguſtinus Lib. de Geſtis Pelagii cap. 35. num. 62. tom. 10. his verbis: *Iſta hæreſis cum plurimos decepiſſet; & fratres, quos non deceperat, conturbaret, Cæleſtius quidam talia ſentiens, ad judicium Carthaginienſis Eccleſiæ perductus, Epiſcoporum ſententia condemnatus eſt.* Item Paulus Oroſius Apologetici cap. 3. coram Judicibus ab Joanne Epiſcopo Jeroſolymitano in cauſſa Pelagii Jeroſolymam convocatis, Honorio X. & Theodoſio VI. AA. CC., die 30. Julii anno Chriſti 415., rem Carthagine geſtam in pauca ſic confert: *Expoſui coronæ veſtræ breviter, ut potui, Cæleſtium jam ad honorem presbyterii ſubrepentem, apud Carthaginem, plurimis Epiſcopis judicantibus, proditum, auditum, convictum, confeſſum, deteſtatumque ab Eccleſia, ex Africa profugiſſe.* Præterea Marius Mercator Commonitorii cap. 1., quod Theodoſio Auguſto anno Chriſti 429. obtulerat, *Cæleſtius quidam*, inquit, *eunuchus matris ute-*

Digitized by Google

utero editus, ante viginti plus minus annos, diſcipulus & auditor Pelagii, egreſſus ex urbe Romana, Carthaginem Africæ totius Metropolim venit, ibique de infra ſcriptis capitulis apud Aurelium Epiſcopum memoratæ urbis per libellum a quodam Paulino Diacono ſanctæ memoriæ Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi eſt accuſatus .... De quibus omnibus capitulis Patres, & Epiſcopi regionis illius, reſtiterunt Cæleſtio, & juſſerunt, ut eadem condemnaret, quia eſſent hæretici ſenſûs. Sed Cæleſtius nullo modo acquieſcens, quinimò reſiſtens actis iiſdem, quibus frequenter auditus eſt, eccleſiaſtica communione privatus eſt. Poſtremò auctor PRÆDESTINATI hæreſi 88. hæc eadem his verbis memorat, *Reſtitit ei*, Cæleſtio, *quidam Paulinus Diaconus, defenſor & procurator Eccleſiæ Mediolanenſis: cuique in Conventu Sacerdotum multa capitula objecit contra fidem Catholicam, quæ Cæleſtius damnare neglexit.*

Itaque judicio Carthaginienſi, latæque contra ſe, erroreſque ſuos a Patribus Africanis ſententiæ, minimè acquievit Cæleſtius; quinimò ab Africano Concilio ad Sedem Apoſtolicam appellavit. At è veſtigio, infauſti exitûs timore perculſus, appellatione neglectâ, quam poſt elapſum quinquennium apud Zoſimum dein eſt proſecutus, in Aſiam profugit, & Epheſum ſe recepit, ubi in presbyterii locum obrepere non eſt veritus. Locupletiſſimi teſtes ſunt Cæleſtianæ a Synodo Carthaginienſi ad Romanum Epiſcopum appellationis Marius Mercator, Paulinus Diaconus, Facundus Hermianenſis, atque ipſemet Romanus Pontifex Zoſimus. Marius enim Mercator in Commonitorio hæc de appellatione Cæleſtii litteris conſignavit, *Cæleſtius nullo modo acquieſcens, quinimò reſiſtens actis iiſdem, quibus frequenter auditus eſt, eccleſiaſtica communione privatus eſt. A qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. Qua mox idem ipſe appellatione neglecta, Epheſum Aſiæ urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum presbyterii petere.* Paulinus Eccleſiæ Mediolanenſis Diaconus in Libello ſuo, quem adverſus Cæleſtium Zoſimo reddendum dederat num. 4. pag. edit. Couſtant *967.*, abſentiam ſuam ab urbe Roma, quò a Zoſimo fuerat accerſitus, ob

præ-

prætermiſſam a Cæleſtio Romanam appellationem, his verbis apud Zoſimum purgat: *Ubi tunc ideò nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apoſtolicam provocaverat, defuit: quem oportuerat utique merita ſuæ appellationis adſtruere, maximè cum, nihil agente appellatore, ſecundùm etiam humanas leges, ſuperior eſt ſemper ille, qui vicerit.* Quibus verbis ſignificat Paulinus Cæleſtium propter quinquennalem appellationis intermiſſionem, ab proſequendæ appellationis jure ac beneficio excidiſſe, ex Cod. Theod. Lib. 11. tit. 30. Leg. 45., ubi ſapientiſſima cautione ſancitum eſt, ut *Appellationes tranſmarinæ intra anni ſpatium agantur*. Facundus Hermianenſis Lib. 7. cap. 3. pag. 277. narrat, *Cæleſtium in Eccleſia Carthaginienſi convictum, atque appellantem Apoſtolicam Sedem*. Poſtremo Zoſimus Papa epiſtola edit. Couſtant XII. pag. 975. Aurelio & ceteris, qui in Concilio Carthaginienſi adfuerunt, ſcripta anno Chriſti 418., ab Cæleſtio intermiſſam appellationem priſtinam, atque iterum apud ſe reſtauratam his verbis commemorat, *Pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo*, Cæleſtio, *qui apud vos, ſicut per litteras dicitis, fuerat accuſatus; & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione priſtina, venerit Sedem*. Quæ cum ita ſint audiendus minimè eſt Joannes Latius, qui de rebus Pelagianis Lib. 1. cap. 4., cum minimè animadverterit, Cæleſtium, malæ cauſſæ deſperatione abjectum, interpoſitam appellationem, arreptâ fugâ, ob quinquennalem intermiſſionem antiquaſſe, jure ſe Baronium reprehendere arbitratur, quod Cæleſtium ad Apoſtolicam Sedem provocaſſe ſcripſerit: *Unde*, inquiens, *Cæleſtii appellatio ad Apoſtolicam Sedem, quam inculcat Baronius, doceri poſſit, non video. Nam ſi in priori illo Carthaginienſi judicio Cæleſtius appellationem interpoſuit, mirum videri poteſt, Africanos Patres ſecundò judicaſſe; & ad Innocentium quinquennii tempore nullam notitiam ejuſdem appellationis perveniſſe*. Maneat igitur, Cæleſtium ab lata in cauſſa fidei contra ſe ſententia, a frequentiſſimis Concilii Carthaginienſis Patribus, ad ultimum atque ſupremum Romani Pontificis judicium,

Digitized by Google

cium, nullo Epiſcopo contra appellationem hanc reclamante, quin illam tacito conſenſu unoquoque probante ratamque habente, appellaſſe.

Contra verò longè aliter ſe res habuit, cum Pelagiani, per incredibilem ſingularemque temeritatem, atque furorem, ab Zoſimi Conſtitutione, quæ ſolemne erat, ultimum, atque ſupremum judicium fidei definitivum, ad futurum generale Concilium auſi ſunt appellare. Pelagianæ ad futuram Œcumenicam Synodum appellationis monumentum extat infamiâ nobilitatum in fidei Libello, quem duodeviginti Epiſcopi Pelagiani, duce ac ſignifero Juliano Eclanenſi Epiſcopo, ſubſcribere detrectantes formulario fidei, quod per univerſum Chriſtianum orbem in celebri ſua Tractoria Zoſimus ſubſcribendum præceperat, ad eundem Pontificem exeunte anno 418. perferendum curaverant, ubi appellationem ſuam ad futurum generale Concilium, poſtrema Libelli parte, Zoſimo ſic impudenter denuntiant, *Hæc, ut nobis ſecundùm Catholicam regulam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus; quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite: ſin autem contradici iſtis non poteſt, & tamen aliquis voluerit contra nos ſcandalum concitare, certa ſit ſanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ Synodi provocare*. Nefarium Pelagianæ appellationis exemplum non procul conſectatus eſt Eutyches, qui a Petro verè Chryſologo hac aurea ſententia, tom. IV. CC. edit. Venet. 1728. pag. 802., admonitus (*Hortamur te, ut his, quæ a beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi, cauſſas fidei audire non poſſumus*) ab Leonis I. publico judicio fidei, quo ſe feriendum frangendumque non temere ſuſpicabatur, ad futurum generale Concilium provocavit. Eutychetem imitando reſtituit Lutherus, qui die 28. Novembris anno 1418. Wittembergæ appellatione ſolemni, Scribæ publici manu tabulis conſignatâ, ab impendente ſibi ſuiſque erroribus ſententia dogmatica, ab Leone X. in cauſſa

& judicio fidei propediem ferendâ, ad futurum generale Concilium appellavit. Poſtremò hac noſtra ætate, die 5. Martii anno 1717., Queſneliani Epiſcopi quatuor, Lutetiæ Pariſiorum, coram frequentiſſimo theologici Lycei conventu, ab dogmatica Conſtitutione *Unigenitus* Clementis XI. ad futurum generale Concilium appellatione ſolemni, publicis tabulis conſignatâ, provocarunt; quorum exemplum refractarii non pauci, ex omni genere, cœtu, atque ordine hominum ſunt imitati: quin & ambubajarum collegia, pharmacopolæ, mendici, mimæ, balatrones, turpi mercede conducti, affirmantes ſtomachum ſibi facere theologicum dogma de Gratia, quod in Conſtitutione *Unigenitus* Clemens XI. Eccleſiæ appoſuerat, ab ſolemni judicio fidei definitivo Romani Pontificis, ad futurum generale Concilium appellaſſe ſe jactatione mimica gloriabantur. Tot, neque plures in Annalibus Eccleſiaſticis numerantur hujus generis appellationes. Univerſa enim Hiſtoria Eccleſiaſtica non alia ſuppetit nobis exempla, quibus ab ſolemni judicio fidei definitivo Romani Pontificis, & in re dogmatica, ad futurum generale Concilium fuerit appellatum, præter quatuor ſuperiora. Provocarunt Pelagiani, provocavit Eutyches, provocavit Lutherus, provocarunt Queſnelliani; Præterea nemo. At ſi res penitus introſpiciatur, Eutychianam, Lutheranamque impudentiam longè omnium impudentiſſimi Pelagiani, Queſnellianique ſingulari temeritatis exemplo ſuperarunt, quos non a ferendo pervulgandoque, ut Eutyches & Lutherus, ſed ab jam longè latèque lato promulgatoque ſolemni judicio fidei Romani Pontificis, ad futurum generale Concilium provocare non puduit.

Nunc autem diſcutiamus, quid de hujuſmodi appellationibus ſenſerit docueritque ſuperioribus locis Auguſtinus. Ridet ubique Auguſtinus Pelagianam a judicio dogmatico Romani Pontificis ad futurum generale Concilium appellationem. Conquerebantur olim veteres hæretici Pelagiani, quemadmodum nunc recentiores hæretici Janſeniani, rudes, illiteratoſque Judices ſuam cauſſam examinaſſe: addebantque, Epiſcopos ſimplices atque meticuloſos, vana timoris

ac

ac reverentiæ ſpecie deceptos, Zoſimo paruiſſe; ac proinde non liberam & voluntariam, ſed extortam atque coactam Zoſimi Conſtitutioni aſſenſionem ſubſcriptionemque Epiſcoporum, ex diſpertis per orbem Sedibus, acceſſiſſe. His, ſimilibuſque de cauſſis ſe ad futurum generale Concilium provocare tunc Pelagiani, uti nunc Queſneliani, affirmabant. Ad hæc Auguſtinus Julianum, Pelagiani agminis ducem, egregium Peripateticum ſe jactantem, interpellat, interrogatque, Num ad Concilium Peripateticorum provocet, qui *de ſubjecto, atque de his quæ ſunt in ſubjecto*, more ſuo diſputantes, nullum eſſe originale peccatum Peripatetica conſecutione concludant? Pelagianamque ridens appellationem Lib. contra eundem 6. cap. 20. num. 64. tom. 10, *Ad hoc enim*, inquit, *redacta eſt hæreſis veſtra, ut gemant ſectatores veſtri, non inveniri dialecticos Judices in Eccleſia de ſcholis Peripateticorum, ſive Stoicorum, a quibus poſſitis abſolvi*. Similia ab appellantibus Queſnelianis percontari liceat, Num ad Concilium Carteſianorum, vel Newtonianorum provocent, qui de vorticibus, deque materia ſubtili, vel de vi inertiæ, deque vi centrifuga, atque centripeta diſceptantes, meridiana luce clarius demonſtrent, Chriſti gratiam neceſſitantem eſſe; lapſique hominis libertatem arbitram nullam eſſe? Neque abſurda prorſus, & abſona percontatio mea hominibus rerum novarum cupidis videatur, qui ſacram, quæ ſupra naturam eſt, divinæ gratiæ, libertatiſque humanæ concordiam, AD MÆCHANICAS ÆQUILIBRII LEGES, a memoratis philoſophis optimè pertractatas, per ſummam audaciam, temeritatemque revocare non dubitarunt.

Sed ut eò revertamur, unde de Pelagianis appellationibus deflexit oratio, duo indicat ſuperioribus locis Auguſtinus: Alterum, quod examen Pelagianæ cauſſæ jamdudum apud Sedem Apoſtolicam factum fuerit: Alterum, quod Pelagiana hæreſis bis ab Apoſtolica Sede damnata ſit. Primùm ab Innocentio, ineunte anno 417., quando pronuntiavit Auguſtinus Serm. 131. cap. 10. num. 10. tom. 5. *Jam enim de hac cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: Inde*

 etiam

Digitized by Google

etiam reſcripta venerunt: *CAUSSA FINITA EST*. Secundò a Zoſimo, Julio ineunte, anno Chriſti 418. celeberrima ea Tractoria, quam ad Univerſos totius orbis Epiſcopos dederat perferendam, de qua hæc Auguſtinus Epiſtola 190. ad Optatum cap. 6. num. 23. tom.2. *In his verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua*, *certa*, *& clara eſt Catholica Fides*, *ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano*. Et rurſus Proſper de eadem Lib. contra Collat. cap. 10. num. 15. *Erravit ſacroſancta Petri Sedes*, *quæ ad univerſum orbem Papæ Zoſimi ore ſic loquitur?* Jam verò in hoc rerum ſtatu negat Auguſtinus ullum patere deinceps aditum, ullumque amplius ſupereſſe locum Œcumenicæ Synodo, ad quam Pelagiani Epiſcopi, præter jus, faſque, æquitatemque omnem provocare auſi fuerant. Et primò quidem hac ſuper re docet, opus minimè eſſe Synodi congregatione, ut aperta pernicies, ſacris litteris manifeſtè repugnans, proſcribatur. Docet ſecundò, hæreſes pauciſſimas inveniri, quibus damnandis Œcumenica Synodus fuerit neceſſaria. Et ſanè ab Eccleſiæ naſcentis exortu ad annum uſque 420., quo hæc litteris commendabat Auguſtinus, duæ tantum hæreſes memorantur, quæ in Œcumenica Synodo damnatæ fuerint: Ariana hæreſis, in Concilio Nicæno, anno 325.: Et hæreſis Macedoniana, in Concilio Conſtantinopolitano, anno 381. Docet tertiò, ceteras omnes hæreſes, quæ plurimæ primis tribus Eccleſiæ ſæculis numerantur, vel ſine ulla, vel ſine Œcumenica Synodi congregatione oppreſſas extinctaſque in Eccleſia fuiſſe. Profectò ſæculo primo ſine ulla, vel ſine Œcumenica Synodi congregatione repudiatæ, reprobatæque in Eccleſia ſunt hæreſes ſeptem, videlicet, Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Baſilidis, Cerinthi, Ebionis, & Nicolaitarum. Sæculo ſecundo ſine ulla, vel ſine Œcumenica Synodi congregatione repudiatæ, reprobatæque in Eccleſia ſunt hæreſes decem & ſeptem, videlicet, Helceiſitarum, Carpocratis, Gnoſticorum, Cerdonis, Marcionis, Valentini, Tatiani, Encratitarum, Montani, ſeu Cataphrygum, Bardeſanis, Artemonis, Theodoti Coriarii, Apellis, Adamitarum, Ophitarum, Cainanorum, & Hermogenis. Sæculo

Digitized by Google

culo tertio ſine ulla, vel ſine Œcumenica Synodi congregatione, repudiatæ, reprobatæque in Eccleſia ſunt hæreſes quindecim videlicet, Berilli, Privati, Arabum, Valeſiorum, Novati & Novatiani, Angelicorum, Apoſtolicorum, Noetianorum, Sabellianorum, Pauli Samoſateni, ſeu Paulianiſtarum, Manetis, ſeu Manichæorum, Hieracitarum, Nepotis, Coracionis, atque Origeniſtarum. Docet quartò, Pelagianos ad captandam magni nominis, immortaliſque famæ celebritatem, (ſuperbiſſimum enim hominum genus hæretici) ad futurum generale Concilium provocaſſe, ut in obſequium, & reverentiam Pelagianæ ſectæ, totus Chriſtianus orbis, quem pervertere non valuerunt, e ſuis ſedibus excitatus undique concuteretur. Poſtremò S. Doctor concludit, Pelagianos non debere amplius in Synodo audiri, quos in Eccleſia, ut ab Innocentio, & Zoſimo ſancitum eſt, oportet publicè pœnitere: factoque de Pelagianis, apud Apoſtolicam maximè Sedem, idoneo ac ſufficienti judicio, non iterum in Synodis admittendos, ſed pœnarum pondere conterendos: damnatamque hæreſim ab Epiſcopis non amplius in Synodis examinandam, ſed promulgatis nuper imperialibus legibus coercendam, Hæc autem, quæ de Pelagianis appellationibus ab Zoſimi Conſtitutione ad futurum generale Concilium Auguſtinus decernit, quàm aptè, omnique ex parte conveniant Queſnelianis a Clementinâ Conſtitutione ad futurum generale Concilium appellationibus, nullus eſt, ſi animo adverterit, qui non videat.

Sed, ut emiſſi è carceribus, longoque decurſo ſpatio, tandem aliquando ad calcem definitionis propoſitæ perveniamus, certum eſt, Cæleſtium coram Concilio Carthaginienſi, cui, teſtibus Mario, & Oroſio, interfuerunt Patres, ideſt, Primates, & Epiſcopi plurimi, à lata ab eis contra ſua dogmata in judicio fidei ſententia, ad Romanum Pontificem provocaſſe. Certum eſt Africanos Patres ad appellationem Cæleſtii minimè interceſſiſſe, vel reclamaſſe, quod facto opus erat, ſi inanem, irritam, illegitimamque in cauſſa fidei appellationem ad Romanum Pontificem exiſtimaſſent; ac proinde hujus gene-

generis appellationes ſilentio ſuo, tacitoque conſenſu non modò non improbaſſe; verum etiam ratas, legitimaſque habuiſſe. Clariſſimus Noriſius Lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 4. & 17. perhibet, Paulinum Diaconum, audita appellatione Cæleſtii, Romam protinus advolaſſe, ut reſtitutam in integrum, appellationis beneficio, Cæleſtii cauſſam apud Innocentium perſequeretur, latamque in eum a Synodo Carthaginienſi ſententiam defenderet. Quod ex illis Paulini verbis in Libello poſitis ſe demonſtrare arbitratur, quibus Paulinus Zoſimum ſic alloquitur, *Ubi tunc igitur*, apud Apoſtolicam Sedem, ſub Innocentio, *nihil agere potui*, *quia is*, Cæleſtius, *qui ad Sedem Apoſtolicam provocaverat*, *defuit*, *quem oportuerat utique merita ſuæ appellationis adſtruere*, *maximè cum nihil agente appellatore*, *ſecundùm etiam humanas leges*, *ſuperior eſt ſemper ille*, *qui vicit*. At, appellante Cæleſtio, Romamque proficiſcente Paulino, cum ex hujuſmodi actis appellationum jura ad Romanum Pontificem in cauſſis fidei mirificè confirmarentur, neque appellationi Cæleſtii, neque profectioni Paulini Africani Patres, maximè vero Aurelius, Africæ Primas, Africanorum jurium cuſtos vigilantiſſimus, vindexque acerrimus, obſtiterunt.

Ex altera verò parte perſpectum exploratumque eſt, Pelagianos Epiſcopos, ſubſcribere recuſantes Zoſimi Conſtitutionem, cum præteritarum Synodorum actis in ea inſertis confirmatiſque, ad futurum generale Concilium, quod in oblato Libello apertiſſimè Zoſimo denuntiaverant, provocaſſe. Verum enim verò, ſtatim ac appellantium Pelagianorum vocibus Afrorum Præſulum, maximè verò Auguſtini, aures circumſonarunt, Pelagiana ab Zoſimi Conſtitutione, ejuſdemque ſolemni judicio fidei definitivo, ad futurum generale Concilium appellatio, tanquam novum in Eccleſia facinus, atque hactenus inauditum, nulla, irrita, inanis, futilis, atque illegitima declarata, nec non rejecta, exploſa, exſibilataque fuit. Ex his autem monumentis efficitur, legitimam eſſe a Concilio ad Romanum Pontificem appellationem in cauſſa fidei: Contra vero a Romano Pontifice ad futurum generale Concilium

lium appellationem in cauſſa fidei eſſe illegitimam. Quamobrem ſolemne Romani Pontificis judicium fidei ultimum atque ſupremum eſt in Eccleſia judicium fidei; adeoque ſolemne Romani Pontificis judicium fidei nulli prorſus eſt obnoxium errori. Cum enim nulla ſit appellatio ab ultimo ad ulterius, atque a ſupremo ad ſuperius judicium fidei, ſi ultimum atque ſupremum in Eccleſia judicium fidei obnoxium eſſet errori, nulla pateret Eccleſiæ evaſio ab errore; ac proinde univerſa Chriſti Domini Eccleſia obnoxia eſſet errori, fierique poſſet, ut portæ inferi adverſus Eccleſiam, quæ ſupra Petrum fundata eſt, prævalerent: quod ex Chriſti Domini oraculo fieri omnino non poteſt. Quamobrem ex hactenus diſputatis, illuſtratiſque monumentis Auguſtinianis concluditur, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe. Quod ſi contentio quædam, & comparatio fiat, quibus auctoritatis plurimum ſit tribuendum, ſoline Romano Pontifici, an ceteris ſimul Epiſcopis, effatum hoc, quod alta maneat mente repoſtum, inſtar regulæ conſtituatur: Inferiores controverſiarum fidei Judices Epiſcopos, conjunctim cum ſupremo controverſiarum fidei Judice Romano Pontifice, non autem ſeparatim ab eo judicantes, in cauſſa fidei errare minimè poſſe: Supremum verò controverſiarum fidei Judicem Romanum Pontificem, tum conjunctim cum inferioribus controverſiarum fidei Judicibus Epiſcopis, tum ſeparatim ab eis judicantem, in cauſsa fidei errare omnino non poſse.

Ad primum ergò dicendum, quod cum Hieronymus ad Auguſtinum epiſtola inter Auguſtinianas 75. cap. 3. num. 4. & 6. tom. 2. ſcriberet, ſe in ſuis ſuper epiſtolam Pauli ad Galatas commentariis ſecutum eſſe Origenis, Didymi Laodiceni, Alexandri, Euſebii Emiſeni, Theodori Heracleotis, atque Joannis Chryſoſtomi ſententiam, qui docuerunt, ex communi Apoſtoli utriuſque conſilio, ex pacto, & conventu, fictè ſimulatèque, Petrum fuiſſe a Paulo reprehenſum, S. Auguſtinus epiſtola ad Hieronymum 82. cap. 3. num. 24. tom. 2. reſpondet, ſibi manifeſtè favere illuſtre perſpicuumque Pauli teſtimonium ad Galatas cap. 2., narrantis ſe, cum Antiochiæ ver-

verſaretur, re vera, & ex animo, non ficte ſimulatèque Petrum reprehendiſſe. Quocirca nullius apud ſe ponderis eſſe contrariam auctoritati Pauli memoratorum, quos Hieronymus ibi objecerat, ſcriptorum auctoritatem: additque, privatos ſcriptores quoslibet, ſi canonicis ſacrorum librorum ſcriptoribus apertiſſimè repugnaverint, deſerendos omninò eſse, nulloque in numero habendos. Quamobrem non diſputat ibi Auguſtinus vel de Concilii Œcumenici, vel de Romani Pontificis auctoritate, univerſam Eccleſiam revelatam in ſacris litteris a Deo doctrinam, publico atque ſolemni, quo inſignitus a Deo eſt, Magiſterio docentis; ſed de humana loquitur auctoritate, quam privati quidam ſcriptores obtinent, facta comparatione cum auctoritate divina, quam in Eccleſia Catholica obtinent Canonici ſacrarum litterarum Scriptores. Ex his autem nihil proficitur contra Romani Pontificis auctoritatem, qua fretus ſucceſsor Petri, in ſolemni judicio fidei definitivo ex Sancto Auguſtino errare minimè poteſt.

Ad ſecundum, & tertium dicendum, a primis naſcentis Eccleſiæ crepundiis duas contrarias ſententias, ambas abſonas abſurdaſque, in primævam Eccleſiam irrepſiſſe, quæ novos Chriſtianos, hinc ex Gentilibus, inde ex Judæis coeuntes, in contrarias partes diſtraxerant. Altera, quæ fuit Cerinthi, & Ebionis, docebat, retinendos ſervandoſque a novis Chriſtianis veteres ritus Moſaicos, tanquam ad æternam ſalutem adipiſcendam neceſſarios. In hac erant ſententia plures ex Judaiſmo Neophyti. Altera priori oppoſita, cui non pauci ex Gentilitate Neophyti aſsentiebantur, docebat, veteres ritus Moſaicos, tanquam penitus ſuperſtitioſos, vel ſuperſtitioſum Idolorum cultum non parum redolentes, prorſus abjiciendos, exſecrandoſque. Inter utramque falſam abſurdamque opinionem media incedebat vera ſententia Apoſtolica docens, veteres ritus Moſaycos a novis Chriſtianis neque retinendos ut neceſsarios, neque tunc rejiciendos tanquam ſuperſtitioſos, ſed tanquam medios indifferenteſque habendos, & in ea ætatula Eccleſiæ, quouſque adoleſceret, tolerandos:

Digitized by Google

randos: non repentino ictu ritus hujuſmodi præcidendos; ſed diſsuendos paulatim, donec ſenſim ſine ſenſu deficerent, ne Judæorum animi, Moſaicis ritibus addictiſſimi, intempeſtiva quadam ſeveritate, a ſuſcipienda Chriſtiana Religione prorſus alienarentur. Hinc factum eſt ut Paulus, etſi Doctor gentium, ad molliendos, deliniendoſque feroces Judæorum animos, Timotheum, hominem etſi jam Chriſtianum, circumcideret: (Act. cap. 6. v. 3.) Quod Auguſtinus expendens epiſt. 82. ad Hieronymum cap. 2. num. 12. tom. 2., *Timotheum*, inquit, *circumcidit propterea* Paulus, *ne Judæis, & maximè cognationi ejus maternæ ſic viderentur, qui ex gentibus in Chriſtum crediderant, deteſtari circumciſionem, ſicut Idololatria deteſtanda eſt .... Et Titum propterea* Paulus *non circumcidit, ne occaſionem daret eis, qui ſine illa circumciſione dicebant, credentes ſalvos eſſe non poſſe*. Præterea, ut exacerbatos ſibi Judæos deliniret, eoſque ad ſuſcipiendam Chriſtianam Religionem Apoſtolicæ caritatis illecebris Paulus alliceret, tum arbitratu ſuo & judicio, tum ex conſilio ſententiaque Jacobi, ceterorumque ſeniorum, qui Jeroſolymis aderant, veteres omnes ritus, luſtrationeſque Moſaicas, quæ Levitici cap. 6. in devovendis Nazaræis deſcribuntur, ſpectante univerſo populo Judæorum, in Jeroſolymitano templo uſurpavit ipſemet, explevitque. (Act. cap. 18. & cap. 21. v. 18.) Hac caritate animatus, hac benignitate affectus, hac lenitate præditus, *Factus ſum*, inquit 1. Cor. cap. 20., *Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: Iis qui ſub lege ſunt, tanquam ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: Iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. Habes hìc a prima ætate adoleſcentis Eccleſiæ, mitem, ſuavem, atque benignam adhibitam, uſurpatamque fuiſſe ab Apoſtolis diſciplinam in procuranda, pertractandaque converſione infidelium tum Gentilium, tum Judæorum. Hac verò indulgentia & benignitate

Digitized by Google

Apoſtoli inſtructi, intractabiles infidelium animos paulatim emolliebant, emollitoſque blandè ac ſuaviter Eccleſiæ Chriſti adjungebant. Uſu enim, atque optima rerum magiſtra experientia didicerant id, quod inexperti mera ratione, ſolaque mentis agitatione metientes, non aſſequuntur, atque hinc ſeveritatem magnopere inculcant: norant nimirum benignitatem, lenitatem, facilitatem de propaganda fide optimè ſemper fuiſſe meritas.

His prælibatis, cum Petrus Jeroſolymâ Antiochiam ſe contuliſſet, (Ad Galat. cap. 2.) familiariter utebatur novis ex Gentilitate Chriſtianis, quibuſcum communem habebat victum, eorumque frequens accubabat conviviis. Novi enim ex Gentilitate Chriſtiani nullum cibum aſpernabantur, Moſaica lege prohibitum. Contra vero novi ex Judaiſmo Chriſtiani, qui plurimi Jeroſolymæ verſabantur, maximè verò qui ex Phariſaica ſecta acceſſerant ad Eccleſiam, e quibus Cerinthiani hæretici prodierunt, veteres Moſaicos ritus una cum novis Chriſtianis inſtitutionibus, uſitata Phariſaicæ ſeveritatis oſtentatione ac venditatione, retinendos eſſe contendebant. Interea accidit, ut Jacobus minor Apoſtolus, qui Jeroſolymæ erat Epiſcopus, quoſdam primarios ex Judaiſmo Chriſtianos, neſcio quibus tranſigendis negotiis, Jeroſolymâ Antiochiam delegaverit. Quod ubi cognovit Petrus, a conſuetudine novorum ex Gentilitate Chriſtianorum protinus ſe ſe abduxit, atque ab eorum deinceps conviviis abſtinuit, ne, epulis Moſaica lege interdictis promiſcuè cum eis utendo, advenis ex Judaiſmo Neophytis offenſioni eſſet, & ne ſedatis non adhuc rixis, atque diſſidiis, hac ſuper re jam exortis, Gentiles inter atque Judæos Neophytos, novum ſuppeditare pabulum videretur. Hæc animadvertens Paulus libera voce Petrum palam reprehendit, quod, ea Phariſaicæ ſeveritatis ſimulatione, qua Barnabam, alioſque plurimos ex Judaiſmo Neophytos ad ſe imitandum adduxerat, occaſionem daret novis ex Gentilitate Chriſtianis exiſtimandi veteres Moſaicos ritus, ſi ſalvi eſſe vellent, una cum Chriſtianis inſtitutionibus ſibi neceſſariò ſervandos eſſe. At quorſum hæc? Profectò ut intelligatur, pec-

peccatum Petri, ſiquid hac in re Petrus peccavit, non ad erroneum dogma, ſed ad periculoſum exemplum; non ad falſam doctrinam, ſed ad pravam diſciplinam; non ad erroneam ſententiam, ſed ad imprudens conſilium pertinuiſſe, quo, importuna intempeſtivæ ſeveritatis ſimulatione, ad ſervandos veteres ritus Moſaicos, novos ex Gentilitate Chriſtianos, tacita exempli perſuaſione, compellere videbatur. Quod his verbis Paulus perſtrinxit, ad Gal. cap. 2. v. 14., *Si tu cum Judæus ſis, Gentiliter vivis, & non Judaicè; quomodo gentes cogis judaizare?* Paucis verbis ſic rem totam complectitur Auguſtinus epiſtola 82. ad Hieronymum cap. 2. num. 11. tom. 2., *Neque enim*, inquit, *negemus in hac ſententia fuiſſe jam Petrum, in qua & Paulus fuit. Non itaque tunc eum*, Petrum, *quid in ea re verum eſſet docebat* Paulus; *ſed ejus ſimulationem, qua gentes judaizare cogebantur, arguebat: non ob aliud, niſi quia ſic illa omnia ſimulatoria gerebantur, tanquam verum eſſet, quod illi*, Cerinthiani, *dicebant, qui ſine circumciſione præputii, atque aliis obſervationibus, quæ erant umbræ futurorum, putabant credentes ſalvos eſſe non poſſe.*

Venio nunc ad caput difficultatis, quæ putida, & jamdiu obſoleta calumnia eſt, jampridem a Porphyrio primùm excogitata, nunc autem a recentioribus hæreticis contra Petrum, ejuſdemque ſucceſſores Romanos Pontifices per ſummam impudentiam è tenebris præteritæ oblivionis educta, atque in lucem præſentis memoriæ revocata. Non nego Romanum Pontificem peccare poſſe; hoc tantùm nego, in ſolemni judicio fidei definitivo poſſe illum errare. Neque verò Romano Pontifici amplius aliquid tribuo, quàm fuerit a Chriſto Domino ipſi tributum in Petro. Immunitatem ſanè ab omni prorſus ſolemni errore, non a quovis humano peccato exemptionem Chriſtus Dominus promiſit Petro. Quod ſi contingeret, quod abſit, Romanum Pontificem, Religionis tuendæ ardore, exemplum de ſe præbere minus probandæ ſeveritatis, quo homines ſimplices atque rudes in errorem aliquem dogmati repugnantem inducerentur, factum hujuſmodi non

Digitized by Google

plus officeret Romani Pontificis auctoritati, quàm obſuerit auctoritati Petri ea reprobandæ ſeveritatis ſimulatio, qua novi ex Gentilitate Chriſtiani per errorem exiſtimabant, Petrum docere, veteres ritus Moſaicos ſibi neceſſariò ſervandos eſſe ad ſempiternam ſalutem adipiſcendam. Quamobrem intra deſcriptos a Chriſto Domino terminos auctoritatem Romani Pontificis, tanquam ex circumducto divinitùs vallo, propugnantes, cum Auguſtino affirmamus, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo errare nequaquam poſſe.

Ad quartum dicendum ex S. Auguſtino, Cyprianum cum Epiſcopis rebaptizantibus fermè 137., nec ſenſiſſe unquam, nec docuiſſe, Stephanum Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo de hæreticis non baptizandis erraſſe. Stephanus enim in ea, adeo periculoſa de baptizandis hæreticis, controverſia, ſumma qua præſtabat prudentia, nullum omnino protulit, nullumque promulgavit ſolemne judicium fidei definitivum, quod miſera illa periclitantis Eccleſiæ tempora non patiebantur. Sed merum purumque præceptum, quo dogma ipſum ſatis in tuto collocabatur, ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinens, ſub pœna excommunicationis, non latæ ſed ferendæ ſententiæ, Aſiaticis, Africaniſque Epiſcopis, ſin minus a rebaptizando deinceps ceſſarent, injunxit, ac denuntiavit. Teſtis eſt Cyprianus ipſe ad Pompejum Sabratenſem Epiſcopum Epiſtola 74., ubi merum de diſciplina decretum Stephani ad ſe perlatum his expreſſum verbis ſignificat, *Si quis ergò a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Hoc indictum injunctumque ſibi, ſuiſque præceptum a Stephano per hæc verba Cyprianus ibi teſtatur: *A quacumque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia* Stephanus *vetuit ..... Et præcepit, nihil aliud innovari, niſi quod traditum eſt*. Conſentit Cypriano Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. num. 31. tom. 9., qui ſuperiorem Cypriani ad Pompejum epiſtolam proferens, hæc de præcepto Stephani habet: *Ad Pompejum etiam ſcribit Cyprianus de hac eadem re, ubi apertè indicat, Stephanum, quem Romanæ*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verum etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe. Et ibidem de adjuncta præcepto pœna excommunicationis, ferendæ ſententiæ, cap. 35. num. 36., *Stephanus autem etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur*. Et rurſus Lib. de Unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. num. 23. tom. 9. *Cum Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt*. Teſtis eſt Euſebius Lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 11., qui, qua ratione Stephanus in dirimenda de baptizandis hæreticis controverſia ſe geſſerit, referens, *Nihil*, inquit, *novi*, *aut alieni a traditione, ex Apoſtolorum temporibus derivata, moliendum arbitratus*. Teſtes quoque ſunt Baſilius, Athanaſius, Epiphanius, Cyrillus Jeroſolymitanus, quibus celebriores Theologi ſuffragantur, conſulendi apud Thomaſinum in diſſert. de Conciliis pag. 48., qui uno ore, communique conſenſu agitatam Stephanum inter & Cyprianum de baptizandis hæreticis controverſiam appellant, *Quæſtionem diſciplinæ meræ, non fidei*. Itaque Cyprianus, eique conſentientes Epiſcopi fermè 137., nequaquam ſolemni judicio fidei definitivo, ſed præcepto operis prohibitivo; non conſtitutioni de dogmate, ſed decreto de diſciplina, Stephano Romano Pontifici repugnantes, obſtiterunt. Hæc autem non ſunt temeritate quadam ſimul permiſcenda, ſed diſcernenda ſapienter, cum ex altero non hæreticus, ſed inobediens; ex altero autem & inobediens, & hæreticus quis & dicatur, & fiat. Ob eam autem cauſſam Epiſcopi rebaptizantes Stephano pertinaciter, atque perfractè repugnarunt, quòd iniquo animo ferrent comminatam ſibi a Stephano excommunicationem, quam cadere in ſe minimè poſſe exiſtimabant; eo quia conſuetudinem redeuntes ad Eccleſiam hæreticos baptizandi non ad fixam, certam, conſtantem, & univerſalem; ſed ad variam, peculiarem, commutabilem, & arbitrariam diſciplinam Eccleſiæ pertinere arbitrabantur. Ex his autem

autem nulla prorſus conſecutione concluditur, Epiſcopos rebaptizantes ſenſiſſe, Romanum Pontificem in ſolemni judicio fidei definitivo, quod tunc nullum fuit, fore obnoxium errori.

Ad quintum dicendum, ſanctiſſimum Carthaginienſem Epiſcopum Cæcilianum ab Epiſcopis Donatianis, quorum dux Donatus Epiſcopus Numida a Caſis Nigris, nec de doctrina fidei, nec de doctrina morum, in quibus controverſiis Romanus Pontifex errare minimè poteſt, fuiſſe unquam in judicium vocatum. Objecta enim Cæciliano per ſummam calumniam a Donatianis crimina, non alia planè fuerunt, quàm malefacta quædam humana ſingularis hominis, atque privati: hujus, ſimiliſve generis & naturæ, videlicet, quod Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, ſæviente Diocletiani perſecutione, victum martyribus, qui in cuſtodia detinebantur, ſuppeditari prohibuerit: quod vanis falſorum numinum ſimulacris thus adoleverit: quod profanis idolorum cultoribus ſacros libros, focis ſacrilegis concremandos, tradiderit: quod Felix Aptungitanus, qui Cæcilianum Carthagine Epiſcopum conſecraverat, fuerit & ipſe ſacrorum codicum traditor. Jam verò Melchiades Romanus Pontifex in Concilio hac ſuper re, curante Conſtantino Auguſto, Romæ coacto, productis auditiſque hinc inde teſtibus de malefacto, recitatis Proconſularibus ſub Anulino actis, rebuſque in Africa geſtis, graſſante Diocletiani perſecutione, ſedulò ac diligenter diſcuſſis, innocentem Cæcilianum, reum atque calumniatorem Donatum a Caſis Nigris in Epiſcoporum conſeſſu pronuntiavit. Neque verò in hoc rerum geſtarum, humanorumque criminum judicio Melchiades erravit. Nihilo tamen minus in re meri, purique facti, in forenſi judicio criminis, ubi non controverſiarum fidei, ſed de malefactis perſonam Judicis ſuſtinebat Melchiades, errare eum potuiſſe ultro concedimus. Homo enim eſt in cauſſis hujuſmodi Romanus Pontifex, humani a ſe nihil alienum deputans. Quod ſi hac in re, ut fieri poterat, Melchiades erraſset, reſtabat adhuc ex Auguſtino plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi cum Melchiade ipſo, ceteriſque Epi-

Epiſcopis conſidentibus, diligentius, accuratius, pleniuſque eadem hominis, criminiſque cauſsa poterat iterum agitari; ut, ſi Melchiadem cum collegis Epiſcopis in cauſsa meri facti, non pertinentis ad fidem, perſpectum foret erraſse, lata ab eo contra Donatum pro Cæciliano ſententia reſcinderetur. Quæ cum ita ſint ex Auguſtinianis hujuſmodi monumentis, legitimam eſse a Romano Pontifice ad generale Concilium appellationem in cauſsa fidei, Romanumque Pontificem errare poſse in ſolemni judicio fidei definitivo, nulla ratione, nulla veriſimili, nulla probabili conjectura deducitur.

Ad ſextum dicendum, ea, quæ objecto loco contra Donatianos diſſerit Auguſtinus, propoſitam a nobis definitionem mirificè confirmare. Duo enim peccatorum genera ſpectat, attingitque ibi Auguſtinus. Peccata primi generis errores ſunt, qui ſanæ orthodoxæ fidei doctrinæ contradicunt: Peccata autem ſecundi generis, non errores repugnantes doctrinæ ſanæ, ſed malefacta ſunt, quæ ſanctis vitæ Chriſtianæ moribus adverſantur. At Chriſtus Dominus Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis, non a malefactis, quæ bonos mores corrumpunt, ſed ab erroribus, qui doctrinam Eccleſiæ contaminent, immunitatem, exemptionemque promiſit. Hinc ex Sancto Auguſtino, ut futuræ Chriſtiani populi tranquillitati, atque ſecuritati conſuleret Chriſtus Dominus, de malis præpoſitis ſic Eccleſiam admonuit, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite*. Hac de cauſſa docet ibi Auguſtinus, quod, ſi in Romanorum Pontificum ordine, atque ſerie, unus aliquis reperiretur, qui ſacros codices, perſecutionis tempore, flammis ſacrilegis tradidiſſet, teterrimum hoc ceteroquin Romani Pontificis facinus, cum, non Chriſtianæ fidei doctrinam laceſſat, ſed Chriſtianorum morum ſanctitatem violet, nequaquam ſtabilitati, firmitatique obeſſet Eccleſiæ. Præoccupat hic Auguſtinus ab ætatis ſuæ Donatianis calumniam tum primùm excogitatam, qui, ut contra majores ſuos primò a Melchiade latam, & mox confirmatam a Silveſtro ſententiam debilitarent, & enervarent, celeberrimam illam fabulam ediderunt, qua commenti ſunt, Marcellinum Romanum Pon-

tifi-

tincem, ejuſque tunc presbyteros, dein ſucceſſores, Marcellum, Melchiadem, Silveſtrum, ſæviente Diocletiani perſecutione, thus ſacrilegum Jovi adoleviſſe, ſacroſque codices ignibus tradidiſſe. Quibus Auguſtinus, cum non ad doctrinam, ſed ad mores criminatio pertineat, Lib. de Unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 16. num. 30. tom. 9. reſpondet, *Qualeſcumque fuerint Marcellinus, Marcellus, Melchiades, Silveſter, Menſurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro ſua diſſenſione quod volunt, nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ: nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.*

Ceterum rotundè negat Auguſtinus, quod a Petiliano, ceteriſque ætatis ſuæ Donatianis memoriâ recentiſſimâ de Marcellino, Marcello, Melchiade, Silveſtro tunc primùm fuerat excogitatum, atque evulgatum, ut, plures ſimul eodem adſtrictos ſcelere objiciendo, reum Melchiadem, quem in primis ſpectabant, etſi propter communem omnibus culpam impunitum, ſuaderent facilius. Audiatur S. Doctor commemorato Libro de Unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 16. num. 27. tom. 9.: *Quid ergò jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt* Petilianus, *objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silveſter traditionis codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: ſed numquid ideò etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit: Ego innocentes fuiſſe reſpondeo.* Itaque S. Auguſtinus anno 410., quo hæc litteris conſignabat, apertiſſimis verbis, liberrimaque voce negat objectam a Petiliano Marcellini, Marcelli, Melchiadis, & Silveſtri ſacrilegam thurificationem, & traditionem: additque, utramque criminationem veteratoris hominis *calumniam* eſſe; nec qualemcunque calumniam, ſed, quæ fidem omnem ſuperat, *incredibilem eſſe calumniam*; cùm ipſemet Petilianus, ut ibi diſſerit S. Doctor, nullo monumento, nulla teſtificatione, documento nullo, ne tenuiſſimo quidem auſus, conatuſve fuerit,

accu-

Digitized by Google

accuſationem ſuam confirmare; ac proindè *conviciatorem maledicum* Petilianum eſſe S. Doctor ibi concludit. Quamobrem multò magis, quàm fabulis Donatianis, exploratiſſimo, clariſſimoque Auguſtini de Marcellino, ejuſque ſucceſſoribus teſtimonio certa hominum fides debetur, cui & Theodoretus conſentit, qui Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. perhonorificum illud elogium de Marcellino poſteritati reliquit, dum ſcripſit, *Marcellinum perſecutionis tempore perclaruiſſe*: quod perinde ſe habet, ac Marcellinum, ſæviente Diocletiani perſecutione, Chriſtianæ fidei, fortitudinis, atque conſtantiæ, ut decebat Romanum Pontificem, ſplendidiſſimum de ſe ſpecimen atque exemplum exhibuiſſe.

Ad ſeptimum, & octavum dicendum ex S. Auguſtino, Zoſimum Romanum Pontificem nuſquam pro Pelagianis erroribus nec in ſolemni, nec in privato judicio fidei definitivo, quidquam contrarium doctrinæ Eccleſiæ docuiſſe. Jactabat ſanè Julianus Zoſimum ſenſiſſe primùm cum Pelagianis; mox mutata ſententia, non ſine inconſtantiæ nota, eoſdem ad extremum damnaſſe. Hanc autem calumniam S. Auguſtinus Libro 6. contra Julianum cap. 12. num. 37. tom. 10. his verbis refellit: *Quale eſt autem, quod beatæ memoriæ Zoſimum, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum, ut in tua pravitate perſiſtas, prævaricationis accuſas? Qui non receſſit a ſuo præceſſore Innocentio, quem tu nominare timuiſti, ſed maluiſti Zoſimum, quia egit primitùs lenius cum Cæleſtio: quoniam ſe in his ſenſibus veſtris, Si quid diſpliceret, paratum eſſe dixerat corrigi, & Innocentii litteris conſenſurum eſſe promiſerat*. Itaque vociferantibus Pelagianis, Zoſimum Romanum Pontificem a principio cum Cæleſtio negaſſe peccatum originale, de quo major erat coram Zoſimo diſceptatio, Auguſtinus apertiſſimis verbis reſpondet, ſolemne iſtud eſſe Pelagianum mendacium, *Tot enim & tantis*, inquit Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. num. 5. tom. 10., *inter Apoſtolicam Sedem, & Afros Epiſcopos currentibus, & recurrentibus ſcriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſſa apud illam Sedem Cæleſtio præſente & reſpondente confectis; quænam tandem Epiſtola*

venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci? Nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino ſcripſit. Et rurſus ad calcem ejuſdem numeri ſuſceptam Zoſimi defenſionem contra Pelagianas calumnias proſequens, *Nunc verò*, pergit Auguſtinus, *cum primitùs beatiſſimi Papæ Innocentii litteræ, Epiſcoporum litteris reſpondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur iſti ſuadere, damnaverint: ſucceſſor quoque ejus ſanctus Papa Zoſimus hoc tenendum eſſe, quod iſti de parvulis ſentiunt, nunquam dixerit, nunquam ſcripſerit; inſuper etiam Cæleſtium ſe purgare molientem ad conſentiendum ſupra dictis Sedis Apoſtolicæ litteris crebra interlocutione conſtrinxerit; profectò quidquid interea lenius actum eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis. Et quod ab eodem ſacerdote* Zoſimo *poſteà Cæleſtius & Pelagius repetita auctoritate damnati ſunt, paululum intermiſſæ, jam neceſſariò proferendæ ratio ſeveritatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis.* Cumulatiſſima ſanè, & numeris omnibus abſoluta, & expleta Zoſimi Romani Pontificis apud Auguſtinum defenſio, atque purgatio.

Nihilo tamen minus non negat Auguſtinus actum a Zoſimo cum Pelagio & Cæleſtio lenius atque clementius quàm ſeverior Eccleſiæ diſciplina poſtulabat. Cum enim præſtantiſſimis naturæ, doctrinæ, ingenii, atque eloquentiæ præſidiis Pelagius atque Cæleſtius inſtructi eſſent, ſapientiſſimus pariter atque mitiſſimus Pontifex lenitate, atque clementia devinciendos, conciliandoſque ſibi homines eſſe duxit, utpote qui revocati maximo Eccleſiæ adjumento; contra verò alienati detrimento maximo futuri ambo prævidebantur: *Illa ingenia*, inquit Auguſtinus Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. num. 5. tom. 10. de Pelagio & Cæleſtio, *quamvis nefando errore perverſa, non tamen contemtibilia, cum ſtudioſè corrigenda potius, quàm facilè damnanda viderentur, aliquanto lenius, quàm ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina,*

tra-

tractata ſunt. Ad hæc accedebat, Cæleſtium fidei ſuæ libellum, ſi quid in eo contra Eccleſiæ doctrinam peccatum eſſet, Zoſimo corrigendum exhibuiſſe, ùbi inſtrui ſe atque doceri de originali peccato, de quo nihil ſe temerè, aut pertinaciter affirmare, ſed dubitare dumtaxat profitebatur, a Zoſimo efflagitabat. Quin etiam Litteris Innocentii, quibus Pelagiani errores proſcripti erant, ſe conſentire reſpondit, atque ad illarum normam damnare ſe, quaſcumque abſurdas, abſonaſque ſententias, quæ nomine ſuo pervulgatæ latius manaverint. Poſtremò ea ipſa capitula, de quibus in Concilio Carthaginienſi a Paulino Diacono fuerat accuſatus, damnaturum ſe Zoſimo, hæc ab eo requirenti, data fide promiſit. Quod ad Pelagium pertinet, is fidei libello, & litteris, quas ad Apoſtolicam Sedem perferendas curaverat, adeò callidè, ſimulatis ſanæ doctrinæ coloribus, pinxerat ſententiam ſuam, ut formam ipſam, & tanquam faciem docentis Eccleſiæ cernere ſe quiſque in illis primò obtutu ſtatim exiſtimaret.

Sed, ne proprio, ut dicitur, Marte, atque ex mero libito, arbitratuque noſtro, quæ ſupra retulimus, tueri & aſſerere videamur, adſunt & præſto ſunt exploratiſſima teſtimonia, quibus, quæ propoſuimus, ſatis ſuperque confirmantur. De Fidei libello, quem emendandum Zoſimo, corrigendumque, ſimulata planè docilitate & obedientia, ſubjicere ſe Cæleſtius profitebatur, hæc Auguſtinus Lib. de Pecc. Orig. cap. 6. num. 7. tom. 10., *In eodem libello ſuo de hujuſmodi quæſtionibus locuturus* Cæleſtius, *ante prædixerat*, (verba Cæleſtii) *Si fortè ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſit, veſtra ſententia corrigatur*. Quod autem de peccato originali Cæleſtius dubitare ſe dumtaxat affirmaverit, atque inſtrui ſe velle hac ſuper re a Zoſimo ſignificaverit, teſtis eſt iterum Auguſtinus Lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 3. num. 5. tom. 10. hæc referens, *Sed cum hoc*, peccatum originale, *Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet inter illa dumtaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profectò ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non*

 fal-

falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus catholicus a Zoſimo *dictus eſt; quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere. Non enim hæreticis, ſed Catholicis loquebatur Apoſtolus* (Philip. 3. 5.) *ubi ait: Quotquot ergò perfecti, hoc ſapiamus; & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelabit.* Præterea S. Auguſtinus eodem Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonifacium Papam cap. 4. num. 6. tom. 10. narrat, Cæleſtium a Zoſimo coram Synodo interrogatum, utrum ea omnia damnaret, quæ ſibi objecta a Paulino Diacono fuerant in Concilio Carthaginienſi, quæque de ipſo fama celebri percrebuerant, reſpondiſſe, ſecundùm Innocentii ſententiam, talia in litteris ſuis proſcribentis, ea ipſa ſe ſe ultrò damnare: *Cum illi*, Cæleſtio, *a ſancto præceſſore tuo* Zoſimo *dictum eſſet*, inquit Auguſtinus, *Illa omnia damnas, quæ jactata ſunt de nomine tuo? Ipſe reſpondit, Damno ſecundùm ſententiam beatæ memoriæ præceſſoris tui Innocentii.* Quamobrem ſi verba Cæleſtii menti illius conſenſiſſent, nec exteriores voces interiori ſententiæ repugnaſſent, nihil a Cæleſtio amplius expetendum, deſiderandumve videbatur, quominus, ſibi objectum errorem vel admiſiſſe nunquam, vel repudiaſſe tandem aliquando judicaretur. At homo perfidus non ſtetit promiſſis, datam Zoſimo fidem, ſpemque omnem feſellit; arreptâque fugâ, judicio ultimo, ultimæque ſententiæ a Zoſimo mox proferendæ, uti contigit, ſe ſubduxit, atque proripuit: *Hoc in illo factum eſſe putabatur*, ut recta ſentiret, *quando ſe litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii*, inquit num. ſuperiore Auguſtinus, *quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire reſpondit. Et hoc, ut plenius & manifeſtius in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa Litteris, in qua Provincia ejus aliquantò calliditas evidentius innotuerat. Quæ Romam litteræ poſtquam venerunt, ... cum ejus præſentia poſceretur, ut certis ac dilucidis reſponſionibus, vel aſtutia hominis, vel correctio dilueſceret, & nulli ambigua remaneret, ſe ſubtraxit, & negavit examini.* Et infra ſub num. 6.

cap. 4.

Digitized by Google

cap. 4. *Proindè ſi objecta Paulini*, pergit Auguſtinus, *ſecundùm ſententiam beati Papæ Innocentii veraci corde atque ore damnaret, quid ei remaneret deinceps unde contenderet, nullum eſſe ex præterita primi hominis tranſgreſſione in parvulis vitium, quod per novæ regenerationis purificationem ſacro baptiſmate purgaretur? Sed illud ſe reſpondiſſe fallaciter noviſſimo exitu oſtendit, cum ſe ſubtraxit examini.*

Venio nunc ad Pelagium. Is litteris & libello fidei Innocentio quidem deſtinatis, ſed Zoſimo, e vivis ſublato Innocentio, redditis, catholicam ſanæ doctrinæ profeſſionem, verbis ad decipiendum compoſitis, exquiſitiſſimè ſimulaverat: *In his litteris*, inquit Auguſtinus Lib. de Gratia Chriſti cap. 30. num. 32. tom. 10., Pelagius *dicit, eſſe de quibus eum homines*, Heros & Lazarus, *infamare conantur: unum, quod neget parvulis baptiſmi ſacramentum; & abſque redemptione Chriſti aliquibus cælorum regna promittat: aliud, quod ita dicat, poſſe hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium; & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium*. Ad primam illatam ſibi, ut ait, calumniam, in libello fidei eodem faſciculo cum datis litteris colligato, apud Auguſtinum ibidem cap. 32. num. 35., hac fidei ſuæ profeſſione ſe purgat Pelagius: *Et baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus*, ideſt, in remiſſionem peccatorum, *quibus etiam in majoribus, dicimus eſſe celebrandum*. De hac obteſtatione Pelagii, commemorato Libro de Gratia Chriſti, Albinæ, Piniano, & Melaniæ nuncupato Auguſtinus, *Hoc certè & vos*, inquit, *& a præſente audiſſe dixiſtis; ſed quid prodeſt, quod eiſdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus celebrari dicit Baptiſmi ſacramentum, cum res a nobis, non ſola verba quærantur? Plus eſt, quod vobis, ore proprio interrogantibus* Pelagius *reſpondit, uti ſcribitis, Infantes in remiſſionem peccatorum percipere baptiſmum. Non enim & hìc dixit, In verbis remiſſionis peccatorum, ſed eos baptizari in ipſam remiſſionem confeſſus eſt*. Hanc de peccato originali ſatis apertam confeſſionem Pelagii proximo cap. 33. num. 36. S. Auguſtinus

ex-

expendens, in hanc ſtatim admirationem erumpit, *Quis crederet ſub hac quaſi manifeſta confeſſione ſenſum latere contrarium!* Habes hic Eccleſiæ Africanæ, quin & Romanæ totius conſuetudinem adminiſtrandi baptiſmum tum adultis, tum parvulis ſub hac ſimilive formula: *Ego te baptizo N. N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in remiſſionem peccatorum*. Uſus hujuſmodi ſatis apertè conſtat, tum ex ſuperioribus S. Auguſtini verbis, tum ex Canone 11. Concilii Africani, Milevitano 11. perperam adſcripto, anno 418. Kal. Majis Carthagine celebrati, ubi ſic: *Quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde ſit conſequens, ut in eis FORMA BAPTISMATIS, in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur; anathema ſit*. Præterea ex Gelaſio Papa epiſt. 7. ad omnes Epiſcopos per Picenum, relata tom. v. Concil. edit. Max. Venetæ pag. 304. Lit. C. ubi de remiſſione peccatorum veracibus verbis in baptiſmo parvulorum expreſſa hæc habentur: *De parvulis autem, quod aſſerit ſine ſacro baptiſmate pro ſolo originali peccato non poſſe damnari, ſatis impia, ſatis profana propoſitio eſt: quamvis enim recentes ab utero matrum in remiſſionem peccatorum baptizari nullus Chriſtianus ignorat, ſed utique non fallaciter, ſed veraciter catholica celebrat Eccleſia, ne in ſacramentis cæleſtibus (quod abſit) mentita videatur; proinde quia propria non habeant ulla peccata, conſtat eis ſola prorſus originalia relaxari*.

Ad alteram tributam ſibi præter jus faſque hæreſis notam, ut in litteris & fidei libello Innocentio inſcriptis, & Zoſimo redditis, lamentatur Pelagius, multus atque copioſus eo loco eſt in prædicanda neceſſitate divinæ gratiæ ad omnes & ſingulos actus ſalutares, verbis quidem ſatis, ut ſonant, apertis atque perſpicuis, ſed mente animoque, quorum judicium penes Deum unum eſt, prorſus alienis, & repugnantibus. Jam verò Pelagius ipſe audiatur apud Auguſtinum Lib. de Gratia Chriſti cap. 31. & ſequentibus tom. 10., ubi fragmenta quædam

dam ex litteris atque libello vaſri veteratoris decerpta reci-tantur. Verba Pelagii: *Ecce apud beatitudinem tuam epi-ſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpliciter ad peccan-dum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium ha-bere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adju-vatur ſemper auxilio.... Legant illam epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum Epiſcopum ante duodecim fermè an-nos ſcripſimus, quæ trecentis fortè verſibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur, noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo..... Legant etiam ad ſanctum Conſtan-tium Epiſcopum, ubi, breviter quidem, ſed planè libero ho-minis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi.... Legant etiam, quam ad ſacram Chriſti virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei ſemper gratiæ addamus auxilium.... Le-gant etiam recens meum opuſculum, quod pro libero nuper ar-bitrio edere compulſi ſumus; & agnoſcent quàm iniquè nos ne-gatione gratiæ infamare geſtierint, qui, per totum penè ipſius textum operis, perfectè atque integrè & liberum arbitrium con-fitemur, & Gratiam*. Poſtremò in Libello fidei litteris ſuis adjuncto, quæ omnia recitata ſunt coram Zoſimo in Synodo apud Baſilicam S. Clementis contracta, & celebrata, *Libe-rum*, inquit, *ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indi-gere Dei ſemper auxilio*. Hactenus Pelagius.

Jam verò S. Auguſtinus Pelagianorum dogmatum peritiſ-ſimus, atque in perſcrutandis Pelagianis latebris, detegendiſ-que fraudibus verſatiſſimus, Pelagii, atque Cæleſtii ſenten-tiis, quæ in Romana Synodo fuerant coram Zoſimo recitatæ, ſedulò meditatis, atque ad trutinam rigidiorem expenſis, af-firmare non dubitavit, ita omnia fuiſſe ſimulata, & ambigua, ut benigniorem interpretationem, ſinceramque doctrinam prorſus reſpuere non viderentur. Hinc Lib. de Pecc. Orig. cap. 1. num. 1. tom. 10. cautos facit Albinam, Pinianum, at-que Melaniam, ne faciles aures præbeant Cæleſtio, in pri-miſque Pelagio, qui in libello fidei Zoſimo exhibito, tam be-nè ſimulat ſinceram de peccato originali Eccleſiæ doctrinam,
ut

Digitized by Google

ut non niſi per ſummam calumniam in quæſtionem eum vocare hac ſuper re quiſpiam poſſe videatur. *Jam nunc diligenter advertite*, inquit commemorato loco Auguſtinus, *de baptiſmate parvulorum quàm cautè debeatis audire homines ejuſmodi .... Nempè ipſi a Pelagio vos præſente ſcripſiſtis audiiſſe, recitante vobis de libello ſuo, quem etiam Romam ſe miſiſſe aſſerebat, quod, iiſdem ſacramenti verbis dicant* Pelagius & Cæleſtius *debere baptizari infantes; quibus & majores*, ideſt, in remiſſionem peccatorum. *Quis poſt illa verba putaret, eis de hac re ullam movendam eſſe quæſtionem? Aut cum faceret, cui non calumnioſiſſimus videretur, ſi non eorum manifeſta verba* aliundè *legerentur?* Et eodem libro cap. 18. num. 20. expendens Pelagii litteras Zoſimo redditas, ubi agitur de peccato originali, *Videte*, inquit; *latebras ambiguitatis, falſitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati; itaut etiam nos cum primùm ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus. Sed latiores diſputationes ejus in libris, ubi ſe quantumlibet operiat, plerumque aperire compellitur, fecerunt nobis & iſta ſuſpecta, ut attentius intuentes inveniremus ambigua*. Et rurſus eodem Lib. cap. 21. num. 23. de ambiguis Pelagii verbis in Romana Synodo recitatis, quibus peccatum originale, ſecundùm exteriorem verborum corticem, affirmare videbatur, *Itaque & iſta ejus verba*, inquit, *Romam pro magna ejus purgatione tranſmiſſa tam ſunt ambigua, ut poſſint eorum dogmati præbere latibula, unde ad inſidiandum proſiliat hæreticus ſenſus*. At quamvis verbis ad decipiendum compoſitis, quibus Zoſimo fucum faceret, conſentanea doctrinæ Eccleſiæ de originali peccato prædicare Pelagius videretur, tamen ex S. Auguſtino Apoſtolicam Petri Sedem, quam Zoſimus tunc tenebat, uſque ad ultimum fidei judicium definitivum, quo a Zoſimo damnatus eſt, fallere non prævaluit: *Viſus eſt tamen ad tempus*, inquit de Pelagio Auguſtinus ibidem num. 24, *aliquid dicere, quod fidei catholicæ conveniret: ſed illam Sedem uſque in finem fallere non prævaluit. Poſt reſcripta quippe Africani Concilii .... alia quoque ipſius in urbe Roma .... prolata patuerunt, quæ litteris ſuis, quas*

con-

Digitized by Google

conſcripſit, per orbem Catholicum perferendas, Papa Zoſimus exſecranda ..... adtexuit. Sed de Pelagiana originalis peccati profeſſione, Zoſimo in Romana Synodo exhibita, hæc ex Sancto Auguſtino dicta ſint ſatis.

Quod ad alteram partem pertinet de ſubdolè ſimulata a Pelagio ſincera profeſſione divinæ gratiæ in litteris, & Libello fidei coram Zoſimo, totaque Romana Synodo productis, & recitatis, S. Auguſtinus ad illa Pelagii verba, *Legant etiam* epiſtolam, *quam ad ſacram Chriſti virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus*, hæc habet Lib. de Gratia Chriſti cap. 37. num. 40. tom. 10. *Iſtam ſanè* epiſtolam *legi*, *mihique penè perſuaſerat*, *hanc illum gratiam*, *de qua quæſtio eſt*, *confiteri*: *quamvis in multis ejus opuſculi locis ſibi ipſe contradicere videretur*: *ſed cum in manus meas & alia veniſſent*, *quæ poſterius latiuſque conſcripſit*, *vidi quemadmodum potuerit etiam illìc gratiam nominare*, *ſub ambigua generalitate quid ſentiret abſcondens*, *gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam*, *offenſionemque declinans*. Rurſus ad illa alia Pelagii verba ad cauſſæ ſuæ defenſionem in Romana Synodo recitata, *Legant etiam recens meum opuſculum*, *quod pro libero nuper arbitrio edere compulſi ſumus*, S. Auguſtinus Lib. de Gratia Chriſti cap. 41. num. 45. tom. 10. hanc adhibet animadverſionem: *In his etiam quatuor libris quæcumque pro gratia videtur dicere* Pelagius, *qua juvamur*, *ut declinemus a malo*, *bonumque faciamus*, *ita dicit*, *ut nullo modo a verborum ambiguitate diſcedat*. Nec dubitandum eſt, quin Cæleſtius Pelagii diſcipulus, qui præſens aderat, ſingulas ſententias ſuas in fidei Libello exhibitas ſingulis Pelagii ſententiis in Synodo recitandis, conſentanea prorſus interpretatione, aptiſſimaque explicatione adaptaverit, omniaque inter ſe conſenſura præparaverit: Quod non ineptè eruitur ex illis Zoſimi verbis epiſt. 3. ad Epiſcopos Africæ num. 2. pag. apud Couſtant 949. *Litteras quoque ſuas idem Pelagius*, *purgationem continentes*, *abundantiſſimè miſit*, *quibus & profeſſionis ſuæ fidem*, *quid ſequeretur*, *quidve damnaret*, *ſine aliquo fuco*, *ut ceſſarent totius interpretationis inſidiæ*, *cumulavit*. *Harum recitatio publica*

fuit: omnia quidem paria & eodem ſenſu, ſententiiſque formata, quæ Cæleſtius ante protulerat, continebant.

Ad ceteras autem fallacias, quibus Zoſimo illudebatur, accedebant litteræ commendatitiæ Praylii Epiſcopi Jeroſolymitani, qui patrocinium Pelagii apud Apoſtolicam Sedem ſuſceperat, teſte ipſomet Zoſimo Epiſt. 3. ad Epiſcopos Africæ num. 2. pag. apud Couſtant 949. cujus hæc verba ſunt, *Ecce epiſtolam Jeroſolymitani Epiſcopi Praylii, qui in locum quondam ſancti Joannis Epiſcopus eſt ordinatus, accepimus; qui cauſſæ Pelagii enixius adſtipulator intervenit.* Litteras haſce commendatitias Pelagius a Praylio, quem celando errores ſuos, non ſecus atque in Jeroſolymitana, & Dioſpolitana Synodo præceſſorem Praylii Joannem, deceperat, facilè impetravit, quas Pelagius una cum ſuffragantibus ſibi Dioſpolitanis geſtis, litteriſque ſuis, atque Libello fidei, Romam tranſmiſit. At verò ubi Praylius callidi veteratoris errores in Antiochena Synodo ſub Theodoto celebrata compertos habuit, e veſtigio ab Jeroſolymitana Eccleſia deturbavit Pelagium, datiſque litteris, ea de re ſucceſſorem Zoſimi certiorem fecit. De his Marius Mercator altero commonitorio, Theodoſio Auguſto Anno 429. exhibito, hæc habet, *Adhuc etiam Jeroſolymis conſtitutus Pelagius accuſatus fuit apud Synodum* Dioſpolitanam. *Et primò quidem tergiverſando, ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens, & proſequens dubia vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum audientiam deluſiſſe. Sed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus, a poſteriore Synodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus, atque detectus, a ſanctis quoque ac venerabilibus Jeroſolymorum locis eſt deturbatus, ejuſdemque ſancti Theodoti ad reverendiſſimum urbis Romæ Epiſcopum, & ſanctæ recordationis Praylii Jeroſolymitani Epiſcopi miſſa ſcripta teſtantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.*

Poſtremò ad Pelagii, atque Cæleſtii innocentiam ab invidorum, ut jactabatur, calumniis vindicandam, maximo adjumento erat peſſima apud Zoſimum opinio Herotis

Are-

Digitized by Google

Arelatenſis, & Lazari Aquenſis Epiſcopi, acerrimorum hoſtium hæreſis Pelagianæ; quorum opera Pelagius apud Palæſtinos Epiſcopos ſub Evagrio Cæſarienſi in Dioſpolitana Synodo in judicium vocatus fuerat, iiſdemque accuſatoribus, Pelagius atque Cæleſtius in Synodo Carthaginienſi a Patribus octo & ſexaginta, auditis utriuſque Epiſcopi Litteris, ab Oroſio Presbytero in Africam e Palæſtina perlatis, damnati fuerant. Præter Pelagium, atque Cæleſtium ſatis infenſus erat Heroti, & Lazaro, Gallis Epiſcopis, etſi bona fide & deceptus Joannes Jeroſolymitanus Epiſcopus, cui ſucceſſerat & bona de Pelagio & Cæleſtio, & mala de Herote & Lazaro opinione Praylius. Profectò Auguſtinus Lib. de Geſtis Pelagii cap. 16. num. 39. tom. 10. de Joanne Jeroſolymitano Herotis; & Lazari obtrectatore hæc habet: *Quidquid dixit Epiſcopus Joannes de abſentibus fratribus noſtris, ſive de coepiſcopis Herote, & Lazaro, ... credo quod* Pelagius *intelligat, ad eorum præjudicium non valere*. Sed acerbiſſimus omnium adverſarius erat Herotis & Lazari Patroclus, qui, pulſo per vim & fraudem Herote, Arelatenſem Sedem invaſerat: &, Romæ ſub Zoſimo cùm verſaretur, criminibus falſis, iiſque teterrimis, ut uſurpatam Sedem retineret, in ſummum odium, maximamque invidiam ſanctiſſimos Præſules, Herotem & Lazarum, apud Zoſimum, ſatis facilem credulumque nimis, adduxerat. Patroclus verò propter honeſtiſſimam, quam præſeferebat, pietatis, religionis, prudentiæ, ac probitatis ſpeciem, fiebat plurimi a Zoſimo, cujus gratia mirificè potiebatur, certamque fidem apud Zoſimum dictis ſuis obtinebat, quanquam moribus tam depravatis, vitaque adeo perdita, inſcio tamen Zoſimo, eſſet, ut, teſte Proſpero in Chronico ad annum Chriſti 412., *infami mercatu ſacerdotia venditare* non vereretur.

Crimina autem calumnioſè & injuſtè Heroti & Lazaro, præcipuis Pelagii Cæleſtiique accuſatoribus, attributa, quibus omnis prorſus auctoritas atque fides duobus teſtibus, tanquam hominibus flagitioſiſſimis, apud Zoſimum penitus adimebatur, fuerunt ea, quæ ſequuntur: I., quod ſibi illegitimè,

mè, populo Cleroque contradicente, contra Eccleſiæ regulas & ſtatuta, Epiſcopales Sedes in Gallia vindicaſſent; & hac de cauſſa a Clero & populo pulſos e Sedibus ſuis fuiſſe, quas ipſimet, ſtimulis conſcientiæ agitati, ultrò vacuas deſeruerunt. II., quod Lazarus Aquenſis fingendis, contexendiſque calumniis contra probos, pioſque viros uſu diuturno fuerit aſſuetus; & hinc a Proculo Maſſilienſi, tanquam iniquiſſimum S. Britii Turonenſis Epiſcopi calumniatorem, in Taurinenſi Synodo fuiſſe damnatum. III., quod perduellionis comitem, & adjutorem ſe ſe adjunxerit Conſtantino Tyranno, cujus patrocinio atque præſidio fretus, Aquenſis Epiſcopus fuerit renuntiatus. IV., quod auctor atque ſuaſor fuerit cædis Vereniani, & Didymii, propinquorum Honorii Auguſti, quos Conſtantinus Tyrannus, hortatore Lazaro, juſſerit jugulari; atque hac etiam de cauſſa Lazarum ab Aquenſi Sede fuiſſe dejectum. V., iiſdem, ſimilibuſve criminibus atque flagitiis cum collega ſuo Lazaro Aquenſi Herotem Arelatenſem fuiſſe obſtrictum atque contaminatum; eademque multatum pœna de Epiſcopali gradu fuiſſe dejectum: *De Herote verò*, inquit Zoſimus ex iis, quæ a Patroclo audiverat, epiſt. 3. ad Epiſcopos Africæ num. 3. pag. apud Couſtant 951., *omnia ſimilia* cum Lazaro, *idem Tyrannus patronus, cædes, turbæ, presbyterorum contradicentium vincula, & cuſtodiæ, & totius Civitatis addictio, ſimilis pœnitentia de abdicatione Sacerdotii*.

Quod autem ad Herotem & Lazarum, quatenus accuſatorum perſonam in Pelagiana cauſſa ſuſtinendam ſuſceperant, potiſſimum pertinet, interrogatus Cæleſtius a Zoſimo, coram Synodo in Baſilica S. Clementis contracta, de accuſatoribus ſuis Herote & Lazaro, reſpondit, *Nullum ſibi de talibus contentionibus unquam cum antedictis fuiſſe ſermonem: nec ante ſibi, quàm de ſe ſcriberent, viſu fuiſſe compertos: Lazarum ſanè in tranſitu cognitum; Herotem verò, etiam ſatisfactione interpoſita, quòd ſecus de ſe ignoto & abſente ſenſiſſet, cum gratia ſecum reſtaurata receſſiſſe.* Hæc Zoſimus Epiſt. 2. ad Epiſcopos Africæ de cauſſa Cæleſtii num. 4. pag. apud Couſtant 945. Præterea perſuaſum Zoſimo fuerat ab Herotis & Laza-

Digitized by Google

Lazari adverſariis, neutrum Dioſpolitanæ Synodo, ubi Pelagium in judicium de Religione vocaverant, accuſatorem vel teſtem, uti facto opus erat, ob ſimulatam fallaciter gravem unius ægritudinem, adfuiſſe. Rurſus, datis dumtaxat litteris ad Patres Concilii Carthaginienſis, quæ non ſatis idoneum ſunt in re graviſſima teſtimonium, abſentes, ſibique timentes, ambos Pelagianam accuſationem proſecutos procul fuiſſe: cumque compertum utrique eſſet, Africanos Patres Pelágianam cauſſam ad Sedem Apoſtolicam relaturos, profectò Romam, uti fieri oportebat, navigaſſent ambo, niſi confictas a ſe calumnias Romæ patefactum iri veriti eſſent. Singula hæc, falſis etſi veriſimilibus rumoribus de Herote atque Lazaro conteſtabantur, quibus tanquam certiſſimis nuntiis, plurimorum fraudibus circumventus, fidem præſtiterat Zoſimus, natura minimè ſuſpicioſus: quod ſuis ad Africæ Epiſcopos litteris ſatis apertè ſignificat per hæc verba: *Ad litteras Herotis & Lazari*, Epiſtola 2. ad Epiſcopos Africæ num. 4. pag. apud Couſtant 945., *priori relatione deſtinatas, equidem ob fervorem fidei, præfeſtinatum eſſe promptiſſimum eſt. ..... Tam caduco, & nullo fundamine criminationis ignotæ, procul dubio e re fuit, ut perſona talium, quæ tam ventoſa, & levis extiterat, quæreretur, ſi ſaltem illis loci ſui ratio vitæque conſtaret, ut fides abſentibus in abſentes debuerit adhiberi, tantumque pondus in litteris eorum, ut auctoritatem teſtimonii mererentur*. Et epiſtola 3. ad eoſdem Africæ Epiſcopos num. 7. pag. apud Couſtant 954. *Grave fuit Heroti & Lazaro*, inquit, *litterarum ſuarum pediſſequos eſſe. An neſciebant, dilectionem veſtram ad Sedem Apoſtolicam relaturam? Huc certò calumniæ compendio navigaſſent. Ubi de epiſcopatu ambiendo agitur, maria terraſque luſtrant, nec ulla ſuffragia prætermittunt. Ubi verò innocentium fama* (Pelagii &Cæleſtii) *percellitur* (in Synodo Dioſpolitana) *otioſi & delicati ſive accuſatores ſive teſtes, ... in cubilibus & lectulis ſuis* (morbum ſimulantes) *litteris abutuntur; & totam Africam, univerſumque tranquillum catholicæ ſerenitatis innubilant ad libidines ſuas duæ peſtes*.

Ex

Ex his habes, Zoſimum Romanum Pontificem, ſi quid a principio in Pelagiana & Cæleſtiana cauſſa Romæ agitata peccavit, in eo peccaſſe, quòd, cum natura & ingenio ſuo bonus vir eſſet, ſimplex, ſincerus, apertus, tantam malitiam, verſutiam, calliditatem, quanta ad extremum patefacta eſt, in Pelagio, Cæleſtio, Patroclo, ceteriſque Pelagianorum fautoribus, qui Romam plurimi tunc convolaverant, ſuſpicari minimè valuit. At vero bonis, ſimplicibuſque viris vertenda vitio non eſt ignota ſibi vafrorum calliditas: quod præclarè admonet hìc Facundus Afer, Hermianenſis Epiſcopus Lib. 7. cap. 3., qui altero ab Auguſtini ſæculo, ſexto videlicet, floruit, cujus præclara hæc verba ſunt, *Invenient etiam Pelagium hæreſiarcham, a quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæſtinorum Epiſcoporum, quæ contra Chriſti gratiam ſentiebat operientem, pravaſque ſententias ſuas verſutiâ interpretantem, per eandem ignorantiam abſolutum: Invenient poſtremò beatum quoque Zoſimum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, contra Sancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Cæleſtii, quem in Eccleſia Carthaginienſi convictum, atque appellantem Apoſtolicam Sedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram, & Catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm, necdum ipſis Africanis Epiſcopis dolos eorum multò manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium putaret orthodoxos. Et tamen .... nec illos Palæſtinos Epiſcopos, & Zoſimum hæreticos credit Eccleſia, quia de hæreticis benè ſenſerunt; ſed potius pro merito ſuæ fidei Catholicos judicat, & honorat: Quoniam NON DEBET CRIMINI DEPUTARI SIMPLICIUM NON INTELLECTA VERSUTIA MALIGNORUM.*

Duo hìc inter ſe concilianda nobis occurrunt, quæ primo adſpectu diſſidere mutuò, atque pugnare videntur. Zoſimus ex Facundo nunc recitato, *contra Sancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam* in Pelagiana & Cæleſtiana cauſſa ſe geſſit. Contra vero ex Sancto Auguſtino Lib. 6. contra Julianum cap. 12.

cap. 12. num. 37. tom. 10. Zoſimus in eadem cauſſa *non receſſit a præceſſore ſuo Innocentio*. Jam verò Facundus & Auguſtinus ſic inter ſe conciliantur. Zoſimus ex S. Auguſtino in eo potiſſimum ab Innocentio præceſſore ſuo non receſſit, quod nullum unquam ex Pelagianis Cæleſtianiſque erroribus, damnatis ab Innocentio, ulla ratione probavit. Nam Lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. & 4. num. 5. & 6. tom. 10. affirmat, in Pelagiana & Cæleſtiana cauſſa Romæ apud Zoſimum agitata: *Servatam a Zoſimo antiquiſſimæ, ac robuſtiſſimæ fidei firmitatem*, utpotè qui *nuſquam prorſus dixit*, *nuſquam omninò ſcripſit*, *ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci*; quinimo Cæleſtium adegit, *ut beati Papæ Innocentii litteris ſe conſentire profiteretur*, *quibus litteris de hac re dubitatio tota ſublata eſt*. Ex altera verò parte Zoſimus ex Facundo, in eo *contra Sancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam* ſe geſſit, quod Pelagii atque Cæleſtii fidem, quam Innocentius falſam & hæreticam declaravit, Zoſimus tanquam veram & Catholicam laudaverit: quodque Pelagium, atque Cæleſtium, quos Innocentius judicavit hæreticos, Zoſimus reputaverit orthodoxos. At vero hæc inter ſe mutuo nequaquam pugnant. Innocentius falſam, & hæreticam declaravit fidem Pelagii & Cæleſtii, eoſque judicavit hæreticos: quòd negarent, *Nos adjutorio indigere divino*, *quaſi ex noſtra in totum poſſibilitate perfectos*. Innoc. ad PP. Carthag. epiſt. inter Auguſt. 181. num. 4. tom. 2.: quòd *negantes auxilium Dei*, dicerent, *hominem ſibi poſſe ſufficere*, *nec gratia hunc egere divina*. Innoc. ad PP. Milevit. epiſt. inter Auguſt. 182. num. 3. tom. 2.: quòd prædicarent, *Parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis Gratia poſſe donari*..... quibus *nihil volunt officere, non renaſci*. Ibidem num. 5.

Contra verò Zoſimus novis atque diverſis ab iis, quas in Pelagio & Cæleſtio damnaverat Innocentius, vocibus, ſatis de ſe Catholicis, atque ad faciendam fidem idoneis, innixus, tanquam veram, & Catholicam fidem utriuſque laudavit, eoſque orthodoxos eſſe arbitratus eſt: quòd contra primum errorem ab Innocentio damnatum in Libello fidei, miſſo quidem ad

Inno-

Digitized by Google

Innocentium, Zoſimo autem reddito, ſcripſerit in ſui purgationem Pelagius, *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei ſemper auxilio*: quòd in Libello eodem contra errorem alterum ab Innocentio proſcriptum affirmaverit, *Baptiſmum unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis*, in remiſſionem ſcilicet peccatorum, *in infantibus, quibus etiam in majoribus aſſerimus eſſe celebrandum*: quòd litteris ad Innocentium datis, Zoſimo autem redditis, denuntiaverit, *Eſſe de quibus eum homines infamare conantur: Unum, quòd neget parvulis baptiſmi ſacramentum; & abſque redemptione Chriſti aliquibus*, ideſt, parvulis, *cælorum regna promittat: Aliud, quòd ita dicat poſſe hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium; & in tantùm libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium*. Hanc autem profeſſionem fidei a Pelagio conſcriptam, & coram Zoſimo in Synodo recitatam, Auguſtinus Lib. de Peccat. Orig. cap. 21. num. 24. tom. 10. ſubtilius ac diligentius diſcutiens, de Pelagio hìc affirmare non dubitavit, *Viſus eſt ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conveniret*: quòd Cæleſtius Zoſimo interroganti, *Illa omnia damnas, quæ jactata ſunt de nomine tuo?* reſponderit, *Damno ſecundùm ſententiam beatæ memoriæ præceſſoris tui Innocentii*: apud Auguſtinum Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 4. num. 6. tom. 10.: quòd in fidei ſuæ libello, Innocentio quidem inſcripto, ſed Zoſimo, qui Innocentio ſucceſſerat, ab Cæleſtio exhibito, his verbis apprimè catholicis Romanum Pontificem præfatus fuerit, *Si forte, ut hominibus, quiſpiam ignorantiæ error obrepſit, veſtra ſententia corrigatur*: quòd in Libello eodem affirmaverit, *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundùm regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur*: apud Auguſtinum Lib. de Peccat. Orig. cap. 5. & 6. num. 5. & 7. tom. 10.

Scrupulus unus reſtat, qui de via, quam in Pelagiana & Cæleſtiana cauſſa Zoſimus preſſit, tollendus eſt, ut inoffenſo pede ad calcem ſuſceptæ defenſionis Zoſimi perveniamus. S. Auguſtinus Serm. 131. cap. 10. num. 10. habito ad Menſam

S. Cy-

Digitized by Google

S. Cypriani Martyris, VIIII. Kal. Octob., ideſt, 23. Septembris, quæ incidit in diem Dominicam, anno 417., coram frequenti adſtantis populi multitudine teſtatus eſt, *Jam de hac cauſſa*, Pelagiana & Cæleſtiana, *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam*, Carthaginienſe ſcilicet & Milevitanum ad Innocentium: *Inde etiam*, ab Innocentio, *reſcripta venerunt*: *CAUSSA FINITA EST*. Jam verò, ſi ex S. Auguſtino, ſedente Innocentio, Pelagiana & Cæleſtiana cauſſa finita eſt, videtur Zoſimus Innocentii ſucceſſor temerè atque illegitimè, cauſſam jamdudum finitam in integrum revocaſſe, inſtauratamque iterum pertractaſſe. Ad hæc in promptu reſponſio eſt. Sedente Innocentio, Pelagianam & Cæleſtianam cauſſam ex S. Auguſtino finitam ea parte fuiſse affirmo, quæ pertinebat ad damnationem errorum: nego verò ex altera parte finitam, quæ perſonarum damnationem ſpectabat. Reſcripſerat Carthaginienſibus Patribus Innocentius Epiſt. inter Auguſtinianas 181. num. 9. tom. 2. de damnatis a ſe Pelagio & Cæleſtio, *Veris ſe ſanandos conſiliis tribuant, atque ſubmittant*: *Quod ſi fecerint, erit in poteſtate Pontificum, iſtis aliquatenus ſubvenire*; *& talibus aliquam curam præſtare vulneribus, quam ſolet lapſis, cum reſipuerint, Eccleſia non negare*; *ut a ſuis revocati præcipitiis, intra ovile Domini rediganṭur*. Ad Patres vero Milevitanos Epiſt. inter Auguſtinianas 182. num. 6. tom. 2. hæc Innocentius ſignificat, *Quare Pelagium Cæleſtiumque..... Eccleſiaſtica communione privari, Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de diaboli laqueis, ... eoſque interim Dominico ovili non recipi*. Et rurſus ibidem ſub num. 7. *Jubemus ſanè, ... ſi unquam ad ſanum, depoſito pravi dogmatis errore*, Pelagius atque Cæleſtius *reſipuerint*; *damnarintque ea, quorum ſeipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitam, ideſt, receptaculum ſuum ab Eccleſia non negari*. Poſtremò ad quinque ſe conſulentes Epiſcopos epiſtola inter Auguſtinianas 183. num. 4. tom. 2. hæc de Pelagio Innocentius conſtituit, *Qui ſi confidit, novitque, non ſe noſtra dignum eſſe damnatione, quòd dicat, jam totum hoc ſe refutaſſe, quod*

 dixe-

dixerat, *non a nobis* ad Urbem *accerſiri*, *ſed ipſe debet potius feſtinare*, *ut poſſit abſolvi* .... *Non deerit cura*, *ſi medicinæ præbeat ille materiam* . *Poteſt enim damnare*, *quæ ſenſerat*; *ac datis litteris*, *erroris ſui*, *ut regreſſum ad nos decet*, *veniam poſtulare*. Itaque Innocentius Pelagio, & Cæleſtio revocandi purgandique ſe locum minimè occluſit: Quod vel facto ipſo demonſtratur. Nam Pelagianis, Cæleſtianiſque erroribus ab Innocentio damnatis, Pelagius datis ad ipſummet Innocentium litteris ac Libello fidei, Cæleſtius vero Romam ad eundem Innocentium profectus, ea poteſtate, quam utrique fecerat Innocentius, damnata dogmata a ſe propulſandi, uterque apud Zoſimum, demortuo Innocentio, uſus eſt. Quamobrem Zoſimus non ſanè finitam ab Innocentio cauſſam de erroribus; ſed pendentem adhuc de errantibus cauſſam ultimo terminandam judicio ſuſcepit, quam felici, fauſtoque ſucceſſu ad optatum fortunatumque finem perduxit.

Etenim, *Epiſcopis ex Africa*, poſtquàm Kal. Majis convenerant, *reſcribentibus*, Mar. Mercator pag. 134, *omnemque cauſſam*, *quæ apud eos facta fuerat*, *exponentibus*; *miſſis etiam geſtis exindè*, *quæ fuerant tunc cum illo vel de illo*, Cæleſtio, *confecta*, *vocatus ad audientiam pleniorem*, *ut quæ promiſerat* Zoſimo, anno 417., *feſtinaret implere*, *id eſt*, *ut damnatis prædictis capitulis*, quæ Paulinus ei objecerat, *ſententiâ Afrorum*, *qua fuerat* anno 412., *communione privatus*, *abſolveretur*, *non ſolùm non adfuit*, *ſed etiam ex memorata Urbe profugit*. *Tunc ergo*, ex Auguſtino Lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 3. num. 5. tom. 10., *cum ejus præſentia poſceretur*, *ut certis ac dilucidis reſponſionibus*, *vel aſtutia hominis*, *vel correctio dilucèſceret*, *& nulli ambigua remaneret*, *ſe ſubtraxit*, *& negavit examini*. *Atque ob hoc*, pergit Mercator, *a beatæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis*, *vel longiſſimis perdamnatus eſt*, *in quibus & ipſa capitula*, *de quibus* a Paulino Diacono *fuerat accuſatus*, *continentur*, *& omnis cauſſa tam de Cæleſtio ſupraſcripto*, *quàm de Pelagio Magiſtro ejus praviore videtur eſſe narrata*. *Quorum ſcriptorum & nos hìc habemus exemplaria*; *& ad Orien-*

Orientales Eccleſias, Ægypti Diæceſim, & Conſtantinopolim, & Jeroſolyma ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus.

Ex hactenus de judicio Zoſimi diſputatis, quod inſtar prodigii eſt, manifeſta conſecutione deducitur, Zoſimum Romanum Pontificem in eo ſolemni judicio fidei definitivo, quo manus ultima Pelagianæ cauſſæ eſt adhibita, profectò minimè erraſſe. Tot enim appetitus inſidiis, tot tentatus mendaciis, tot fraudibus circumventus, tot implicatiſſimæ cauſſæ defenſoribus, Pelagio, Cæleſtio, Joanne, Praylio, Patroclo, ceteriſque, qua bona, qua mala fide, Pelagii, Cæleſtiique fautoribus, qui plurimi tunc Romæ aderant, circumſeptus, quorum opera de Pelagio, & Cæleſtio benè ſentiebat, & ad tuendam utriuſque ſatis probabilem in ſpeciem cauſſam propenſior erat, atque proclivior, in eo ſolemni judicio fidei definitivo profecto Zoſimus dubio procul erraſſet, ſi Romanus Pontifex in ſolemni judicio fidei definitivo errare potuiſſet. Neque alia ſanè de cauſſa in extremum errandi periculum, atque diſcrimen adductus, Zoſimus Romanus Pontifex non erravit, niſi quia errare omninò non potuit. Ea enim Romanus Pontifex Petra eſt, ſupra quam a Chriſto Domino ædificata eſt Eccleſia, ut nunquam a Portis Inferi, Sponſore Chriſto, ſit evertenda. Quæ cum ita ſint, ex rebus, quæ ad Pelagianam pertinent cauſſam, ſedente Zoſimo, Romæ geſtis, tantum abeſt, ut veriſimili aliqua ratione, vel conjectura probabili obtineatur, Romanum Pontificem in ultimo atque ſolemni judicio fidei definitivo eſſe obnoxium errori, ut potius meridiana luce ſplendidius appareat, Romanum Pontificem in ultimo, atque ſolemni judicio fidei definitivo errare minimè poſſe; in eundemque ex Cathedra, ut dicitur, definientem, atque docentem, errorem cadere nequaquam poſſe. Quod in ipſo articuli limine, primoque aditu, ex vera S. Auguſtini ſententia demonſtrandum ſuſcepimus, ac propoſuimus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Statutis noſtræ mediocritatis*, PP. Carthag. ad Innoc., *etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda. Error ipſe, & impietas etiam auctoritate Apoſtolicæ Sedis anathemanda eſt. Quæcumque autem alia eis objiciuntur, non dubitamus venerationem tuam id judicaturam, unde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.* (b) *Quia* enim *te Dominus*, PP. Milevit. ad Innoc., *gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit, nobis ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris. Arbitramur adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum auctoritate, deprompta, facilius eos, qui tam perverſa ſentiunt, eſſe ceſſuros. Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginienſis Eccleſiæ, & Carthaginienſis Provinciæ coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſſa ſcripſiſſe comperimus.* (c) *Si enim cognoverint Pelagiani*, Quinque Epiſcopi ad Innoc., *eandem librum, quem illius vel putant eſſe, vel norunt, Epiſcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè ſanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipſo anathematum, atque damnatum, non eos ulterius exiſtimamus, loquendo contra gratiam Dei, pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare. Cetera, quæ illi objecta ſunt, ſicut geſtis defenſa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo judicabit. In hac non tamen parva tentatione temporis, utrum rivulus noſter licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione unius gratiæ conſolari.* (d) Ad hæc Innocentius PP. Carthag., *Anti-*

Digitized by Google

Antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ religionis vigorem, non minus nunc in conſulendo, quàm antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum probaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit, quem ſequentes tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda. Patrum ergò *inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis in disjunctis remotiſque ageretur Provinciis, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur: indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent, quid præciperent, quos abluerent, quos velut cœno inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.* (e) Itaque *diligenter & congruè*, Innoc. PP. Milevit., *Apoſtolici conſulitis honoris arcana, honoris, inquam, illius, quem ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam: Scientes quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.* (f) De his Auguſt., *Miſſæ ſunt de hac re ex duobus Conciliis, Carthaginienſi & Milevitano, relationes ad Apoſtolicam Sedem. Scripſimus ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares. Ad omnia nobis ille reſcripſit eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* (g) Quare *puto tibi*, Juliane, *eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit*

luit

luit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare: Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſia? (h) *Jam enim de hac cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: Indè etiam reſcripta venerunt: Cauſſa finita eſt: Utinam aliquando finiatur error.* (i) Poſtremò Zoſimus Innocentio conſentiens, *Quamvis*, inquit, *Patrum traditio Apoſtolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet, idque per canones ſemper regulaſque ſervaverit: & currens adhuc ſuis legibus Eccleſiaſtica diſciplina Petri nomini, a quo ipſa quoque deſcendit, reverentiam quam debet exſolvat; tantam enim huic Apoſtolo canonica antiquitas per ſententias omnium voluit eſſe potentiam, ex ipſa quoque Dei noſtri promiſſione, ut & ligata ſolveret, & ſoluta vinciret; par poteſtatis data conditio in eos, qui Sedis auctoritatem ipſo annuente meruerunt. Habet enim ipſe cum omnium Eccleſiarum, tum hujus maximè ubi ſederat curam, nec patitur aut aliquid privilegii, aut aliqua titubare aura ſententiæ, cui ipſa ſui nominis firma, & nullis hebetata motibus conſtituit fundamenta; & quæ ſine ſuo periculo temerè nullus inceſſat. Cum ergò tantæ auctoritatis Petrus caput ſit, & ſequentia omnia majorum ſtudia firmaverit, ut tam humanis quàm divinis legibus, & diſciplinis omnibus firmetur Romana Eccleſia, cujus locum nos regere, ipſius quoque poteſtatem nominis obtinere non latet vos, ſed noſtis, fratres cariſſimi, & quemadmodum ſacerdotes ſcire debetis; tamen cum tantum nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultrò litteris referremus.* Hactenus ex S. Auguſtino, PP. Africanis, Innocentio, & Zoſimo.

(*a*) PP. Carthag. ad Innoc. epiſt. inter Auguſtin. 175. num. 2. 4. & 6. tom. 2. (*b*) PP. Milevit. ad Innoc. epiſt. inter Auguſtin. 176. num. 1. 3. & 5. tom. 2. (*c*) Quinque Epiſcopi ad Innoc.

Innoc. epiſt. inter Auguſtin. 177. num. 15. & 19. tom. 2. (*d*) Innoc. ad PP. Carth. epiſt. inter Auguſtin. 181. num. 1. tom. 2. (*e*) Innoc. ad PP. Milevit. epiſt. inter Auguſtin. 182. num. 2. tom. 2. (*f*) Auguſtin. ad Paulin. epiſt. 186. cap. 1. num. 2. tom. 2. (*g*) Lib. 1. contra Julian. cap. 4. num. 13. tom. 10. (*h*) Serm. 131. cap. 10. num. 10. tom. 5. (*i*) Zoſimus ad Aurelium cum ceteris PP. Carthag. epiſt. apud Couſtant 12. num. 1. pag. 974.

FINIS.

ER-

Digitized by Google

		ERRATA	*CORRIGE.*
Pag. 1.	Lin. 20.	quem	quæ
17.	21.	reſccante	reſecantis
42.	15.	reicit	rejicit
65.	34.	prorſus	puris
127.	12.	*falſi*	*falſis*
148.	26.	quam	quà
161.	11.	ſe	ſed
205.	32.	*eos*	*eo*
220.	15.	Areletenſe	Arelatenſe
222.	27.	ſuper	ſuper re
231.	22.	pretereunda	prætereunda
235.	29.	funto	functo
264.	18.	negatio	negotio
265.	36.	diſſentientes	diſſentiens
296.	28.	*riſpondeo*	*reſpondeo*
300.	ult.	*remanerat*	*remaneret*

2-3-1:0

Digitized by Google

005645941

Digitized by Google

Digitized by Google